Smithsonian
Institution
Libraries

Gift of

an Anonymous Friend

of the Smithsonian

COMMENTARII DE REBVS IN SCIENTIA NATVRALI ET MEDICINA GESTIS.



VOLVMINIS XIII. PARS I.

LIPSIAE MDCCLXVI.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Amſtelodami apud I. Schreuder, Pariſiis apud Briaſſon, Patauii apud I. Manfré, Holmiae apud L. Saluium.

QH 7 C66 V.13 SCNHRB

I.

Philoſophical Transactions, giving ſome Account of the preſent Undertakings, Studies and Labours, of the Ingenious in many conſiderable Parts of the World. Vol. LII. Part. II. for the Year 1762. London, printed for L. Davis and C. Reymers. 1763. 4. a pag. 415 - pag. 667. tab. aen. 15 - 20.

h. e.

Tranſactiones philoſophicae, quae laborum, ab eruditis in variis orbis terrarum partibus nouiſſime ſuſceptorum, quandam exhibent notitiam. Vol. LII. Pars II.

Obſeruationum hac in parte contentarum ſequens eſt ratio.

64) *Excerpta ex literis* Cl. IO. WOOD, *Calcutta* p.415. *ad* Cl. I. PERRY *ſcriptis*, *communicata* a Cl. W. STUCKELEY *). Cl. PLAISTED ad metropolin *Islamabad* in prouincia *Chetagou* Indiae Orientalis vidit rupem, vnde hinc inde debiles flammae prorumpebant, quae, ſi ad tempus exſtinguerentur, aliò loco rurſus prodibant. Partes rupis prope flammas diffractas valde duras inuenit, nec tamen oleoſam materiam produnt; nec igni expoſitae ſulphuris vapores emittunt. In diſtantia quatuor milliarium ab

*) Lecta d. 7. Ian. 1762.

inde detexit inter colles fontem ardentem, qui muro circumdatus eo vehementiores flammas propellebat, quae ſimul cum aqua per relicta foramina protruſae in adiacentem ciſternam colligebantur. Haec aqua copioſas bullas emittit, ac ſi bulliret, non niſi tepida eſt, et ſapor eius cum ſapore thermarum Bathonienſium Angliae conuenit.

p. 418. 65) *Nonnullae obſeruationes motuum aquarum marinarum extraordinariorum in regione Cornwalliae,* Mount-bay *dicta, et aliis locis, die* 31 *martii* 1761 *factae, expoſitaeque in literis* Cl. WILH. BORLASE ad Cl. CAR. LYTTELTON *). Die 28 martii luna, hora tertia p. m. vltimam ingreſſa quadraturam, huius orae maritimae die 31 martii aeſtus marinus, dimidia circiter hora p. m. conſecuto ſummo intumeſcentiae ſtatu, detumere incepit, et ex legibus huius phaenomeni vſque ad horam fere ſextam p. m. imminui debuerat. Sed eo tempore, quo reſidere aquas marinas oportebat, obſeruatum eſt, eas contra leges ordinarias in altum iterum tolli, ſubitoque reflui, adeo, vt vnica hora, a quinta ad ſextam, quinquies mare reciprocaret. Prima incitatio in altum erat omnium maxima, cum aqua ad altitudinem perpendicularem ſex pedum eleuata fuerit, reliquae autem minores erant. Adnotatum praeterea eſt, tempeſtatem quatuor ante hanc aquarum agitationem diebus fuiſſe in regione, *Mounts - bay* dicta, ſerenam atque placidam, ſed triceſimo martio ventos exortos eſſe, et ipſo 31mo coelum fuiſſe nubilum, flante aquilone a 27mo vſque ad 31mum diem. Eadem fuit aquarum marinarum commotio in diuerſis regionibus, potiſſimum occidentalibus Europae, cuius phaenomena, prout obſeruata ſunt in oris maritimis Scotiae, Hyberniae, Belgii, ex variis relationibus collecta

*) Lectae d. 14. Ian. 1762.

lecta hic recenſentur, adnexa obſeruatione, quam plurimos ex illis ſtatim conieciſſe, cum 1 novembr. 1755 eadem in terrae motu Vlyſſiponenſi maris agitatio obſeruata fuerit, hanc vrbem iterum eandem calamitatem fortaſſe perpeſſam eſſe. Neque haec coniectura eos fefellit; etenim poſthaec ex relationibus certis patuit, eodem tempore, quo iſti motus obſeruati, violento terrae motu eam perturbatam eſſe, ac concuſſam, qui vero, cum motus eius aequabilior eſſet, cum tantis damnis, vt prior, non erat coniunctus. In fine harum obſeruationum adiectus eſt index locorum, in quibus eiusmodi aquarum commotio obſeruata eſt, vbi notata ſunt vbiuis eius initium, duratio, tempeſtas cum eo connexa, gradus violentiae, aliaeque res.

66) *Obſeruationes cum horologio oſcillatorio* IO. SHELTON *factae in inſula St. Helenae, ac deſcriptae in literis* Cl. NEVIL. MASKELYNE ad Ill. CAR. CAVENDISH*). Praemiſſis quibusdam meditationibus, de augmentis ſcientiarum mathematicarum ſeculo praeterito noſtroque factis, Cl. Auctor de inuenta diuerſitate grauitatis in diuerſis terrae locis differit, indicando, quod, cum ad obſeruandum potiſſimum tranſitum veneris iter in inſulam *St. Helenae* pararet, Societati Regiae aperuerit, eſſe ſibi in animo in iis locis obſeruationes etiam inſtituere, determinandae diuerſitati grauitatis aptas. Quod propoſitum Ill. Societas adeo probauit, vt egregium horologium a SHELTONO fabrefaciendum eo fine curaret; ipſeque BRADLEIUS experimentis in ſpecula aſtronomica Grenouicenſi motum eius examinauit, ac MASKELYNUM edocuit, illud 11″ per diem ſydereum amiſiſſe, thermometro Fahrenheitiano, quod cum eo connexum erat, gradum fere 50′ indicante p.434.

A 3 tempore

*) Lect. d. 21. Ian. 1762.

tempore inſtitutorum experimentorum. Conſtituto iam hoc horologio, cum MASKELYNUS in inſulam *St. Helenae* perueniſſet, in valle *Munimenti Iacobi* ſupra libellam maris 85 pedes eleuata accuratas fecit obſeruationes, quas hic recenſet, et ex collatione earum cum obſeruationibus Bradleianis docet, grauitatem *Grenouici* eſſe ad grauitatem in inſula *St. Helenae* vt 1000000 ad 9975405.

p. 443. 67) *Obſeruationes de gemmis quibusdam Turmalino ſimilibus*, a Cl. BENI. WILSON *). Inuenit nonnullas gemmas vario colore et magnitudine, quarum vis electrica cum vi turmalini conuenit. A ſex gemmis calefactis, dum refrigeſcebant, tres plus et duae minus electricae erant, in ſuperficie tabulae et in ſuperficie oppoſita tres minorem, duae maiorem vim electricam exſerebant, ſexta maxima et oualis in vna extremitate magis, in altera minus electrica fuit; vnde patet, fluidum electricum ſemper in linea immutabili emanare, nec ab externa figura gemmae pendere, ſed ab illius conſtitutione naturali.

p. 447. 68) *Obſeruationes aeſtuum in freto* Herculeo, a Cl. HENR. MORE **). Ex quo mare mediterraneum accuratius conſideratum fuit, id quod a multis retro ſeculis factum eſt, plerique mirati ſunt, illud, licet ex oceano per fretum Herculeum aliaque loca in illud immenſa aquarum copia labatur, neque excreſcere in altitudinem, neque connexum habere flumen, per quod ingeſta aqua refluere poſſet. Multi hoc ſingulare phaenomenon ex continua euaporatione declarare voluerunt, cum putarent, ea tantum aquarum amittere, quantum ex affluxu per fretum alioſque fluuios reciperet. Alii, quibus id minime

*) Lect. d. 28. Ian. 1762.
**) Lect. d. 28. Ian. 1762.

nime ſatisfacere videbatur, ſubterraneas voragines, fluuios, qui videri nequeunt, in ſubſidium vocarunt. Cl. vero MORE, cum ſedecim fere annis inter milites praeſidiarios *Gibraltare* degeret, ſumma cum cura omnia eo fine obſeruauit, vt rationes et difficilis nauigationis per fretum Herculeum detegeret, et, cur mare mediterraneum, ingenti quotidie, vt a plerisque ſupponitur, aquarum copia auctum, neque excreſcat, neque in eo aliqua effluxus veſtigia compareant. Ex multis obſeruationibus, inprimis quas ex nauigationibus in freto hoc marique adiacenti inſtitutis collegit, docet, fretum conſtare ex diuerſis fluminibus ſuperioribus atque inferioribus, curſu contrario latis, quare et aeſtus eius freti eſſe plane ſingularis indolis, eiusque fere, quae in mari inter *Portsmouthum* atque inſulam *Wight* obſeruatur; cum enim in medio freto eſt ſummus fluxus, ex vna ripa eſt dimidius, in altera nullus fluxus; e contrario ſaepenumero ſummus fluxus dirigitur verſus ripam vnam, tum dimidius affluxus eſt in medio, et in altera ripa plane nullus. Ex quibus accuratius obſeruatis phaenomena huius maris ſupra indicata declarari poſſe ſperat.

69) *Relatio de caſu iuuenis a lithanthracum fumo ſtupefacti*, a Cl. FREWEN *). Iuuenis, 17 annorum, ſolus dormiens in paruo conclaui nauis, fumo lithanthracum non ſatis extinctorum pleno, camino etiam clauſo, ſequenti die tanto ſtupore affectus inueniebatur, vt nec venaeſectio, nec veſicatoria, nec aer liber, aliquid efficerent; attamen in balneum frigidum immerſus ſtatim aperuit oculos et os, ac nudus in lectulum poſitus in ſudorem incidit, ſenſimque vis ſenſuum rediit. Die ſequenti tuſſis et raucitas inprimis moleſtae erant, quas pillulae mille- p.454.

A 4 pedum

*) Lecta d. 28. Ian. 1762.

pedum et gummi ammoniacum, balſamus ſulphuris et calidum lac, paucis diebus vicit.

p. 456. 70) *Literae* a Cl. BENI. FRANKLINO ad Cl. TH. BIRCH. Cl. FRANKLIN miſſis literis IO. CANTONI ad ſe ſcriptis teſtatur, experimenta in illis deſcripta, cum illa reiterauerit, optime ſuccedere.

p. 457. 71) *Literae* IO. CANTONI ad Cl. BENI. FRANKLIN *ſcriptae, quae nonnullas in* DELAVALII *experimenta electrica obſeruationes continent* *). Hae ſunt illae literae, quas articulo praecedente Cl. FRANKLINUS Cl. BIRCHIO commendauit. Experimenta omnia eo ſpectant, vt phaenomenorum a DELAVALIO in quibusdam corporibus ſuperius **) recenſitorum rationes detegat. Docet proinde, tubulos ſugendae Nicotianae deſtinatos, aliaque eiusmodi corpora, cum frigida ſint, eſſe electricitatis conductores ope humorum, qui cum iis cohaerent in eo ſtatu, illudque indubitato conſequi putat ex inſtitutis cum ambra, vitro, cet. experimentis, quae tempeſtate humida per humores apta fiunt ad conducendam electricitatem, eamque vim perdunt, ſimulac ope caloris eorum humiditas minuatur. E contrario ea ipſa corpora fieri iterum conductores electricitatis ope vaporum ignitorum, qui, cum ad certum gradum igneſcunt, cum iis cohaerent. Ex quo patet, hanc Cl. CANTONI theoriam eſſe, cui DELAVALIUS Parte I. huius LII. Vol. transact. Angl. noua oppoſuit experimenta ***).

p. 462. 72) *Tentamen determinandi veram cauſſam, cur ſol ac luna nudo oculo appareant maiores, ſi prope horizontem*

*) Lectae d. 4. Febr. 1762.
) vid. Commentar. hor. Vol. XII. p. 717. *) ibid.

zontem conſpiciuntur, vna cum recenſione plurium phaenomenorum naturae illis affinium. Auctore Cl. SAM. DUNN*). Quo notiora phaenomena apparentis maioris magnitudinis lunae ac ſolis in propinquitate finitoris ſunt, eo diligentius eorum veram cauſſam detegere conati ſunt recentioris aeui philoſophi. Multa, quae eo ſpectant, occurrunt in transactionibus Anglicanis, in actis Ac. Sc. Pariſienſis, in actis eruditorum Lipſienſ. in optica D. SMITH. cet. Cum vero omnes fere in declarandis his phaenomenis in eo conueniant, vt illa inter fallacias opticas referant, Cl. DUNN, cui haec minus vera viſa, aliam ingreſſus eſt viam detegendi probabiliores eius phaenomeni rationes. Inſtitutis enim innumeris obſeruationibus tum nudo, tum armato oculo circa ſolem exorientem ac occidentem, itemque lunam, ſub iisdem conditionibus quam plurima notatu digna notauit, quae vero prolixiora, minutioribusque rebus veſtita ſunt, quam vt excerpantur. Ex quibus omnibus et experimentis eo fine factis docet, radios ſolares aeque ac lunares, ingreſſos athmoſphaeram prope horizontem, impediri per vapores, multos plane abſorberi, et reliquos progredi motu retardato, eosque magis diuergentes ingredi in oculum, a cuius humoribus ita refringuntur, vt per eos imagines ſolis ac lunae maiores in retina depingantur.

73) *Excerptum ex literis* Cl. IO. BERTRAM *Philadelphia* ad Cl. BENI. FRANKLIN *datis, concernens memorabilem auroram borealem* **). Hanc vidit Cl. BERTRAM *Philadelphiae* in America die 12 nouembris 1757 ab hora ſeptima vſque ad horam decimam, qualis nunquam antea ab eo obſeruata fuit, eaque, vt ex literarum reſponſoriarum FRANKLINI p.474

 excer-

*) Lectum d. 11. Febr. 1762.
**) Lectum d. 25. Febr. 1762.

excerpto patet, eodem die Londini viſa eſt, vnde eximia huius phaenomeni altitudo apparet, cum vterque locus fere 1000 milliaribus ab altero diſtet.

p. 475. 74) *Obſeruationes de animalibus nociuis in Anglia, Auctore* Cl. RICH. FORSTER *). Quamquam viperae ac lacertae vt plurimum maxime noxiae putantur, duo tamen maris et feminae exempla hic declarant, morſum lacertae nihil mali iis attuliſſe.

p. 477. 75) *Excerpta ex literis ad* Cl. TH. BIRCH a Cl. ABR. MASON *ex inſula* Barbados *datis, quae concernunt extraordinarium aeſtum d.* 31 *martii* 1761 *obſeruatum, ac morbum epidemicum in hac inſula eodem anno ſaeuientem* **). De hoc aeſtu, de quo ſupra iam praecipua notata ſunt, obſeruat, eum aequalem fuiſſe illi, qui die 1 nouembris 1755 hic loci contigit, hunc vero ab illo ſolum in eo differre, quod reciprocationes maris non adeo ſubitae fuerint. Quantum ex optimis obſeruationibus colligi potuit, quiuis fluxus ac refluxus octo horae minutis abſoluebatur, et fluxus ad octodecim digitos vel duos pedes intumeſcebat. Praeterea notat Cl. MASON, poſt hunc aeſtum magna calamitate diu afflictam eſſe hanc inſulam, multosque incolas correptos eſſe morbo epidemico, cuius neque cauſſam, neque remedia peritiſſimi medici detegere poterant, tantoque magis incolarum animos perturbauit, cum eo anni tempore ſaeuiret, quod ex longis obſeruationibus in hac inſula omnium maxime ſanitati conducit. Qua in calamitate maximum erat ſolatium, quod pauci ex ea mortui ſunt, in adiacentibus vero inſulis ab hoc morbo magis graſſante plures perierunt.

76) *Ob-*

*) Lectae d. 11. Mart. 1762.
**) Lecta d. 11. Mart. 1762.

76) *Obſeruationes aurorarum borealium in Suecia factae et deſcriptae in literis* Cl. THORBERN BERGMANN ad Cl. BENI. WILSON *datis Vpſaliae* *). p.479.
Quo propius boream verſus regiones vergunt, eo in iis frequentiores aurorae boreales conſpiciuntur, neque proinde mirum, Cl. BERGMANNUM Vpſaliae anni 1759 menſe febr. ſeptem, martio quatuor, aprili duas, auguſto vnam regularem et plures irregulares, ſeptembri quinque, octobri tres, nouembri multas irregulares ac debiles, decembri quinque obſeruaſſe. In multis notauit, ſaepius eo tempore, quo aurorae boreales apparuerunt, perturbatas fuiſſe acus magneticas, inprimis ex altioribus auroris, ſed nunquam ſe ne minimum quidem veſtigium electricitatis, nec per virgas ferreas, nec per dracones volantes, colligere potuiſſe.

77) *Declaratio duplicis refractionis in cryſtallis,* Auctore Cl. IO. BECCARIA **). p.486.
Secandum iam curauit ex cryſtallo montana priſma tale, quod aptiſſimum eſſet legi, qua lux in eiusmodi corpore diaphano refrangitur, exponendae, cuiusque ſchema hic exhibet Cl. Auctor ac docet: duplicem refractionem cryſtalli montanae nulla plane in re, niſi in numero, cum duplici refractione cryſtalli Yslandicae conuenire: duplicem refractionem cryſtalli Yslandicae contingere in radio traiiciente per facies parallelas, duplicem vero refractionem cryſtalli montanae contingere in radio traiiciente per facies mutuo inclinatas: duplicem ex illa imaginem excolorem eſſe, duplicem vero ex iſta imaginem coloratam. Tandemque in fine notat cum GRAVESANDIO, in priſmate ex ſilice Braſiliano aequiangulo duplicem inueniri refractionem in angulo, ſed diuerſam

*) Lectae d. 18. Mart. 1762.
**) Lecta d. 18. Mart. 1762.

uerſam in angulo quoque, et varias concluſiones exinde, corporum ſtructuram, geneſin, cauſſasque refractionum et reflexionum concernentes, deducit.

78) *Catalogus quinquaginta plantarum horti Chelſeiani, Societati Regiae exhibitus a Societate Pharmacopoeorum per* Cl. IO. WILMER.

p. 495. 79) *Relatio operis hoc titulo*, IAC. CHRIST. SCHAEFFERI *) icones et deſcriptio fungorum quorundam ſingularium et memorabilium; ſimul fungorum Bauariae icones natiuis coloribus expreſſae, editioni iam paratae, propediem euulgandae denunciantur, a Cl. WILH. HUDSON.

p. 507. 80) *Narratio de memorabili aeſtu, d.* 28 *iulii* 1761 *obſeruato, nec non de duobus fulguribus in* Cornwallia *admodum noxiis, expoſita in literis* Cl. WILH. BORLASE ad Cl. TH. BIRCH *datis Ludgvan, d.* 8 *martii* 1762 **). Inter vrbes *Penzanze et Marazion* eſt littus maris arenoſum, ad itinera aeſtu finito facienda perquam commodum. Euenit itaque, vt d. 28 iulii 1761 hora decima ante meridiem, ſeruus Wilh. Tregennin plauſtro ſtanno onuſto *Penzanzam* in littore hoc ab omni aqua vacuo veheret; attamen ſubito ſe mari circumdatum, equos ob acceſſum aquarum exterritos bouesque immotos vidit, nec vllam vna cum puero ſocio ſpem ſalutis habuit, inprimis cum illi, qui eum in tanta calamitate e longinquo viderunt, propius accedere non auderent; tandem repente receſſit mare, eique ſpatium dedit ex hac miſeria emergendi, et ſaluus attigit villulam *Chandour*, vbi plurimos in littore ſtantes offendit, qui inuſitatas maris reciprocationes obſeruabant; quae

*) vid. Commentar. noſtr. Vol. XII. Parte I. pag. 98.
**) Lecta d. 1. April. 1762.

quae et aliis in locis, praeſertim in portubus *Falmuth*, *Fawy* et *Plymouth* notabantur. Eodem die ad horam octauam p. m. flante ſolano vento, thermometro Fahrenheitiano 64 gradum tenente, tempeſtas fuit quieta et valde calida, exortisque nubibus, templum Ludguangenſe enormi fulgure tactum eſt, cuius vim et vehementiſſimos effectus in proſternenda turre, portisque effringendis validiſſimis huc fuſius deſcribit Cl. Auctor. Aliud eiusmodi fulgur die 11 ian. 1762 *Breagae*, ſeptem milliaribus abinde diſtantis, templum tetigit; in deſcriptione damnorum ei illatorum multa memorabilia occurrunt, quae tamen non inſolita in eiusmodi cladibus ſunt.

81) *Excerptum ex literis* Cl. IO. HUXHAM ad Cl. WILH. WATSON *datis d.* 5 *februarii* 1762 *Plymouthiae, duos caſus chirurgicos notabiles ſpectans* *). Alicui, vulnere ſeptem pollicum circa collum, diſciſſa eſt maxima pars tracheae, illaeſis tamen vaſis iugularibus. Cl. Auctor igitur, ſutura vniens vulnus, bis pupugit tracheam partesque externas, et vulnus intra menſis ſpatium coaluit. Poſtea exortus eſt abſceſſus externus, quo aperto exemit aliquid fili ſericei. Alii muſculos brachii, a ſcapula ad cubitum, fulgur combuſſerat, nec minus regionem vmbilicalem et femora vario modo laeſerat. Cum adeſſet inflammatio: venam ſecuit, et laxantia, corticem, et fomenta ſpirituoſa adhibuit; intra duos dies facta eſt ſeparatio vſtarum partium, quas, cum quaſi coreaceae eſſent et odore deterrimo, minime ſcarificare poterat; tandem aeger intra ſex hebdomadas plane ſanatus eſt. p. 515.

82) *Rela-*

*) Lectum d. 1. April. 1762.

p. 519. 82) *Relatio ſucceſſus methodi* Cl. DAVIEL *extrahendae cataractae, in literis* ANT. CANTWELL ad Cl. IAC. PARSONS *). Extractio cataractae depoſitioni valde praeferenda videtur, ſiue lens ſit opaca, ſiue capſula, ſiue capſulae anterior pars eaque interdum adhaerens. Vidit enim 1) anteriorem partem capſulae lentis tolli, lente relicta, et viſum rediiſſe, 2) lentem opacam cum anteriori parte capſulae opacae ſimili effectu, 3) lentem cum capſula, iridi adhaerente, vbi vt plurimum aliqua portio humoris vitrei vel amittitur, vel cameram poſteriorem replens herniam iridis ſiſtit, quae tres dies poſt operationem caute reſecanda eſt, et aegri caput in lectulo humilius iaceat reliquis partibus, donec humor vitreus in cellulas regreſſus ſit. Si lens deprimitur et capſula opaca eſt, aeger coecus manet; lens capſulae adhaerens poſt depreſſionem rurſus aſcendit; ſi poſterior capſulae pars opaca eſt et relinquitur, aeger poſt depreſſionem et extractionem lentis viſum non recuperat, ſin lenti adhaeret, extrahenda eſt, non ſine metu effluxus humoris vitrei.

p. 523. 83) *Excerptum epiſtolae* Cl. CAR. WOLLASTON ad Cl. WILH. HEBERDEN *de membris quibusdam emortuis in gente aliqua oppidi* Wattisham *in Comitatu Suffolcienſi* **). Intra tres dies femina cum ſex liberis ſphacelo crurum correpta eſt, quae vel ſponte ſecedebant, vel amputabantur. Vnus ex his quatuor menſium aetate mortuus eſt, reliqui doloribus ſedatis ſatis bona ſanitate fruebantur. Pater poſt quatuordecim dies ipſe nigritie duorum digitorum manus dextrae afficiebatur, quorum vſus tamen

men

*) Lecta d. 1mo April. 1762.
**) Lectum d. 22. April. 1762.

men nunc reſtitutus eſt. In huius gentis vita et victu nondum errores detegere potuit Cl. Auctor.

84) *Excerptum epiſtolae* Cl. IAC. BONES ad Cl. GEO. BAKER *de eadem re* *). Filia enim, 17 annorum, maximos ſenſit dolores cruris ſiniſtri, altero die tumeſcentis et maculis nigris obſiti, donec putredo carnes conſumeret, et oſſa nuda relinqueret. Alterum crus paulo poſt ſimili modo affectum decidit; nunc abſceſſu femoris laborat. Mater eodem die, quo filia correpta eſt, inſignes dolores cruris ſiniſtri ſuſtinuit, cuius carnes putreſcentes breui tempore a genu ſeparabantur, et oſſa nudarunt; alterum crus ſerius correptum ad malleum ſphacelo ſeceſſit. Manus interea et brachiorum pars ſine ſenſu, ac digiti contracti erant. Tres vel quinque dies poſt matris calamitatem liberi ſimili modo ſimul vehementiſſimis doloribus crurum, praeſertim ſiniſtri angebantur. Maioris puellae, 14 annorum, pes alter ad malleum ſphacelo ſeceſſit, alter ad genu. Altera decennis pedem ad malleum et crus ad genu ſimiliter amiſit. Puero ſexenni vtrumque crus ad genua ſeparabatur, et alii quadrienni vterque pes ad malleos. Infans lactans bimeſtris, quamquam vberibus matris, morbo iam correptae, non amplius admouebatur, poſt duos menſes tamen mortuus eſt; ſtatim poſt mortem manus et pedes nigreſcebant. Pater quatuordecim dies poſt matris morbum doloribus manuum vexatus eſt, paulo poſt digiti nigrum colorem traxerunt, vngues deciderunt, et duo digiti exulcerati ſunt, poſtea tamen reſtituti. Omnes quidem debiles ſunt, ſemper tamen ſani fuerunt, et ſaepe piſis et carne ſuilla vtuntur. p. 526.

85) Ex-

*) Lectum d. 6. Maii 1762.

p. 529. 85) *Excerptum ſecundae epiſtolae* Cl. BONES ad Cl. BAKER *). Inquiruntur hic cauſſae morbi antea deſcripti. Aegri enim aqua vſi ſunt e lacu; cereuiſia in vaſe cupreo cocta; pane e tritico viliori facto, a cuius vſu alius manuum ſtupore afficiebatur; in vaſis cupreis lac, cet. coquunt; ſaepe piſa et panem inde factum edunt, vt et carnem ſuillam fumigatam, et veruecinam vetuſtam, viliſſimam.

p. 534. 86) *Obſeruationes ad examinandum horologii oſcillatorii ab* ELLICOT *fabrefacti motum in inſula* St. Helenae *inſtitutae* a Cl. CAR. MASON **). In reditu ex *promontorio bonae ſpei* Cl. MASON, cum in inſulam *St. Helenae* veniſſet, horologium Ellicotianum, quo in obſeruationibus in promontorio bonae ſpei vſus erat, ex praeceptis artis in *munimento Iacobi* conſtituit, vt motum eius examinaret. Sed cum coelum fere ſemper nubibus tectum, et locus, in quo horologium conſtitutum erat, anguſta et profunda vallis eſſet, tempora deſcenſus ſtellarum aliter, quam mediante apice rupis verſus occidentem ſitae, cuius altitudo prope apicem erat 30 gr. diſtantia vero a loco obſeruationum exaequabat quartam milliaris partem, obſeruari non poterant. Methodus itaque haec tempora horologii per motum ſydereum determinauit. Ex hac lege multas obſeruationes inſtituit, quas deinceps Cl. MASKELYNE directo in eundem locum teleſcopio, inſtrumento aequalis altitudinis applicato, obſeruauit, omnesque has obſeruationes collegerunt, vt ex earum collatione cum illis, quae in promontorio bonae ſpei factae fuerant, grauitatis ratio in his locis deduci poſſet.

87) *Diſ-*

*) Lectum d. 6. Maii 1762.
**) Lectae d. 6. Maii 1762.

87) *Diſquiſitio in obſeruationes ad determinandum motum horologii Ellicotiani, in inſula* St. Helenae *a* Cl. MASON *factas,* Auctore Cl. IAC. SHORT *). Inuſitata erat methodus, qua articulo priore vſus eſt Cl. MASON, ad explorandum regularem horologii motum. Cl. enim SHORT diſquirit, num occultationes ſtellarum per apicem rupis deſcriptae certam rationem ſuppeditare poſſint determinandi motum horologii, et num obſeruationes MASKELYNE ope teleſcopii, inſtrumento aequalium altitudinum applicati, iis praeferendae? atque defendit, priores eſſe longe exactiores poſterioribus. p. 540.

88) *Recenſio obſeruationis ecclipſis lunae, d.* 8 *maii* 1762 *tempore matutino factae* Londini, a Cl. SHORT.

89) *Obſeruationes eiusdem ecclipſis*, a D. BEVIS *factae.*

90) *Relatio de monumento notabili prope* Aſhford *in Comitatu Darbienſi inuento*, *ex literis* Cl. EVATT ad Cl. WHITEHURST, *communicata* a Cl. BENI. FRANKLIN. Imago illius aeri inciſa eſt.

91) *Deſcriptio fontis* Hieronis *in metallifodinis Chemnicenſibus in Hungaria, anno* 1756 *exſtructi,* Auctore Cl. WOLFE, *communicata* a Cl. HENR. BAKER **). Huius machinae, quae nihil noui habet, et ſolum a Cl. HELL ad maiora opera applicata fuit, deſcriptio longe prolixior eſt, quam vt hic tradi poſſit, inprimis cum eiusmodi deſcriptiones, ſi minimae circumſtantiae omittantur, plane inutiles ſint. In vſu eiusdem id ſolum notatu dignum, quod niues p. 547.

ac

*) Lect. d. 13. Mai. 1762.
**) Lecta. d. 17. Iun. 1762.

ac glacies ex motu aquarum in eadem formentur. Auctor proinde huius deſcriptionis amplam adiecit theoriam, de formatione niuis et glaciei, ex qua declarare conatur, qua ratione ope motus aquae per hanc machinam in locis quibusdam nix immo et glacies formetur.

p. 554. 92) *Relatio de producto marino notatu digno, in epiſtola* Cl. ALEX. RUSSELL ad Cl. TH. BIRCH *). Eſt priapus pedunculo filiformi, corpore ouato, medio inter magnitudinem oui gallinacei et columbini, laeui, membranaceo, colore cinereo, ore ſub apice poſito quadriualuulari et cruciformi, ano in eodem latere ſupra baſin collocato, etiam quadriualuulari. A corpore exit pedunculus rotundus, cauus, aſper, ſubſtantia coriacea, decem pollicum longitudine, colore ſubfuſco, craſſitie pennae gallinae, cuius finis ſaxo inhaeret. Superficies interna e fibris reticularibus conſtabat, os interius radiata ſubſtantia calloſa obſitum fuit, et anus e fibris complicatis conſtitit. Ab apice ad anum oblique deſcendit in vtroque latere corpus laeue conuolutum, quod profecto eſt inteſtinum tenue.

93) *Literae* a Cl. NEVIL MASKELYNE ad Cl. TH. BIRCH *datae, quae continent concluſiones, deductas ex obſeruationibus diſtantiarum lunae a ſole atque ſtellis fixis in itinere ex Anglia in inſulam* St. Helenae *factis, eo conſilio, vt longitudo locorum, in quibus nauis quouis tempore verſetur, determinari poſſit, vna cum deſcriptione totius computationis eo fine inſtituendae.*

p. 578. 94) *Nonnullae rationes pro lunari athmoſphaera,* Auctore SAM. DUNN **). Cum quaeſtio, vtrum luna

*) Lect. d. 24. Iun. 1762.

**) Lect. d. 1. Iul. 1762.

luna athmoſphaera ſit circumdata, nec ne? valde adhuc ſit vexata, Cl. DUNN, circumſpiciens rationes ac methodos, quibus antea aſtronomi vſi ſunt, ad decidendam hanc rem dubiam, tandem in eiusmodi cogitando incidit, quae a nemine adhibita, ipſi tamen ad eam rem extra omne dubium ponendam apta viſa eſt. Conſiſtit haec methodus in ſubtili examinatione apparentiarum annuli ſaturnini occultati per lunam. Eiusmodi apparentiarum Cl. Auctor obſeruationes habuit anno 1762. d. 17 iunii poſt horam 2 matutinam, easque tales deprehendit, vt ex iis concludere liceat, dari aliquam lunae athmoſphaeram.

95) *Recenſio de cometa menſe iunio* 1762 Pariſiis *viſo, deſumpta ex literarum excerpto datarum* a Cl. DE LA LANDE *die* 30 *iulii* 1762, ad Cl. CAR. MORTON.

96) *Praecipua obſeruationis tranſitus veneris per ſolem die ſexto iunii* 1761 Calecutae *in* Bengalia, *cuius latitudo* 22 *gr.* 30. *minut. et longitudo reſpectu* Londini *Orientali, quam proxime* 92 *gr. factae, communicata a Directoribus Societatis Orient. Indiae,* Auctore Cl. CAR. MORTON.

97) *Relatio vlterior de caſu gentis Wattiſhamenſis in Comitatu Suffulcienſi, cruribus deſtructis, ex literis* Cl. CHARLTON WOLLASTON ad Cl. TH. BIRCH*). Pater aegrorum praeter duos digitos, qui contracti manſerunt, plane reſtitutus eſt. Caries crurum matris ſphacelo ſeparatorum adhuc quidem adeſt, attamen non vlterius ſerpit; brachium dextrum deſtructum eſt ſimul cum digitis contractis. Puella maior mortua eſt, altera bene ſe habet, tertia, cuius p.584.

 pes

*) Lect. d. 11. Nov. 1762.

pes ad nexum oſſis ſcaphoidis cum aſtragalo ſeparatus eſt, carie calcis et aſtragali laborat; vterque puer perfecta ſanitate rurſus gaudet.

p. 586. 98) *Obſeruationes aeſtuum in inſula* St. Helenae, *expoſitae in literis* a Cl. NEVIL MASKELYNE ad Cl. TH. BIRCH *). Cum nullae adhuc proſtent obſeruationes aeſtuum in locis prope aequatorem inſtitutae: magna cum induſtria eas fecit eo tempore, quo ſibi obſeruationum faciendarum cauſſa in inſula *St. Helenae* degendum erat; atque vt de earum fide et diligentia nemo dubitandi cauſſas habeat, primo deſcribit inſtrumenta, quibus in dimetienda fluxus altitudine vſus eſt, deinde ipſam obſeruandi methodum obſeruationesque ipſas a decimo octauo nouembris 1752, vſque ad viceſimum ſecundum decembris exhibet.

99) *Excerptum ex literis* Cl. DE LA LANDE ad Cl. NEVIL MASKELYNE *datis Pariſiis die decimo octauo nouembris* 1762.

100) *Obſeruationes interni contactus veneris cum limbo ſolis in nupero eius tranſitu per ſolem, in diuerſis Europae locis factae et collatae cum tempore eiusdem contactus in Promontorio bonae Spei obſeruati, indeque deducta Parallaxis ſolis*. Auctore Cl. IAC. SHORT.

p. 629. 101) *Conſilia quaedam auertendi damna, nauibus earumque malis a fulguribus ac tonitrubus illata, quae potiſſimum continentur in literis* ad Ill. GEO. ANSON, *datis* a Cl. WILH. WATSON **). Primum recenſet variarum nauium clades, recentiſſime et eius memoria maximo regis Britannici damno a fulguribus

*) Lect. d. 18. Nov. 1762.
**) Lect. d. 16. Dec. 1762.

bus ortas ac illatas, deinde notat, cum hodie demonſtratum ſit, fulgura ac tonitrua, quorum natura maioribus noſtris denſiſſimis obuoluta erat tenebris, nil aliud eſſe, quam accumulatam electricitatem, quae tandem per fulgura exploditur, poſſe excogitari remedia auertendorum damnorum, quae ex illis oriuntur. Etenim ex ingenioſiſſimi DE ROMAS experimentis cum draconibus volantibus inſtitutis conſtat, poſſe electricitatem nubium ope funiculi, certa arte parati, ſine vllo ſonitu ac damno ex nubibus in terram deduci, licet, quando aliqua in hoc apparatu artificioſiſſimo praeteruiſa fuerant, tranſitusque electricitatis impeditus erat, radius electricitatis igneus prorumpens vnius digiti craſſitie ac decem pedum longitudine exploderetur cum tanto fragore, ac ſi ſclopetum minus exploſum fuiſſet. Ex eoque errore putat Cl. Auctor in apparando funiculo admiſſo accidiſſe mortem Cl. RICHMANNI. Quae cum ita ſint, conuertendae ſunt ex Auctoris ſententia omnes cogitationes eo, vt eiusmodi apparatus excogitetur, quo a nauibus electricitas in mare deriuetur ac deducatur, inprimis cum nautae ex notiſſimo illo phaenomeno, cui Caſtoris et Pollucis nomen dederunt, intelligere poſſint, quam prope iam ſint intra ſphaeram nubium electricitatis eiusmodi plenarum, quae fulgura et tonitrua efficiunt. Haec conſilia Auctor tandem variis, inprimis Franklinianis, experimentis corroborat, vtilitatemque eorum luculenter declarat.

102) *Relatio de obitu* Cl. IAC. BRADLEY, *Aſtronomi Regii, ex literis* Cl. DAN. LYSONS ad Ill. *Com.* GEO. MACCLESFIELD *). Iam diu laborauit debilitate, inprimis dolore quodam in dorſo, interdum dyſuria, donec tandem in veram iſchuriam p. 635.

*) Lect. d. 16. Dec. 1762.

riam incidit, et vrina vſque ad eius obitum cathetere educta eſt. In ſectione cadaueris apparuit inflammatio inteſtinorum, ventriculi, partisque hepatis; pinguedo dextri renis ſcirrhoſa fuit, vterque ren mollis, e cuius ſubſtantia, ſi premebatur, pus vt e ſpongia exibat; calculus ibi non fuit. Vena caua et vena renalis ſiniſtra permagnae erant, aorta in bifurcatione in arterias crurales oſſificata. In iunctione oſſis pubis ſiniſtri cum iſchio in pelui conſpiciebantur duo tumores contigui, trium pollicum longitudine, glandulis ſimiles, quorum ſubſtantia pure erat repleta. Proſtata tumida et indurata, interna veſicae ſuperficies inflammata erat, nec ipſa nec vreteres calculum vel arenam continuerunt.

p. 640. 103) *Experimenta, quae declarant, aquam comprimi poſſe*, Auctore IO. CANTON *). Quamuis celebratiſſimum experimentum Florentinum, quo Academici demonſtraſſe putarant, aquam non comprimi poſſe, et a philoſophis ſequentis temporis eo conſilio allegari ſoleat, accuratius tamen penſitatum id, quod probare debet, non probat. Compreſſae enim ſphaerae, quae aquis repleta eſt, aureae et argenteae ſoliditatem minui, et aquam per eius poros egredi, nemo dubitabit, qui hoc experimentum videbit. Sed quis Academicorum vnquam demonſtrauit, tantum aquae per poros exiiſſe, quantum eius erat in ſpatio, quo compreſſione ſphaera minor facta? Sine qua demonſtratione ex hoc experimento nihil certi cogi poteſt. Certioribus proinde ac ſubtilioribus admodum experimentis extra omne dubium ponit Cl. Auctor, aquam comprimi poſſe, ac reuera comprimi. Nituntur ea experimenta artificio, quo aqua a pondere incumbentis aeris athmoſphaerici ita liberatur, vt certo animaduerti poſſit, vtrum

*) Lect. d. 16. Dec. 1762.

vtrum in vaſe, cuius amplitudo non mutabilis, complexa idem ſpatium occupet, quod occupauerat, antequam a pondere aeris athmoſphaerici premebatur, an vero eo remoto maius occupet. Lectu ac conſideratione accurata digna ſunt curioſiſſima experimenta, quibus ingenioſiſſime oſtendit, aquam omnino remoto pondere aeris athmoſphaerici maius occupare ſpatium, amplitudine vaſis manente eadem, ac proinde aere admiſſo in minus redigi ſpatium ac comprimi.

104) *Obſeruatio ecclipſis ſolaris die decimo ſexto octobris 1762 facta, et in literis* Cl. SAM. DUNN ad Cl. IAC. SHORT *datis expoſita.*

105) *Excerptum epiſtolae* Cl. W. WATSON ad Cl. IO. HUXHAM, *continens animaduerſiones de catarrho, qui graſſatus eſt* Londini *et in vicinia, menſe maio* 1762, *et de dyſenteria, quae orta eſt ſequenti autumno* *). p. 646.
In hoc epidemico morbo, menſe maio et parte iunii graſſante, pectus afficiebatur, febre ſubſequente. Similis morbus Londini frequens fuit anno 1743, quem nominarunt *Influenza.* Feminae magis quam viri eo correptae ſunt; nocuit crebra venaeſectio, ſanguis plerumque viſcidus et ſerum bilioſum erat; emetica lenia, veſicatoria et balſamica profuerunt in febre maiori cum tuſſi, et in fine cortex peruuianus; cordialia vero et volatilia nociua fuerant. Dyſenteriam, ſi cum febre inflammatoria coniuncta erat, venaeſectio, purgantia lenia et diluentia leuarunt; abſente febre, iuſculum veruecinum tenue, clyſmata cum tinctura Thebaica ter in die repetita. Mortui ſunt hoc morbo tres infantes ſine febre, in duobus eorum veſicula fellea bile viſcida repleta, in tertio canalis inteſtinorum minime inflammatus fuit. Alius infantis

*) Lect. d. 23. Dec. 1762.

inſantis inteſtina maxime inflammata et viſcera abdominis foetore maxime infecta fuerunt. Calor moderatus et perſpiratio adiuta in hoc morbo vtilitatem praecipuam attulerunt.

p. 650. 106) *Epiſtola* Cl. IO. LULOFS ad Cl. CAR. MORTON, in qua deprehenditur obſeruatio deliquii lunaris d. 8 maii 1762 facti, et obſeruatio ecclipſis ſolaris d. 17 octobr. 1762, tandem obſeruatio defectus lunaris d. primo nouembris 1762.

p. 654. 107) *Relatio de Gardenia ex literis* Cl. DAN. C. SOLANDER ad Cl. PHIL. CARTERET WEBB*). Hanc plantam Cl. ELLIS iam deſcripſit in Vol. 51. P. 2. Phil. Transact. p. 929 **); addit igitur Cl. Auctor nonnullas obſeruationes. Ouarium maturum eſt ouiforme, exterius ſulcatum a calycis laciniis deſcendentibus, interius ſepto membranaceo in duas cellulas diuiditur, quarum vtraque 50 circiter ſemina compreſſa, ſubſtantia mucilaginea circumdata, continet. Chinenſes haec ſemina ad tincturam coccyneam adhibent. Semina, iam ante 80 annos collecta, aquam, ſpiritus, aliosque liquores flauos reddiderunt. Calyx interdum in quinque, interdum in ſex lacinias diuiditur, cuius nonnulla ſpecimina e Muſeo Britannico hic depicta ſunt.

p. 661. 108) *Relatio de cochinella femina et mare, quae in Cacto Opuntia vel Fico Indico in Carolina Meridionali et Georgia gignuntur, in epiſtola* Cl. IO. ELLIS ad Cl. PETR. WYCH ***). Vidit in tela Opuntiae tres vel quatuor muſcas minutiſſimas mortuas, cum albis alis, quas humectauit ſpiritu vini debili, et microſco-

*) Lect. d. 23. Dec. 1762.
**) Comment. hor. Vol. XI. p. 40.
***) Lect. d. 23. Dec. 1762.

croſcopio diſquiſiuit, atque inuenit, haec corpora colore coccineo eſſe, vnde putauit, haec inſecta mares eſſe. Cl. GARDEN mares ita deſcribit. Mares, quorum inter 200 femellas vix vnus inuenitur, valde agiles ſunt, figura magis formoſa, quam qua femellae maiores et torpidae inſtructae ſunt. Caput a collo multo tenuiori facile diſtinguitur, thorax ellipticus capite et collo longior eſt et planus; e fronte duae antennae proficiſcuntur longiores, quam in feminis, articulis iunctae, et a ſingulo articulo prominent quatuor breues ſetae; in quolibet latere adſunt tria crura articulata; ab extremo caudae exeunt duae ſetae tenuiſſimae, albae, diuergentes, et totum inſectum quater vel quinquies longitudine ſuperantes. Duae alae in poſteriorem partem ſcapularum aut thoracis inſeruntur, et horizontali ſitu incedendo apparent, more muſcarum, oblongae, ad finem rotundae, et anguſtae ad inſertionem, corpore longiores et duobus neruis inſtructae; corpus maris clarius rubet, feminae obſcurius. E medio pectoris feminae egreditur proboſcis, qua et nutrimenta ſumit, et filamenta net ad ſuam transformationem; tum animalis volumen valde augetur, crura, antennae, ac proboſcis breuiores fiunt, et vix conſpiciendae. Si humectatur et in aqua lanceola ſecatur, magna ouorum copia deprehenditur. Femella, ouis vacua, moritur, qua propter in Mexica ſenes, ouis plenae, necantur, ne tingentem virtutem amittant. Adiiciuntur icones aeri eleganter inciſae.

II.

Vorſtellung der Vögel Deutſchlandes und beyläuffig auch einiger Fremden; nach ihren Eigenſchaften beſchrieben von IOHANN LEONHARD FRISCH *Rector des Gymnaſii zum grauen Kloſter in Berlin, und Mitgliede der königlichen Akademie der Wiſſenſchaften, in Kupfer gebracht, und nach ihren natürlichen Farben dargeſtellt von* FERDINAND HELFREICH FRISCH, *Kupferſtecher in Berlin. Berlin gedruckt bey Friedrich Wilhelm Birnſtiel.* 1763 *in Folio.* 1 *Alph. pl.* 20 ½ cum ind. tab. aen. cum Titulo et Supplem. 256.

i. e.

Imagines auium Germaniae et exterarum quarundam; pro natura deſcriptarum a IOANNE LEONHARDO FRISCHIO aeri inciſae coloribusque propriis depictae a FERDINANDO HELFRICO FRISCHIO.

Quamquam ſatis ROESELII aliorumque exemplis conſtat, quantum aetas noſtra patriaque gloriari poſſit talibus viris, qui in exprimendis diuerſorum animalium imaginibus naturaque deſcribenda, ingenium et artem egregiam demonſtrarunt; id nouo tamen hoc opere confirmatum videtur, quod FRISCHII Berolinenſes in lucem ediderunt. Fuit enim IOHANNES LEONHARDUS FRISCHIUS Gymnaſii quondam Berolinenſis Rector, cuius in hiſtoriam animalium merita non ignorant eruditi, qui egregii huius operis primus et praecipuus inuentor et Auctor eſt. Is quaelibet auium genera, quantum potuit in his noſtris terris nanciſci, vndique congeſ-

congeſſit, eaque per aliquod tempus in domo ſua aluit, hoc conſilio, vt harum auium indolem moresque accuratius cognoſceret. Mortuarum ſolebat cutem, ita pro ea, qua pollebat arte, praeparare ac conſeruare, vt vitae quaſi easdem videretur reſtituiſſe. Has ita praeparatas filio, in arte iconographica exercitatiſſimo, FERDINANDO HELFRICO tradidit, mandauitque vt figuras earum aeri incideret, viuisque ad naturae ſimilitudinem exprimeret coloribus. Vniuerſas vero Germaniae aues ipſe antea in duodecim claſſes diuiſerat, deque earum natura, indole ac moribus, quae cognouerat, in paucis etiam nonnulla de aucupii ratione, literis mandauerat.

Edendi igitur huius operis initium factum eſt anno huius ſeculi quarto circiter et triceſimo. Quo coepto, viuo adhuc IOHANNE LEONHARDO ad quartam claſſem res perducta eſt. Cui cum immortuus eſſet FRISCHIUS pater, egregia iſta auium collectio primum ad Lib. Bar. DE VERNEZOBRE, et ab hoc ad Academiam Regiam Berolinenſem tranſiit. Quae tamen res non impediuit, quo minus FERDINANDUS HELFRICUS filius coeptum opus continuaret. Quod cum et huius curis non niſi lento gradu procederet, ipſeque vita prius deficeret, quam poſſet ad finem perducere, tamen ſupererat nepos, artis iconographicae non minus gnarus, qui paterno auitoque operi vltimam manum admoueret. Vterque eorum filius atque nepos, cum, pro ea, cui ſe dederant, arte, nihil aliud ad abſoluendum hoc opus poſſent conferre, niſi vt imagines auium aere exprimerent: deſcribendarum earundem curam reliquerunt alio FRISCHIO, IOHANNIS LEONHARDI filio natu minori, Sacrorum inter Sileſios Antiſtiti. Indices tandem cura Lib. Bar. DE ZORN, qui et in vniuerſum optime de hoc opere meritus eſt, adiecti ſunt.

Haec

Haec eſt ergo egregii huius operis, cuius editio
per triginta fere annos protracta eſt, hiſtoria. Si
quis vero ipſum opus viderit, e figurarum accura-
tiſſime expreſſarum elegantia intellexerit, haud fru-
ſtra tantum temporis ſtudiique ac ſumtuum huic
operi impenſum eſſe. Auium delineatarum nume-
rus vltra CCC adſcendit, quoniam et femellae, vbi
colorum diuerſitas id requirebat, depictae ſunt.
Nomina gallica et latina germanicis vbique adpoſita
ſunt. Deſcriptiones breues ſunt, in quibus ſingu-
laria quaedam hinc inde de moribus nonnullarum
Tab. 1. auium adducuntur. Primae claſſis ſectio prima
Fringillae, *Carduelis*, et *Enucleatoris*, ſecunda *Paſ-
ſeris* et *Miliariae* tertiaque *Linariae*, *Loxiae* et *Paſ-
ſeris Canarienſis* ſpecies continet, quae aues omnes
breue craſſiusque roſtrum habent, cannabisque gra-
T. 13. na infringere valent. Secunda claſſis aues minores
roſtro tenuiore comprehendit, *Paros* ſcilicet, *Alau-
das*, *Hirundines*, *Rubeculas*, *Phoenicuros*, *Luſciniam*,
Currucam, *Motacillas*, *Muſcipetam* et *Trochilos*. Ad
T. 25. tertiam *Turdus* et *Merula*, ad quartam *Picus*, *Tor-
T. 34. quilla*, *Certhius*, *Cuculus*, *Vpupa* et *Pſittacus* perti-
T. 55. nent. Ad quintam *Picam* et *Garrulum*, ad ſextam
T. 63. *Coruum*, *Cornicem* et *Monedulam*, ad ſeptimam de-
T. 69. nique omnes aues, quas *Vultures* et *Falcones* LIN-
T. 93. NAEUS dixit, vt ad octauam *Strigis* LINNAEI genus
refert. Addidit tamen quoque *Caprimulgam*, *Veſper-
tilionem* et *Felem volantem* (*Lemur volans L.*). Claſſem
T. 105. nonam *Gallinae L.* quibus *Struthionem* et *Otitem L.*
T. 138. addidit, decimam *Columbae*, vndecimam vero *Phoe-
T. 152. nicopterus L. Anas L.* et *Mergus L.* efficiunt. Vlti-
T. 194. ma tandem claſſe *Grus*, *Ciconia*, *Ardea*, *Platalea*,
Ardea ſtellaris, *Fulica*, *Gallinula paluſtris* *Ortygo-
metra*, *Vanellus*, *Charadrius*, *Pluuialis*, *Sturnus*, *La-
rus*, *Merops*, *Iſpida*, *Ruſticula*, *Numenius* et *Glareola*
comprehenduntur.

Aucto-

Auctores nunquam fere, nec vnquam illi, vnde nomina deſumta ſunt, citantur. In deſcriptione figuris addita, ae inprimis, quae de *Pici viridis* lingua, moribus *Cuculi*, et *Lanii minoris*, *Nidoque Chlorionis* adducuntur, lectu digna ſunt. Vbi fieri potuit, aues in naturali magnitudine delineatae ſunt, in maioribus menſura appoſita eſt.

III.

Conſiderations ſur les corps organiſés, ou l'on traite de leur Origine, de leur developpement, de leur reproduction etc. et ou l'on a raſſemblé en abregé tout ce, que l'hiſtoire naturelle offre de plus certain et de plus intereſſant ſur ce ſuiet. Par C. BONNET, des Academies d'Angleterre, de Suéde, de l'Inſtitut de Bologne, Correſpondant de l'Acad. Royale des Sciences etc. a Amſterdam chez Marc Michel Rey. 1762. 8. To. I. pl. 20. To. II. pl. 23.

hoc eſt:

Corporum organiſatorum diſquiſitio, vbi diſſeritur de eorum origine, euolutione atque regeneratione etc. adductis ſimul omnibus momentis breuiter ex hiſtoria naturali, quibus certitudo idonea ratione euincitur. Auctore C. BONNET.

Aſſiduum, quod in perſcrutanda hiſtoria naturali, inprimis inſectorum, adhibuerat ſtudium Cl. Auctor, etſi infelici fato aciem oculorum eius priuaſſet, eum tamen a continuandis obſeruationibus ſuſcipiendisque doctiſſimis meditationibus deterrere

non

non potuit. His itaque debemus etiam egregium, quod indicamus, opus, quod ita conſcriptum eſſe fatemur, vt, myſterium quamuis generationis non explicet, illuſtret tamen, nec non praeſtantiſſimarum adnotationum multitudine confirmet. Quum autem Ipſe humaniſſime de ſuis iudicet laboribus, quantum interſit eos curatius noſſe, nunc apparebit. Redit itaque eo omnis Noſtri opinio, vt certius conſtet, generationem eſſe euolutionem praeexiſtentis germinis. Id vero probaturus, in duas diuiſit opus ſuum partes, quarum altera de opinionis demonſtratione diſpicit, altera vero ex omni hiſtoria naturali deſumtis demonſtrationibus per obſeruata eandem corroborat. Monet tamen ſimul, octo priora capita primi tomi olim iam conſcripta, deinde iterum ſuppreſſa, atque partem fuiſſe *Contemplationis naturae*, de quo libro alibi dicemus. Sed, quod totius operis meretur perueſtigatio noſtram attentionem, de ſingulis praecipua momenta huc referemus.

Abſoluitur *primus tomus* duodecim capitibus, in quibus de germine, ceu principiis corporum organiſatorum, de horum corporum incremento in genere, deque eorum generatione, nec non de monſtris, de multiplicatione per gemmas, additis variis huc pertinentibus obſeruationibus, porro de nutritione, quatenus ad generationem pertinet, de microſcopiorum ope inſtitutis circa liquorem ſeminalem tentaminibus et experientiis, agitur, ſimulque reliqua ſyſtemata de moleculis organicis, de formatione pulli in ouo, de metamorphoſi, de polypis, et quae huc pertinent, diiudicantur.

De germinibus duplex eſt ſententia, vt ſcilicet illa vel ſint inuoluta, vnumque contineat reliqua, inde euoluenda: vel ſint vndiquaque diſſeminata, nec niſi conueniente matrice ſuſcepta formentur.

Incre-

Incrementum corporum a nutritione ſeu nouarum p. 4.
particularum, antea praeparatarum, appoſitione pendet, quam in contextu celluloſo fieri autumat Noſter. Generatio obſcura quidem, forte aliquando p. 10.
detegenda, duabus hypotheſibus anſam dedit, vel praeexiſtenti germini in ouo, vel ſpermaticis animalculis, per microſcopia detectis, cum quibus conueniat puluis ſtaminum in vegetabilibus, ſed in feminarum liquore pariter animalcula viſa ſunt. Hinc pronus eſt Auctor Cl. ad adſumendam ſententiam de ſucceſſiua euolutione, vt ſuccus ſpermaticus ea propter ſit ſuccus nutritius primarius germinis. Naſcuntur autem monſtra, quae vel partes aliquas extraordinario modo conformatas habent, vel minus recte coordinatas, vel pauciores vel plures ac neceſſe eſt. Huc pertinent etiam muli ex diuerſis indiuiduis geniti. Quoniam vero partes animalium p. 21.
diuerſae ſint ratione proportionis et conſiſtentiae, elementa earum quoque varietatem habent, quae facilius extendantur nec ne. Hanc poteſtatem autem exſerit fluidum nutritium ſeu liquor ſeminalis, cui inſunt diuerſa elementa, diuerſas partes nutrientia, a quorum defectu vel varietate monſtra proueniant. Liquor ſeminalis etiam, intrans in germen eiusque circulationis organa dilatans, in eodem, antea quieſcente, circulationem incipit. Sed germina, idonea tantum occaſione accedente, increſcunt et multiplicantur per gemmas et nouas propagines in plantis et animalibus v. c. polypis, aliisque vermibus, in quibus noua capita caudaeque regenerantur. Etſi autem talis gemma totius animalis aut plantae p. 31.
partes omnes contineat, aliquas tamen tantum emittat, cauſſam in ſtructura germinis vel in relatione corporis, vbi euolui debent, vel in externis quibusdam conditionibus quaerendam eſſe iudicat Noſter. Minima etiam germina breui temporis

ſpatio

ſpatio in immenſum augentur, quod ad fluidam magis naturam inclinant, hinc rarefieri nouisque moleculis additis increſcere poſſunt. Seruantur autem aeque facile ſub vario ſtatu ac guttula aquae, quae vel congelata, vel in vaporem reſoluta, vel alii corpori admixta, nunquam aqua eſſe deſinit. Ex quibus etiam argumentis varia huc pertinentia problemata ſolui poſſunt, quae quidem omnia adducere nunc non libet, non poſſumus tamen non profiteri, eam rationem nobis non facere ſatis, qua neceſſitatem coniunctionis vtriusque ſexus explanare ſtudet
p. 54. Noſter, quo nempe generatio magis regularis fiat, et defectus vnius indiuidui per alterum reſtituatur et contra, id, quod germinis praeexiſtentiae quodammodo videtur contrarium eſſe. In corporibus porro organicis nutritio fit per aſſimilationem alimentorum in ſui ſubſtantiam, quae alimenta iam ſubtiliora ad vegetabilia feruntur, animalia vero, quippe quae diuerſiſſimis vtuntur, ea prius mutant
p. 62. et deinde apponunt. Nulla vero metamorphoſis fit, elementa prima inorganica formant ſecunda ſeu germina ſua compoſitione, facultate quadam attractionis, hinc moleculae nutrientes non ſimplici ad ſuperficiem appoſitione, ſed etiam per intimiorem
p. 70. ingreſſum, *imbibitionem* nominat Cl. Auctor, organicis partibus adiunguntur. Sic extenduntur fibrae varia ratione, ſolidaeque magis euadunt. Fluidum autem ſeminale eſt germinis nutriens liquor, quod idoneas ſibi particulas adſumit, et quum in eodem ſeminali fluido variae ſint, diuerſas facient impreſſiones germini. Dum de germine haec ſecum conſiderat, en Cl. BUFFON ſuum de moleculis organicis, ſeſe vnientibus, proponit ſyſtema, inde generationem illuſtraturus; hoc itaque fuſe recenſet, et diiudicat Noſter, ſimulque multis argumentis ſuam de germine praeualere hypotheſin oſtendere ſatagit.

Haec

Haec olim, vt diximus, ſcripſerat Cl. Auctor, ſed iam retractans ſuam materiam, magis ad amplectendam ſuam opinionem incitatus eſt adſenſu et obſeruationibus Ill. HALLERI de formatione cordis in pullo factis*). Ex adductis iisdem vero concludit, prout in omni ouo, etiam non foecundato, vitellus eſt pullusque, ita in omnium feminarum ouis praeexiſtere germen, itemque de ouis vegetabilium demonſtrat: multis Ill. HALLERUM de hac inuentione, qua vitellum eſſentialem pulli partem eſſe euicit, exornans laudibus, nec non HARVEYI obſeruata, quibus epigeneſis ſolet confirmari, e contrario his admodum eſſe conſentanea. Quum itaque principium exiſtentiae partis eo demum tempore factum fuiſſe adſumatur, quo primo apparere incipit, quamuis antea iam adfuerit, denuo in metamorphoſibus inſectorum, immo in vegetabilibus, cum animalibus comparatis, euolutionis teſtimonia adfert. Non enim in erucis tantum omnes papilionis partes, ſed etiam oua detecta ſunt, itidem in vegetabilibus, in gemmis et ſeminibus, partium rudimenta obſeruata. In animalibus hanc euolutionem vis cordis arteriarumque praeſtat, quippe qua nouae moleculae adducuntur, et incrementum faciunt, aliae per tranſpirationem, etiam in ouo, diſſipantur. In plantis haec vis quidem deeſt, nihilo tamen ſecius ſucci celeriter adſcendunt, quem mechaniſmum autem incognitum eſſe ſuſpicatur Cl. Auctor. Interim ex molli in duriorem ſubſtantiam vegetabilium mutatio aeque ac in oſſibus contingit, quod ex Cl. DU HAMEL obſeruationibus comprobatur. Lex itaque vniuerſalis in producendis corporibus ex germine euoluto eſt, quare nunc concidere videntur

p. 124. p. 151. p. 162.

*) De his expoſuimus Comment. Noſtr. Vol. VII. P. II. p. 234.

tur omnia reliqua, de generatione propoſita ſyſtemata, quae denuo Noſter perpendit, ad mirificas
p. 182. ſimul, quae in polypis fiunt, et ex Trembleyanis tentaminibus fuſe repetuntur, reſpiciens mutatio-
p. 218. nes. Nunc enim, quod olim Cl. LEIBNITIUS hariolabatur, ex his conſtat, polypos cum vegetabilibus, quaſi ex gemmis naſcentes, conuenire, eſſeque inter corpora naturalia affinitatis gradus. In mineralibus tantum aliqua ſupereſt obſcuritas. Ex his autem ſimul patere arbitratur Noſter, ex analo-
p. 229. gia concludere ſemper non ſufficere. Quo vero certius conſtet de gemmarum germinumque, ſiue animalium ſiue vegetabilium indole, quae in vegetabilibus de his, vtpote facilius diſquirendis, cognoſcantur, ſtudioſe exponit. Vulnus itaque arboris, ablata parte corticis, conſolidatur ſic, vt ſuperiore in vulneris loco primo, deinde in reliquo ambitu enaſcatur protuberantia, quae ex interiore corticis ſuperficie producatur. Haec ab initio gelatinoſa gryſea, dein viridis fit, et cicatricem facit. In pullo viſcera quoque ab initio mucilaginoſa videntur, ſed
p. 235. mucilago organica eſt. Ex ligno autem nunquam noua productio fit, ſed ex alburno, imperfectiore quaſi ligno, quod ex cortice ſenſim manifeſtius prodit. Hinc etiam ligni oſſiumque in animalibus conformationem ſimilem eſſe adſerit Cl. Auctor, quae ſententia eſt Cl. DU HAMEL, oppugnata ab Ill. HALLERO, defenſa a Cl. FOUGEROUX, quorum ſingulorum argumenta hic recenſentur, ex quibus patet, in vegetabilibus aeque ac animalibus ſucceſ-
p. 251. ſiua euolutione perfectas partes reddi. Dicta namque protuberantia in laeſionibus arborum nata, ex deſcendente ſucco fit, et nouis productionibus, v. c. radicis inſeruit; ſine hac rami non facile creſcunt, ea praeſente vero radiculas agunt. Hac occaſione multa alia ſimul contemplatur phaenomena, in gemmarum

marum inoculatione conſpicua, quae tamen penes ipſum Cl. Auctorem ſunt legenda. Germina in p. 269. omni parte arboris diffuſa eſſe credit, quae vero non niſi accedentibus quibusdam conditionibus euoluuntur. Multa quoque ſunt, quae productionibus animalibus nouarum partium, ceu eorum gemmis aeque conueniunt.

Quare nunc *altero* libri *tomo* de his copioſius diſpicit Cl Auctor, et octo diuerſis capitibus de his agit, ita vt partim reſtitutiones partium perluſtret et diiudicet, partim foecundationem atque generationem animalium, nec non monſtrorum prouentum ponderet. Sed, quum ea, quae in vegetabilibus fieri perſpicimus, phaenomena in animalibus multum illuſtrent, quid in polypis atque lumbricis terreſtribus, in reproductione partium contingat, ad normam vegetabilium, ex gemma iterum prodeuntium, diſquirit. Optat vero, vt quae a Cl. REAUMUR et ſe facta ſunt in lumbricis tentamina, ab aliis iterum ſtudioſius repetantur. Vidit nempe p. 6. lumbricum per medium diſſectum, ex ea parte, quae caput habebat, ſeſqui menſis ſpatio ita propullulaſſe et perfeciſſe corpus, vt ſuis iterum officiis defungi potuerit, in aliis tardius res euenit, nec ſemper eodem felici cum ſucceſſu. Protuberat autem in loco abſciſſo noua pars organica, euolutione perficienda, ſimillimo ac in arboribus modo. Euidentiora momenta praebuit vermis aquae dulcis, de quibus etiam egit Cl. Auctor in *inſectologia*, ſic chelae cancrorum, multis factis tentaminibus, regeneratae inueniuntur. Nec appoſitio ſucceſſiua nouam facit p. 21. partem, quin potius incrementi ratio germen organicum euolui ſuadet, quod in aliis animalibus in ouariis latet, in vermibus hiſce vbiuis in corpore diſtributum haeret. De his tamen ſic iudicat, vt p. 29. prioris generis germen toti corpori in vniuerſum

 produ-

producendo ſufficiat, poſterioris vero non niſi parti, quae reſtituenda eſt; confuſionem in productione non fieri; ob variantem humorum aſcendentium et deſcendentium directionem. Si loco capitis cauda naſcitur, forte non niſi germina caudae adſunt. Eſt enim in variis adhuc obſcuritas conditionibus. Sed
p. 45. redit Noſter ad Polypos, notamus tantum, eundem partes polypi lacerati inter ſe, prout oculum arboris,
p. 53. iterum iunctas vidiſſe, idque eo facilius, quod omnimoda inter partes polypi analogia eſt, quae aptam in vegetabilibus quoque vnionem efficit. Eadem
p. 56. ratione miranda in vulneribus reſtitutio contingit, experientia Cl. DU HAMEL confirmante, nec non calcare galli, quod criſtae inſeritur, circa quod ligamentum capſulare et lateralia, quae nondum extiterant, accreſcunt. Praeterimus iam reliqua multa,
p. 76. a polypis millepedibusque deſumta exempla. Ad metaphyſica enim pergit Cl. Auctor. Praeſupponit itaque polypis etiam ineſſe animam, quae, quum diuidi ob ſimplicitatem nequeat, aeque ac ex matre non abit animae pars in foetum, nunc coniicitur in germine antea extitiſſe atque cum germine ipſo
p. 82. euolui. Hinc polypus regeneratus *noua perſona* eſt: hac autem admiſſa coniectura, reliquae mutationes et inſectorum quoque metamorphoſes facile explicantur. Ipſam deinde foecundationem generationemque animalium intuentes, obſeruamus eam plerumque duplicis ſexus coniunctione fieri, neque tamen et haec norma ſine exceptione eſt, id, quod Cl. Auctor pro ampla ſua eruditione variis et multa attentione perueſtigatis, diuerſorum animalium exemplis corroborat. Diſſerit enim de piſcibus, muſcis, araneis, apibus, papilionibus, ſcarabaeis, gall - inſectis, bufonibus, ranis, praeſertim de animalibus hermaphroditis, vt limacibus, lumbricis terreſtribus, et quum haec, vtroque licet ſexu inſtructa, per ſe non gene-

generent; repetitis tentaminibus vermiculos *puce-rons* dictos, hac facultate inſtructos eſſe docet, quamuis iidem quoque antecedente coitu nonnunquam generent, in quibus etiam hoc ſingulare eſt, vt aeſtate viuipari ſint, autumno vero ouipari, horum cauſſa maris acceſſum neceſſarium eſſe coniicit. Sic etiam polypi ſunt androgyni. Omnia vero inſecta, quae metamorphoſin ſubeunt, poſt eam factam demum ſexum oſtendunt, quo loco Noſter varias iterum Cl. BUFFONII opiniones refellit. Praeterea aliae in generationis negotio varietates occurrunt, tempus oeſtri venerei admodum diuerſum eſt, nec non effectus, inſecta poſt copulam plerumque exhauſta viribus moriuntur, alia non aeque, differenti tempore partus fit, alia viua pariunt animalia, alia oua ponunt, alia vtrumque perficiunt. TREMBLEYUS communicauit cum Cl. Auctore obſeruationem ouulorum polypi, *polype a Pennache*, quae ſicca per aliquot menſes conſeruauit et nouos inde polypos educauit, quod cum ouis piſcium forte fieri poſſe autumat. Polyporum autem natura nondum ſatis perſcrutata eſt, hinc denuo ratione propagationis de diuerſis ſpeciebus agitur. Mirari conuenit, muſcam araneam oua ponere, quae eiusdem magnitudinis foetus, ac ipſa mater eſt, contineat, ſed, quum de omnibus hic pertinentibus conditionibus pro rei dignitate exponere nequeamus, notamus tantum, Cl. Auctorem luculenter oſtendere, vera haec ouula non eſſe, ſed in matris iam ventre metamorphoſin pati foetum et ſub informis nymphae ſpecie naſci, immo nympham, antea mollem et inconditam, perfecte formatam vidit, ouulo in aquam calidam immiſſo. Inde ſimul concludit, ſyſtema epigeneſeos nullo modo, euolutionis admodum explanari. Alia oua iam excluſa creſcunt, vt in gallis, alia plures embryones continent, ouorum autem et

p. 119.
p. 134.
p. 148.
p. 155.
p. 171.
p. 182.

foetuum numerus in vna generatione diuerſiſſimus
p.203. eſt. Viuipara animalia pauciores foetus, ouipara
plures, immo plurimos, vt piſces, inſecta v. c. *les*
pucerons, ſingulus circiter 90 parit, et quinta iam
generatio erit 5904, 900000. incipiunt tamen pa-
rere aprili menſe et continuant in nouembrem vs-
p.185. que. His itaque nouis detectis propagandi modis,
non vt hucusque factum eſt, in ouipara et viuipara
tantum animalia diuidere poſſumus, ſed addere
p.205. etiam ramipara, bulbipara et nymphipara. Nouam
animalculorum claſſem, ex iis in infuſionibus iuſcu-
lorum carnium, plantarum aliisque inueniendis, pro-
poſuit Cl. NEEDHAM, ex filamentis ſcilicet eadem
naſci, zoophyta nominat, varia tamen in contra-
rium diſputat Noſter, quum omnia animalia ex aliis
produci certiſſima naturae lex ſit.

p. 228. Nunc ergo ex dictis prona eſt concluſio, ger-
men praeexiſtere in ouulo, in euolutione augeri,
nouis partibus nutritione et circulatione adductis,
et quum cauſſa phyſica motus cordis in irritabilitate
ſit, ſtimulum efficere liquorem ſpermaticum, eun-
demque, vt in mulo clarum eſt, mutationes organi-
cas modificando producere, mutat enim vocem
p.245. in adulto ſpermatis ſecretio. Sperma ad matricem
et ouula defertur, germen nutriendum eſt et euol-
uendum per fluidum conuenientibus moleculis in-
ſtructum, id eſt, quae certas proprietates habet
maris, ex quo deſumitur. Hinc apparet vis mu-
tandi in mulo deprehendenda, et quare infantes
matri vel patri ſimiles euadant, imaginatio matris
p.267. autem nullam in foetum vim habeat. Etſi germen
cum ouulis creſcat in ouariis, ſine ſpermatis tamen
actiuo acceſſu totum euolui nequit. Eadem pene
ſententia de generatione eſt Cl. BOURGUET, nec
non Auctoris Encyclopaedias et Ill. HALLERI,
quan-

quantum vero eadem diſtet a Cl. Auctoris dilucidatione, argumentis euincere ſatagit. Androgynorum foetus vtpote longe molliores, a propriis matris ſuccis ita viuificari arbitratur, vt vlteriori acceſſione opus non ſit. Monſtrorum tandem conformatio multum vexauit phyſiologos, quippe quae vel ex monſtroſo iam germine, vel vnice a cauſſis accedentibus prouenire dicebantur. Poſteriori potiſſimum fauet Noſter hypotheſi. In monſtris vel exceſſus vel defectus partium, vel earum transpoſitio peccat; ſunt qui duorum germinum confluxum in exceſſu partium accuſant. Poſſe autem duo germina confundi facile intelligitur, ſi ad formam pulli in ouo reſpicias, quae a figura ſic dictorum animalculorum ſpermaticorum parum abeſt, et vnioni alterius accedentis non repugnat, in primis, quod partes foetus omnes neutiquam ſimul euoluuntur, hinc euolutio contactu, preſſione, adhaeſione, penetrationeue mutari poteſt, accedit gelatinoſa germinis poſt foecundationem indoles, partiumque quaſi ductilitas vt idem ac in polypis hic contingere queat in germine, quod impoſſibile eſt in foetu iam formato. Eadem ratione partes inter ſe cohaerentes per cauſſas accedentes disiungi diuidique poterunt, monſtra etiam, vt in familia Maltenſi propagari, ſi praeſupponamus, liquoris ſpermatici efficaciam ſingularem ſolidarumque partium germinis habitum, nondum ex aſſe cognitum. Immo vix improbabile eſt, germinibus creſcentibus ante foecundationem monſtroſam induci poſſe indolem.

p. 286.

p. 295.

p. 303.

Candide expoſuimus Cl. Auctoris argumenta, totus certe liber lectu digniſſimus eſt, obſeruationum integritate eruditionisque apparatu refertus. Hinc etiam praeſagimus, naturae ſcrutatores tertium volumen, quo euolutionis legem vniuerſalem

vlterius probare, modos etiam, quibus animalia vegetabiliaque increſcunt et ad perfectionem deueniunt, perſcrutari promittit, nobiſcum vehementer praeſtolari.

IV.

A ſupplement to the firſt part of Medical Commentaries. By D. HUNTER. London, printed by A. Hamilton. 1764. 4. pl. 4.

id eſt:

Commentariorum medicorum P. I. ſupplementum. Auctore D. HUNTER.

Alibi iam notauimus *) Cl. HUNTERUM aduerſus Cl. POTTIUM et ALEX. MONROUM Sen. varia monuiſſe. Priorem enim, de hernia opinionem, a Noſtro demonſtratam et inuentam, ſuam feciſſe euincere annitebatur, nunc vero magis probat, et alia, vt plagiarii crimen, ipſi imputat, poſterior filii ſui partes tueri occupatus, in *poſtſcripto*, quod vocat ad aliquas quaeſtiones reſpondere prouocatur. Nos, quum in primis acriter actas controuerſias indicaſſe tantum ſufficere arbitremur, nihil monemus, hoc vnicum addituri, Cl. POTTIUM in altera editione libri de Herniis demum contra Cl. HUNTERUM ſcripſiſſe, Cl. MONROUM autem expoſuiſſe mentem ſuam in ſequenti libello:

V. An

*) Vid. Comment. Noſtr. Vol. XI. P. II. p. 282.

V.

An expoſtulatory epiſtle to WILLIAM HUNTER M. D. Edinburgh, printed for G. Hamilton. 1762. 8. pl. 2.

id eſt:

Litterae controuerſae ad WILH. HUNTERUM.

Nomen ALEX. MONROI demum in fine additur. In his autem varias ob cauſſas conqueritur de Cl. HUNTERO, a quo candori animi, ingenuitatique ſuae detractam partem profiteatur, NOORTWYCKII loca, de connexione vaſorum vteri cum vmbilicalibus, male interpretata non eſſe doceat, nec ſe ſenſibilem perioſtii indolem in vniuerſum adfirmaſſe declaret. p. 8. p. 23.

Non poſſumus tamen non, quin hac data occaſione alius etiam mentionem faciamus tractatus, cui conſcribendae occaſionem ſuppeditauit Cl. HUNTERI Commentariorum P. I. Eſt autem ille:

VI.

Obſeruations on D. HUNTER's Medical Commentaries. By I. GARNER. M. D. London, printed for W. Sandby. 1762. 8. pl. 4.

h. e.

Obſeruationes in D. HUNTERI Commentarios medicos Auctore I. GARNER. M. D.

Redeunt hae ad ſequentia: Vaſcula epididymidis reſorbentia ab Ill. HALLERO adfirmari. Venas autem ſanguiferas, quas Cl. HUNTERUS *) a reſorbendi facultate remouerat, omnino tali officio praeeſſe, p. 10.

*) Vid. Comment. Noſtr. loc. cit. p. 284.

eſſe, arterias rubras ſuis orificiis minimis exhalare,
p. 12. quippe per quas, aqua, oleum, ſoluta ichthyocolla et cera tranſeat, varia pro transſudatione confirmanda argumenta adducta aeque exhalationi fauere; in cadauere fieri, quae in viuo corpore a compacto habitu et tenſione vaſorum negantur; immo ſanguinem rubrum exhalari in morbis ſine vaſorum ru-
p. 19. ptura, vt in haemoptoe vidit Noſter; itidem in venis docent tentamina accurata variorum ſcrutatorum, inter alios Cl. KAAW adducit, reſorptionem liquido in venis demonſtrantem, ſimulque monet experimenta, in viuis capta, ob dolores variasque, quas excitant, turbas, ab omni dubitatione ſemper non liberas eſſe; in abdomine aperto muſculos,
p. 31. ad venarum actionem multum tribuentes, deſiderari; orificia abſorbentium vaſculorum ab omni acrimonia claudi; coloratam farinam ac lac, nimis craſſa,
p. 33. in minima non ingredi; immo Cl. HUNTERUM venas meſaraicas ad inteſtina aerem transmittere poſt mortem vidiſſe. Ad confirmandam hanc theſin et HALLERI vtitur obſeruatione, ſanguinem venarum diuerſi coloris oſtendente, et venarum rubrarum in cellulas corporum cauernoſorum penis apertura et reſorbendi potentia, nec non venarum in vterum oſtiis hiantibus.

Tandem non praetereundem eſt, in ſuperius adducto ſupplemento Cl. HUNTERUM ſpem facere edendi de vtero grauido libri, cuius demonſtrandi cauſſa iam ſedecim tabulae aeneae olim confectae, nunc ab ipſo perficiendae ſint. Optamus, vt proxime tradantur orbi erudito.

VII. Fort-

VII.

Fortſetzung der vorläufigen Nachricht von einigen das Geſchlecht der Pflanzen betreffenden Verſuchen und Beobachtungen von IOSEPH GOTTLIEB KOELREUTER, *der Arzneywiſſenſchaft Doctor, und Herzogl. Würtembergiſchen Profeſſor der Naturhiſtorie. Leipzig in der Gleditſchiſchen Handlung* 1763. 8. *pl.* 4 ½ *Zweyte Fortſetzung. Leipzig* 1764. *pl.* 8.

i. e.

Continuatio prima et ſecunda relationis praeliminaris de variis ad ſexum plantarum ſpectantibus tentaminibus et obſeruationibus. Auctore D. IOSEPHO GOTTLIEB KOELREUTER.

Quae olim obſcure admodum cognita, noſtris vero temporibus extra omnem dubitationem poſita eſt de ſexu plantarum opinio, multum vtique lucis, ex diuerſarum plantarum artificiali accipit compoſitione. In hac neminem deſudaſſe maiori cum induſtria ſcimus ac Cl. Auctorem, cuius ea propter ſuſceptorum laborum conamina iam alibi adduximus *). Progredimur itaque nunc ad *primam Continuationem*, qua placuit Noſtro vlterius confirmare dicta. Verum, quod ſtigmata humida eſſe decet, ſi a fluida antherarum pulueris parte debeant foecundari, in introductione ex vtriusque ſexus ſeminis commixtione tertium enaſci autumat. Maxima vero perfectio noui corporis producti in facultate generandi ponenda eſt, quae vero hybridis plantis

*) vid. Comment. Noſtr. Vol. X. P. III. p. 469.

plantis in vniuerſum denegatur. Huius itaque momenti penitius inſpiciendi, nec non plantae eiusmodi naturae in genere intelligendi cauſſa, experimenta omni, quae requiritur, cura cepit et recenſuit hic viginti duo, quorum aliqua a Cl. KOELREUTERO penes nos facta fuiſſe grati recordamur.
p. 10. Primo inuerſo modo *Nicotianam paniculatam* per *ruſticam* foecundauit, quod tentamen nunc felicius ac olim ſucceſſit, vt ſimillima facie obtineretur planta hybrida illi, quae ex inuerſa, ſupra recenſita, foecundatione prodierat. Factitia haec planta per ſe plane infoecunda, aſperſo puluere ex planta patris vel matris aliqua tamen ſemina matura produxit. Adhibuit autem haec ſemina ad noua tentamina, quo inde perſpiciat, num ad naturalem iterum re-
p. 12. deant ſtatum. Si cum *ruſticae* tanquam matris puluere iungebatur, huic vicinior euaſit, et contra ad *paniculatam* patrem magis acceſſit, huius applicato puluere. Interim nec matrem nec patrem plane iterum referebat, variis potius conditionibus ab his differebat, immo monſtroſi quidquam oſtendebat. Nonnunquam tamen vel a patris vel a matris parte in ſimplici hybrida planta aliquid foecundationis ſupereſſe viſum fuit. Sunt talium compoſitionum inſtituta experimenta adhuc varia, a Noſtro expoſita, per quae, aeque ac priora tentamina quoque monſtroſa nonnunquam inducebatur diuerſis plantae partibus fabrica. Ex omnibus autem illis, quod ſingula vberius adducere non poſſumus, praecipuam meretur attentionem vera quaedam hybrida
p. 32. *Nicotiana*, quae ex tribus diuerſis ſpeciebus enaſcebatur, ex matre ſcilicet *ruſtica*, et patribus *paniculata* atque *perenni;* etſi haec tota infoecunda euaſerit, in omnibus tamen ſuis partibus, quoad magnitudinem, ſitum, nexum, proportionemque mutationes paſſa fuerat mirandas, quas non ſolum egregie de-

ſcripſit,

ſcripſit, verum etiam menſuras ſingularum partium floris in ſingulari tabula addidit Noſter. Tandem etiam varietates ſpecierum coniunxit, et inde hybridas progenuit, florum colore vario ludentes, vt in Leucoiis. Id vero ex iteratis eiusmodi tentamini- p. 47.
bus euenit, vt claſſes, ordines, generaque plantarum conſtituere poſſet. Sunt huius ſyſtematis claſſes tres: *Prima* plantas hybridas perfectas continet (*vollkommene Baſtarte*) quae ex vnius generis duplici vel triplici ſpecie prouenerunt, ſine acceſſu tamen ſpermatis proprii maſculini: *ſecunda* hybridas imperfectas ſiſtit, in quarum generatione aliqua portiuncula ſpermatis maſculini proprii praeter peregrinum acceſſit: *tertia* varietates hybridas complectitur, ex duplici varietate vnius ſpeciei enatas, excluſo penitus ſpermate maſculino proprio. Ordines harum claſſium comprehendunt *hybridas ſimplices*, ſeu, quae ex diuerſis vnius eiusdemque generis ſpeciebus exortae ſunt, vel *compoſitas* ex compoſitione trium ſpecierum productas. Genera ex facultate plaſtica deſumuntur, vel enim ex vtraque parte, matris et patris infoecundae prorſus ſunt, vel a parte patris infoecundae exiſtunt, quae a parte matris aliquid foecunditatis retinuerunt, vel ab vtraque parte aliquam fertilitatem habent, vel, vt in varietatum coniunctione, prorſus foecundae manent. Porro p. 51.
hybridas diſtinguit in eas *gradu aſcendente vel deſcendente* tales, hae adſcititiam peregrinam formam iterum deferentes magis ad naturalem ſuam redeunt, ſiquidem vel matris vel patris polline plaſtico foecundantur, illae his contrariae ſunt. Fertilitas ſeminum in omnibus vel hinc illincque aliqua, vel nulla. Sed, quum varietates, inter ſe artificioſa hac ratione coniunctae, fertilitatem habeant, ex hac p. 58.
conditione ſpecies et varietates optime dignoſci poſſe arbitratur Cl. Auctor. Vltimo tandem loco de

de viſco differit, in quo apparatus, antheris ſimilis, ſpongioſam ſubſtantiam in floribus maſculis ſuperficiei corollae adhaerentem ſiſtit, huius autem foecundatio a ſolis peragitur inſectis.

Vlteriora tentamina proponit *altera continuatio*, ſiquidem ad comprobandam veritatem nihil intermiſit Cl. KOELREUTERUS, quod ad illuſtrationem pertineat. Facta illa ſunt cum Verbaſcis, Nicotianis, Dianthis, Hibiſcis, Stramoneis, Ialapis, Leucoiis. Verbaſcorum ſcilicet quatuor ſpecies inter ſe commiſcuit, ſemina accepit, ex his nouas plantas educauit, inque iisdem mutationes obſeruauit, diſſimiles patri matrique. Has ſingulas in caulibus, foliis, floribus eiusque partibus admodum ſollicite et ita deſcripſit, vt ſingularum menſuram
p. 36. proportionem, directionem cet. adderet. Mater eſt *Verbaſcum phoeniceum*, patres diuerſae ſpecies huius generis, hybridae tamen cum parentibus me-
p. 31. diam proportionem vbique tenebant. Quare etiam *Blattariam flore ferrugineo* EHRETI Pl. Select. Dec. II. Tab. XVI. hybridam eſſe ſuſpicatur, eiusque vlteriorem inquiſitionem naturae ſcrutatoribus commendat. Omnes plane infoecundae manſerunt, pollinis ſpermatici globuli parui, parum olei continebant, ipſaeque antherae vix diſſiliebant; flores tamen diutius durabant ac naturales. Nec non incrementum celerius procedebat, primo enim, quod in naturalibus ſecundo fieri ſolet, anno iam flores
p. 41. expandebantur. Itidem, quae ex *nicotiana paniculata* matre et *glutinoſa* patre prouenerat, planta, plane infoecunda fuit. Sed praeterimus reliquas cum variis nicotianae ſpeciebus inſtitutas obſeruationes, notantes tantum, ex iis certiorem factum fuiſſe Cl. Auctorem, nicotianas, perennem, maiorem vulgarem, maiorem latifol. fl. albo, tranſyluanicasque duas, quarum differentes notae paſſim

omnes

omnes recenſentur, meras varietates fuiſſe, ſimulque clare eundem denuo vidiſſe, proprio et alieno puluere foecundatas ſemper, tamen maternas et foecundas produxiſſe plantas.

De liquore demum illo, qui ex ſtigmatibus exſudat, adhuc dubitatio enaſcitur, num ille verum ſperma femininum ſit, ad generationem maximopere neceſſarium; num liquor tantum ad ſperma virile in piſtillum deducendum idoneus. Hinc iterum diuerſis opus erat diſquiſitionibus, ſtigma humidum itaque prius charta bibula, quantum fieri potuit, ſtudioſiſſime exſiccauit Noſter, et v. c. nicotianae ruſticae applicauit liquorem femininum paniculatae, proprio polline ſpermatico conſpurcauit, et ruſticas nicotianas inde obtinuit, idem ſucceſſus cum aliis, vt hinc liquorem femininum pro ſpermatico habendum eſſe, nondum certo definire audeat, in contrariam potius partem abire malit. Deinde ex aliis etiam, quibus ſimul conſtat, hybridas plantas tandem iterum poſt varia tentamina ad naturalem ſuam redire indolem, obſeruationibus adducimus aliquam, qua pollinem antherarum verum et genuinum ſperma eſſe euincitur. Inunxit ergo ſtigmata florum cum oleo amygdalarum in nicotiana ruſtica, optimo cum ſucceſſu, nullo modo impedita foecundatione, idem effectus cum oleo, nucum, iaſmini, lini, tum in hac tum in aliis plantis. Dianthi varias hybridas plantas et elegantes dederunt flores, quarum deſcriptio vero huc transferri nequit. Interim nec pollen ſtaminum liber eſt a morbis, corruptionem vidit Noſter, reſolutionem in granula minima, ſed ſimul foecundandi facultatem extinctam. Conuenit fere morbus cum frumenti rubigine. Datura et Ialappae varietates colorem florum et aliarum partium plantae poſt applicationem pulueris mutatam ſiſtunt.

p. 69.
p. 92.
p. 121.

Quodſi

Quodſi nunc curatiori penſitans animi intentione ea, quae in genere potuimus adducere, obſeruata Cl. Auctoris ponderet aliquis, generationis hiſtoriam, in primis vegetabilium non parum inde illuſtrari concedet, ipſamque plantarum ſyſtematicam cognitionem dilucidari perſpiciet. Optamus vt, quam promiſit Cl. KOELREUTERUS, vberiorem demonſtrationem, naturae ſcrutatoribus atque amicis diutius non inuideat.

VIII.

Diſſ. inaug. medica de variolarum exſtirpatione inſitioni ſubſtituenda. Praeſide CAROL. CHRIST. KRAUSE, Med. Doct. et Facult. Med. Aſſeſſore etc. Reſp. *Fried. Gotth. Beer.* Lipſ. 1762. in 4. pl. 5½.

Quum ſatis magnus ſit numerus librorum, qui intra aliquot annorum ſpatium de inoculatione variolarum editi ſunt, rogamus Lectores noſtros, vt excuſent tarditatem noſtram, qui nondum de omnibus in commentariis noſtris retulimus. Cum vero in tota controuerſia, quae nunc in ea cauſſa geritur, multi editi libri quandam inter ſe relationem habeant, nos apud animum propoſuimus, tales libros vna ſerie nec interrupto orationis filo recenſere. Commemorabimus autem in praeſenti eos praecipue, qui de exſtirpatione variolarum agunt.

Eſt vero primus libellus in hoc genere, diſſertatio Cl. KRAUSII, cuius titulum hic videtis. Decreuit autem hic Cl. Vir in ea diſquirere: *num fieri poſſit, vt variolarum morbus fugetur, et exſtirpetur radicitus?* Demonſtrat vero primum, variolas morbum
p. 5. eſſe nouum, hoc eſt, morbum talem, quem veteres

Graeci

Graeci et Latini medici penitus ignorarunt. Porro docet, eum ſolo contagio propagari, qua in re, vt in multis aliis, magnam cum peſte ſimilitudinem habet. Deinde, dum Noſter ad variolas artificiales tranſit, p. 16. demonſtrat, has inſignem praerogatiuam prae naturalibus habere. Concludit tandem, variolarum p. 28. inſitionem in loco et tempore, atque in homine ad eam idoneo, debita cura et diligentia adminiſtratam, reprehendi iure non poſſe, cum vix in milleſimo aliquando decipiat. Ad praecipuas vero obiectiones, quae contra variolarum inſitionem ſolent proferri, reſpondet et diſquirit, an homo, qui ſemel iam variolis vexatus ſit, ab illis in futurum liber poſſit eſſe? Commemoratis aliquot exemplis ex aliis p. 31. auctoribus, Cl. Auctor narrat, ſe ipſum puellam noſſe, quae quater variolis laborauerit, bis nempe veris, ſemel acuminatis, et ſemel lymphaticis. Interea concludit Noſter, vnum alterumque tale exemplum, inter tot millia contrariorum obſeruatum, vix poſſe in cenſum venire, nec protinus terrorem incutere debere. Et credit inde, variolas, inſitione productas et feliciter ſuperatas, ſatis tutum remedium prophylacticum eſſe poſſe. Ad quaeſtionem, qui fiat, p. 33. vt homo ſemel variolis tentatus, poſtmodum tam difficulter in eundem morbum relabatur, ita reſpondet, vt doceat, ſyſtema neruoſum quandam quaſi familiaritatem cum materia varioloſa contraxiſſe, et huius veneni ſtimulo aſſuetum quaſi eſſe, quod opii et mercurii exemplo illuſtrat. Negat, vna cum pure etiam ſemina aliorum morborum in corpus introduci poſſe, quia alii morbi non tantum p. 34. inficere ſolent, quam variolae, cum minorem vim contagium eorum habeat; quia ſemper pus ex corpore ſano ſumitur, et quia denique nullum exemplum adeſt, quod probet, cum pure etiam ſemen aliorum morborum in inſitione communicatum fuiſſe.

p. 36. Quamquam vero ex iam dictis patet, inoculationem bonum contra variolas prophylacticum remedium eſſe; tamen in genere nocet, quia ſemper inſitione contagium varioloſum magis propagatur. Contagium vero, a variolis artificialibus ortum, aeque vehemens et periculoſum eſt, ac id, quod a variolis naturalibus propagatur. Concludit itaque Cl. KRAUSE, ſi remedium inueniri poſſet variolas penitus ex Europa depellendi, hoc remedium multo ſalubrius futurum eſſe, quam tantopere laudatam iſtam inoculationem. Penitus illas exſtirpari poſſe, hactenus impoſſibile putat, quod cognouimus cauſſam, vnde hic morbus primo in Aegypto vel in Arabia natus ſit. Sed ad fugandum illum ex Europa, ex ſua ſententia, eadem remedia adhibenda ſunt, quae ad impediendam contagii peſtis propagationem tam felici cum ſucceſſu temporibus noſtris adhibita ſunt.

IX.

Sendſchreiben von der Ausrottung derer Kinderblattern von FRIEDRICH CASIMIR MEDICUS, *Churfürſtl. Pfälz. Garniſ. Phyſ. zu Manheim der Röm. Kayſ. Acad. der Naturf. u. Chur-Bayer. Chur-Maynz. Acad. Mitglied. Frankfurt und Leipzig* 1763. 8. *pl.* 8.

i. e.

Epiſtola de exſtirpatione variolarum, Auctore FRID. CASIM. MEDICO.

Haec Cl. MEDICI epiſtola ad Ill. IOH. ANT. DE WOLTTER, Medicum primarium Sereniſſ. Electoris Bauariae data eſt. Commotus vero inprimis eſt ad publicationem ſuarum cogitationum libello

Cl.

Cl. KRAUSII, ſupra iam commemorato. Demonſtrare autem in hac epiſtola annititur, variolas nihil ſingulare prae caeteris morbis habere; non oriri ex cauſſis obſcuris; non eſſe neceſſarium, vt quilibet homo iis laboret, ſed impediri potius easdem debere et poſſe. Aſſumit, febrem varioloſam febrem p. 5. eſſe inflammatoriam et quidem compoſitam. In ea ſanguis ſuperficiem corporis petit, et in vaſis ſtagnans, atque in cellulas effuſus, tandem in ſuppurationem abit. Si febris mitior eſt, benignae variolae naſcuntur, ſi violentior eſt, variolae confluentes prodeunt. In infantibus, et in iis, qui debiles fibras habent, benignae, in adultis contra et in iis, quorum fibrae rigidiores ſunt, confluentes ſolent eſſe. Cauſſae vero, quare ſanguis in febre varioloſa extra vaſa ſua effunditur, ſunt motus conuulſiui, cutis laxa et mollis infantum, maiorque in iis ad ſudorem procliuitas, nec non adſtantium metus, qui peruerſa medendi methodo inflammationem augent, effuſionemque ſanguinis promouent. Symptomata omnia in variolis occurrentia Cl. Auctor ex febre et effuſione ſanguinis oriri putat. Confluentes variolae propterea tandem noxiae ſunt, quia fortiorem febrim inflammatoriam comitem habere ſolent. In vniuerſum autem p. 17. ſecundum Cl. MEDICI opinionem variolae neque a materia quadam in corpore noſtro latitante, neque ex contagio aliquo ſpeciali naſcuntur. Omnium vero minime eſt morbus, quem quemlibet hominem timere oporteat.

His generalioribus, quibus, vt in his, ſic in aliis, aſſenſum praebere multi forte medicorum recuſabunt, praemiſſis, Noſter probare ſtudet, SYDENHAMUM iam variolas pro febre inflammatoria habuiſſe, et effluxum ſaliuae, qui in variolis obſeruatur, nihil eſſe peculiare, huic morbo tantum proprium, ſed ab inflammatione et inde orta glandularum ſaliualium

p. 31. compreſſione prouenire. Ex aliis deinde auctoribus multa exempla variolarum bis recurrentium allegat.
p. 43. Atque cum Cl. TISSOT conceſſerit, vnum forte inter centum homines variolas bis experiri, probare inde Noſter vult, quotannis in ſola Germania 211200 homines variolis bis inuadi. Quo vero Noſter explicet, vnde tam raro variolae ſecunda vice appareant, cum tamen ex hypotheſi eius tam frequenter redire poſſint: cutem aetate firmiorem
p. 48. factam eſſe aſſumit. Apparent vero ex illius opinione variolae bis, non ſolum tanquam variolae proprie ſic dictae, ſed etiam ſub ſpecie aliorum morborum e. g. morbillorum, variolarum ſpuriarum et febris ſcarlatinae. Affirmat, poſt expulſionem morbillorum cortice peruuiano adhibito. febreque bene moderata, morbillos etiam in veram ſuppurationem transire. Simile quid de variolis ſpuriis dicit, in quibus effici poſſit, vt in puſtulis eorum loco ſeri verum pus inueniatur.

p. 55. Ad quaeſtionem: an quilibet homo variolis afficiatur? negatiue Noſter reſpondet. Quod vero tam multi homines nihilominus hoc morbo vexentur, id adſcribit diſpoſitioni corporum ad morbos inflammatorios, metui et peruerſae medendi rationi. Concedit tamen, epidemicam aëris diſpoſitionem multum quoque ad hunc morbum conferre. Omnia
p. 77. contagii exempla ex metu deriuat. Commendata vero ab Auctore variolarum exſtirpatio hoc praecipue nititur argumento: febrem inflammatoriam, quantum fieri poſſit, debellandam eſſe. Vult igitur, in initio ſtatim operam dari, vt vis et impetus inflammatoriae febris, aut ad minimum ſanguinis effuſio infringatur. Quodſi vero impetrari non poſſit, tamen ſuppurationem ſaltem ſanguinis effuſi impediendam, et eo allaborandum eſſe, vt ſanguis

guis iterum reducatur. Denique occurrendum eſſe ſymptomatibus, quae per rationem medendi, hactenus vſitatam, non ſatis remota ſunt. Poſſe vero variolas meliore medendi methodo exſtirpari, docet exemplo purpurae, quam pro morbo variolis per omnia ſimillimo habet. In fine huius epiſtolae teſtatur Cl. Auctor, ſe inoculationem non penitus reiicere, cum certum ſit, ſaepius morbos, qui prorſus incurabiles credebantur, curatos tamen eſſe, febre in corpore excitata. Conatur nobis perſuadere, vt inoculationem hac in re tanquam medicamentum adhibeamus. Putat igitur in melancholia, arthritide, epilepſia, paralyſi, ſurditate, vtilem eandem fore. Nec minus in nonnullis generibus hydropis, vbi ſolida nondum vitiata ſunt, eam commendat. Noxiam contra fore putat in omnibus cacochymiis, ſcorbuto, lue venerea, tabe. etc. p. 111.

X.

Reflexions ſur l'Inoculation de la petite Verole, et ſur les Moyens, qu' on pourroit employer, pour délivrer l' Europe de cette Maladie. Memoire lù le 19 Iuillet 1763 dans l' Academie des Sciences, Belles-Lettres et Arts de Lyon, par M. RAST, fils, Docteur en Medec. de l' Univerſ. de Montpellier, Profeſſ. aggregé au College de Lyon, Membre de l' Acad. de la meme Ville, Honoraire de la Societé d' Agriculture, et Medecin de l' Hopital general de la Charité. a Lyon chès Aimé Delaroche. 1763. in 12. pag. 40.

i. e.

Cogitationes ſuper inoculatione variolarum, et ſuper remediis, quae adhiberi poſſint, vt Europa ab hoc morbo liberetur. Auctore Cl. RAST, filio.

Optimo animo et ardentiſſimo in patriam amore Cl. Auctor has coniecturas edidit et profitetur, ſe, ſi, quod melius ſit, ab aliquo doceatur, aut erroris conuincatur, magna cum voluptate id accepturum, et in vſum ſuum conuerſurum eſſe. Cum vero credat, inoculationem nocere, exſtirpationem autem variolarum et veneni earum poſſibilem eſſe, totam ſuam diſſertationem in duas partes diuidit et pri-
p. 5. mum diſquirit: *Vtrum inoculatio variolarum hominibus et populationi noxia, an innoxia ſit?* Vſus vero eſt Noſter ad demonſtrandam opinionem ſuam, nempe noxiam eam eſſe, indicibus mortuorum Londinenſibus. Comparat numerum mortuorum et natorum per 38 annos, qui anteceſſerunt annum 1721, quo inoculatio primum in Angliam introducta eſt, cum numero eorum, qui per 38 annos ab hoc anno 1721 aut mortui aut nati ſunt. Atque haec comparatio vtriusque huius numeri ipſi, vti putat, certiſſimum argumentum praebet, inoculationem populationi nocere. Nati vero ſunt intra hos 38 annos, ante annum 1721, 595058, denati 840370, inter quos 54040 variolis exſtincti ſunt. Ratio itaque eorum, qui ante inoculationem variolis moriebantur, ad eorum numerum, qui naſcebantur, eſt vti 90 ad 1000, et in vniuerſum ad numerum eorum, qui moriebantur, vti 64 ad 1000. Poſt annum 1721 vsque ad annum 1758 incluſiue Londini 613608 nati ſunt, denati 958527, inter quos 78005 vario-

loſi. Eſt itaque eorum numerus, quos variolae ſuſtulerunt, ad natorum numerum, vti 127 ad 1000, ad numerum mortuorum in vniuerſum vti 81 ad 1000. Ex quo colligit, Londini 22700 aut ad minimum 16294 aegrotos variolis plus denatos eſſe, quam ante inoculationem denati fuerint. Hinc concludit Cl. RAST, cum omnibus infantibus in prima infantia variolae inſeri non poſſint, aut inoculatio ita inſtitui, vt morbus varioloſus ab illa non magis vulgetur; inoculationem tanquam rem rei publicae valde periculoſam omnino expellendam eſſe. Ad probandum etiam damnum, quod inocu- p. 16. latione in ſingulis hominibus efficitur, commemorat infelices euentus, quos Lugduni habuit. Aſſerit, omnes fere, qui inoculationem permiſerunt, in ſuo corpore inſtitui, partim durante morbo, partim poſt eum, malis morbi effectibus et peſſimis ſymptomatibus vexatos fuiſſe, allegatque exemplum duarum puellarum, quae poſt aliquot annos, cum primo fruſtra inoculatae fuiſſent, veris tandem variolis inficerentur. Altera quaeſtio, quam Cl. Auctor proponit, *remedia* concernit, *quibus Europa ab hoc morbo* p. 20. *liberari poſſit.* Ad hanc vt reſpondeat, aſſumit, primo variolas haud eſſe neceſſarium aut ineuitabile malum; ſecundo, apud nos ſolum ex contagio naſci; tertio ſimiles fere eſſe per omnia peſti. Arbitratur itaque, ad euitandam propagationem veneni varioloſi, illudque penitus exſtirpandum, adhibenda eſſe remedia eadem, quae tam felici cum ſucceſſu temporibus noſtris ad euitandam peſtem adhibita fuerunt. Nempe dat conſilium hoc, vt aegroti ſeparatim in noſocomia includantur, atque propagatio contagii etiam per expoſitas militum excubias impediatur.

XI.

Nouveaux Eclairciſſemens ſur l' Inoculation de la petite Verole, pour ſervir de Reponſe a un Ecrit de M. RAST Medecin de Lyon. *(ſine loco et anno)* In 12. p. 36.

i. e.

Annotationes nouae ſuper inoculatione variolarum, velut reſponſio ad libellum Cl. RASTII Medici Lugdunenſis.

Auctor huius libelli eſt Ill. Eques DE CHASTELLUX, Praefectus Legionis Aquitaniae, qui etiam in alio libello, quem proxime indicabimus, inoculationis cauſſam defendit. Propoſuit autem ſibi Cl. RASTIUM ex iisdem necrologiis Londinenſibus refutare, quibus ille vtitur ad probandum, inoculationem noxiam eſſe. Aſſerit igitur, Cl. RAST inoculationi effectum tribuere talem, qui absque illa etiam exiſtere poſſet, nec bene admodum inde collegiſſe RASTIUM, auctum numerum mortuorum poſt in-
p. 4. oculationem ab illa ipſa ortum ſuum trahere. Proponit deinde ad refutandum eundem ſex quaeſtiones, quarum reſponſionem ſimul cuique illarum annectit, nempe: vtrum 38 iſtis annis, qui annum 1721 praeiuerunt, variolae ſingulis annis aeque malignae fuerint, neque numerus illo morbo mortuorum vno anno maior, quam altero fuerit? an ſequentibus 38 annis in proportione data auctus fuerit? qualem influxum in vniuerſum inoculatio in contagium habeat? annon auctus numerus mortuorum longe ſuperet numerum, qui produceretur, ſi aſſumatur, contagium inoculatione tantopere augmentatum eſſe? denique an auctus numerus mortuorum ſup-

ponat

ponat etiam numerum aegrotorum maiorem fuiſſe? In reſponſione harum quaeſtionum demonſtrat Cl. Auctor, ex aucto poſt inoculationem mortuorum numero non ſatis poſſe probari, huius rei cauſſam eſſe in inoculatione: potius variolas in 38 annis ante inoculationem, quoad numerum mortuorum, diuerſis annis etiam valde diuerſas fuiſſe: proximis praeſertim annis ante annum 1721 vim morbi vehementer increuiſſe, totamque differentiam, quae in vtroque mortuorum numero obſeruatur, ante annum 1721 et poſt eum, cui differentiae praecipuum argumentum Cl. RAST ſuperſtructum eſt, eſſe non niſi in quadam viginti annorum epocha, qua variolae valde benignae fuerint. Probat variolis poſt annum 1721 nunquam tam multos homines denatos eſſe, quam iſtis 9 annis, qui eundem praeiuerint. Putat, inoculationem contagium augere non poſſe, quia infantes, quibus ſolemus variolas inſerere, minorem corporis ſuperficiem habent, adeoque contagium non tantopere augent, cum variolae artificiales vt plurimum benignae ſint, atque ob hanc ipſam cauſſam non tam multae contagioſae particulae ex iis exhalent, iique tandem, qui inoculantur, ex reliquorum ſocietate facillime excludi poſſint. Probat autem Cl. Auctor argumentum ſuum etiam ex diuerſis aliis computationibus numerorum, eosque inter ſe comparat, quos vero allegare non poſſumus. Ex his vero omnibus hoc tandem concludit: ab augmentatione numeri variolis Londini denatorum nullum argumentum contra inſitionem duci poſſe; auctum enim hunc numerum tantum probare, malignitatem variolarum auctam eſſe. Quae quidem aucta vis morbi orta praecipue ſit ab vſu valde noxio ſpirituoſorum liquorum, quos Angli, vti notum eſt, nimis frequenter adhibent.

p. 9.
p. 13.

p. 29. Ad calcem huius libri annexum eſt excerptum ex necrologio Londinenſi ab anno 1629 ad annum 1758. Reperimus in illo numerum natorum, et eorum, qui tum in vniuerſum, tum variolis praecipue mortui ſunt, etiam ſeparatim rationem eorum, qui variolis obierunt, ad totum mortuorum numerum.

XII.

Obſervations ſur la Nature, les Cauſes et les Effets des Epidemies varioliques, et Refutation de quelques Ecrits contre l' Inoculation de la petite Verole. Geneve. 1764. in 12. pag. 252.

i. e.

Obſeruationes de natura, cauſſis et effectibus epidemiarum varioloſarum, et refutatio nonnullorum ſcriptorum contra inſitionem variolarum.

Auctor huius libelli eſt Cl. DAVID, Medicus Lugdunenſis. Inſtitutum vero Auctoris eſt, vt quosdam, qui contra inoculationem ſcripſerunt, refutet. Inter eos praecipue eſt Cl. RAST, Auctor libelli ſupra indicati, quem Cl. DAVID eodem modo, vt Ill. Eques DE CHASTELLUX, ex necrologiis Londinenſibus refellere ſtudet. Videntur tamen iſtius libri Noſtro ignoti fuiſſe. Praecipue autem Cl. DAVID in eo occupatur, vt demonſtret, illis quatuordecim annis, ante introductam in Anglia inoculationem, ſi comparatio inſtituatur, ſingulis annis longe plures, quam octo et triginta annis ſequentibus variolis enecatos eſſe.

XIII. Ten-

XIII.

Tentamen iuuenile de variolarum exſtirpatione quaerenda primum, illique ſubnectenda variolarum inſitione; Auctore IOA. BAPT. RICHARD, Crauſav. Ruth. Monſpelii 1764. in 4. pag. 23.

Primum a Cl. Auctore propoſitum problema eſt: *an ſimul poſſint ſtare variolarum exſpectatio, inſitio et exſtirpatio?* quod adfirmat, cum inoculatio exſtirpationis miniſtra eſſe poſſit. Alterum problema docet, *variolarum exſtirpationem maxime optabilem eſſe.* Tertio vero disquiritur, *an variolarum exſtirpatio poſſibilis ſit?* Credit autem Noſter, generalem veneni varioloſi exſtirpationem impoſſibilem eſſe, quapropter partialem tantum commendat. Scilicet vult, vt, quando in vrbe quadam varioloſi contagii initia ſe monſtrant, veneni propagatio tunc omni cura prohibeatur. Quarto tandem problemate, *de variolarum inſitione exſtirpationi ſubnectenda* Noſter differit. In eo inoculationis praeſtantiam extollit, argumenta, quae pro ea adduci poſſunt, proponit, et concludit, inoculationem abſolute innocuam eſſe, hinc ciui cuilibet communi humanitatis iure libertatem competere, vt, ſub iuſſa ſegregationis obſeruantia variolarum fato, vt lubet, obſequatur. Ad calcem operis quaedam de inoculandorum praeparatione dubia adnectit, docetque, variolarum inoculationem non ob praeparationis emolumentum laudandam eſſe.

p. 9. p. 10. p. 12. p. 17. p. 22.

XIV.

Abhandlungen der Churfürſtl. Baieriſchen Akademie der Wiſſenſchaften. Erſter Band. München, mit akademiſchen Schriften. 1763. 4. 3 Alph. 2 ½ pl. tab. aen. 15. *Zweyter Band. München bey Franz Lorenz Richter.* 1764. 4. 3 Alph. 11 pl. tab. aen. 10.

i. e.

Commentarii Academiae Scientiar. Electoralis Bauaricae. Tom. I. II. Monachii.

Bauaria ad exemplum aliarum regionum Academiam ſcientiarum in ſuis terris erigere conſtituit. Noua haec academia ſuas primitias in his tomis orbi literato exhibet, easque Sereniſſ. ſuo Electori, clementiſſimoque fundatori, merito offert. In praefatione, primo tomo praemiſſa, ſperabamus huius academiae hiſtoriam, conſtitutionem, ac numerum nominaque ſodalium legere: ſed ſpes nos fefellit. Nihil enim ea continet, quam breuem recenſionem elaborationum, in hoc tomo reperiundarum, ex quibus pauciſſimae quidem ad *Commentariorum* noſtrorum inſtitutum pertinent. Omnis enim tomus in *duas* diuiſus eſt *partes*; quarum prior tantummodo argumenta hiſtorica continet, vt itaque eam plane ſilentio transeamus; poſterior vero res philoſophicas proponit, inter quas et eas modo prolixius repetamus, quae propius noſtrum attingunt ſcopum. Singula pars a nouo paginarum numero incipit.

T. I. P. II. Pars itaque *ſecunda* ſequentes tradit commentarios.

1) I. H. LAMBERT *commentarius de vſu meridiani in geometria.*

2) PETRI AB OSTERWALD *breuis introductio, qua demonſtratur, quomodo operationes geometricae in delineandis tabulis geographicis rite inſtituendae ſint.*

3) ILDEPHON KENNEDY *libellus de paludibus.* Modum indicare annititur Cl. Auctor, quo paludes in vſus oeconomicos vertendae ſint. p. 125.

4) IO. ANTON. DE WOLTER, *Electoral. Conſiliarii intimi et Protomedici, commentatio de terra illa pingui* Turf, *ſeu* Torf *dicta, qua ſimul probatur, fumum, ex accenſis Turſis ortum, ſanitati hominum minime nocere.* Vt hoc demonſtret, argumentis primum docere annititur Ill. Auctor, turfam ad vegetabilia pertinere, et ex fibrillis viridantibus et creſcentibus componi, quae ad nutriendum ignem maxime aptae ſunt. Per experimenta chemica conſtat, ex turfa easdem partes educi, quae ex aliis plantis pinguibus, et in locis paludoſis cretis, igne extorquentur: ex quibus concludit, fumum ex turfis accenſis prouenientem, ſi liberum modo exitum habeat, minime poſſe nocentiorem eſſe fumo ex ligno orto. Prouocat propterea ad FR. HOFFMANNUM, qui in ſuis ſcriptis paſſim, tam experientia, quam per alia argumenta, probauit, lithanthracum fumum, ad quem fumus turfarum multum accedit, nihil arſenicalis vel venenati continere. Maximum autem pondus Ill. Auctoris opinioni addit ſalubritas illorum locorum *Belgii foederati*, et *Germaniae inferioris*, vbi incolae, ob penuriam ligni, ad domeſticos vſus ſolo igne turfarum vtuntur, et bona tamen fruuntur valetudine. Vt nihil dicamus de reditibus, quos eiusmodi turfarum ſcrobes poſſeſſoribus ſuis praebent. Hinc *Boiis*, p. 161. p. 165.

in

in fine commentationis, ſuadet, vt ob ligni inopiam, quae de die in diem magis augeretur, turfae culturam et vſum magis commendatum ſibi habere velint.

5) CAROLI AUGUSTI SCHEIDT *tentamen inſtructionis practicae ad detegendos et effodiendos lithanthraces in montoſis regionibus.*

p. 211. 6) IACOBI CHRISTIANI SCHAEFFER *effigies et deſcriptio duorum petrefactorum verorum, et totidem ſpuriorum.* Haec, quae alii luſus naturae nominant, cum Cl. WALLERIO *figuratis* adnumerat Cel. Auctor, illa vero ex regno vegetabili, et quidem ex fructibus in lapidem mutatis, deducit.

T. II. *Secundus Tomus* pariter ac primus *duas* habet *partes.* Relicta prima parte, quae itidem ex hiſtoricis commentariis conſtat, mox ad *alteram* progredimur, quae continet

P. II. 1) ALBERTI EULER *reſponſum ad quasdam quaeſtiones arithmeticas.*

2) *Eiusdem ſolutio problematis: data altitudine coni figuram ſuae baſis inuenire.*

p. 61. 3) *Tentamen geographiae metallurgicae, in quo tota tellus tanquam ſtratum minerarum horizontale* (Floetzwerck) *montes vero eiusdem tanquam varietates vniuerſi conſiderantur, vna cum regulis inde deriuatis, qua ratione venae metallicae, minerae et mineralia reperiri poſſint.* Auctore Cl. CAROLO AUGUSTO SCHEIDT. Ex his tantum notamus, inſignem aquarum molem tanquam inſtrumentum primarium a Noſtro conſiderari, quo mediante ſtructura telluris interna eiusdemque ſuperficies originem duxerit, licet non negandum, mutatam telluris ſuperficiem ortum-

ortumque montium, inſularum et marium complurium, alias etiam cauſſas habere. Quod autem ad internam telluris conſtitutionem attinet, quatenus ea reſpectu ſtratorum terreorum et lapideorum detecta eſt, variantia illa ſphaerica et horizontalia aeque ac obliqua ſtrata terrea et lapidea praecipuam telluris ſtructuram conſtituere, eademque etiam in interioribus ſecundum leges motus hydroſtatici producta eſſe, Noſter arbitratur. Ex hac telluris cognitione metallicolae, vt putat Cl. Auctor, hanc, ſane non exiguam, vtilitatem capere poſſunt, vt ſciant, quibusnam in regionibus eiusdem variae terrae, lapides, mineralia et minerae in ſtratis, fiſſuris et venis inueniantur. Vt autem ordine quodam procedant normamque habeant, ſecundum quam res illas detegere ſciant, varias Noſter ex cognitione telluris deductas regulas tradit. His vero obſeruatis alias regulas, ſecundum quas detectae illae res erui et praeparari poſſint, inde deduci poſſe, autumat.

4) WOLFGANG THOMAE RAUE *tentamen tractatus de vtilitate et vſu ſalis culinaris, cum ad vſum hominum, animalium et plantarum, tum in chemia, mechanica, officinis manuariis et in rebus domeſticis.* p. 138. Hic commentarius in *quatuor* ſectiones diuiſus eſt. *Prima* agit de ſale culinari in genere eiusque vſu, quem hominibus praeſtat. Poſtquam Cl. Auctor amplam deſcriptionem ſalis communis eiusque proprietatum dedit, eumque ad claſſem ſalium neutrorum retulit, ad ductum ſyſtematum Cl. LINNAEI et CARTHEUSERI proprium genus, ſub nomine *muria*, inde conſtituit, quod tres ſpecies comprehendit: *muriam* ſcilicet 1) *fontanam*, quam omnes ſalinae, ex quibus dein ſal culinaris coctione paratur, exhibent: 2) *marinam*, quam aqua marina praebet, dum ad proprias foſſas ducitur, et facta ſiccatione ſalem

mari-

marinum relinquit: 3) *foſſilem*, quae e terra effoditur, et ſal gemmae audit. Omnes has tres ſpecies multum vtilitatis hominibus praeſtare, locoque condimenti illis eſſe, eorumque humores a putredine praeſeruare, Cl. Auctor rationibus phyſicis,
p.156. et teſtimoniis aliorum probat medicorum, qui ſale culinari nonnullos morbos, quos recenſet, ſanauerunt: licet contra non neget, eius abuſum, vt in
p.160. omni re, multum quoque nocere. *Secunda* ſectio vtilitatem exponit, quam ſalis vſus pecudibus comparat. Quum hominibus tantum commodum vſus ſalis culinaris adferat, ex comparatione machinae Cl. Auctor concludit, idem etiam pecudibus praeſtiturum eſſe, ſiquidem plurima animalia ſaginat, quod nonnullis exemplis illuſtrat; quare etiam ſalem culinarem contra luem pecudum commendare non dubitat. Inprimis autem ſalis vſum extollit contra morbos et luem ouium, quae ſalem culina-
p.170. rem prae omnibus amant. Sed equis in variis morbis, quorum nonnullos refert, eius vſus etiam con-
p.180. ducit. *Tertia* ſectio vſum et commodum ſalis culinaris in regno vegetabili oſtendit. Notum eſt ex agricultura, ſtercora, quibus arua, vt COLUMELLA ait, refouentur, plurimum ex partibus ſalinis conſtare: quo enim plus his abundant, eo meliora iudicantur. Ex his Cl. Auctor colligit, ſalem culinarem fertilitatem agrorum augere, et ad incrementum plantarum multum conferre, quod inde inprimis probat, cum cineres crematarum plantarum ſemper aliquid ſalis culinaris reddant. Prouocat ad teſtimonia nonnullorum ſcriptorum oeconomicorum, qui hortos et agros ſalis adſperſione emendare ſuadent. Vt eos taceamus, qui ſemina, antequam terrae mandantur, muria ſalis imbibere, et foecundiora inde reddere ſtudent, quid? quod rubiginem a fru-
p.188. mentis hac re auerti perhibent. Tandem *quarta* ſectio

ſectio vſum ſalis in chemia, mechanica, officinis et re oeconomica monſtrat. Quam varie ſal communis ad chemicas operationes adhibeatur, chemiae cultoribus notum eſt, quarum nonnullas Cl. Auctor refert. Has inter etiam confectionem nitri ex ſale communi inuenimus: quam tamen non adeo lucroſam eſſe Cl. Auctor ipſe fatetur, qua in re illi facile ſuffragamur. Ad ferrum emendandum et in chalybem mutandum ſale culinari opus eſt. Ad orichalcum dealbandum ſalem culinarem adhibent. Figuli ſale communi carere nequeunt. Vt calx in muris tempeſtatibus longius reſiſtat, ſalem culinarem ei admiſcent. Ad ſaponem parandum, ſale culinari vtuntur. Vt coria melius macerentur, alutarii ſalem communem eorum lixiuio addunt. Quid ſal in candidandis linteis ac filis, atque in condiendis carnibus, piſcibus, aliisque oleribus praeſtet, matres familias ſciunt. In fine Cl. Auctor IOANNEM LANGIUM mirantem adhuc adducit, quod vino, more veterum, non amplius ſal admiſceretur, quum ſal vinum multum emendet. Fortaſſe bono vino neque hedera neque ſale opus.

5) IOSEPHI ANTON CARL *de fonte ſalutari Heilbrunn in Bauaria*. Hiſtoriam huius fontis iam 1636 edidit celebris quondam medicus GEIGER, ſub titulo *Fontigraphia*, quam Cl. Auctor quidem, quod partem hiſtoricam attinet, laudat: definitionem tamen partium conſtitutiuarum non adprobat. Fons hic quinque lapidibus a *Monachio* diſtat, et iam anno 1059 notus fuit. Examen autem, quod Cl. Auctor cum eius aquis 1759 inſtituit, ei praebuit ſalem communem, alcali fixum, vitriolum ferri, et terram cretaceam. *Salem communem* probat Cl. Auctor ex ſapore aquae, ex colore lacteo, quem aqua prodit, quando ſolutiones ſacchari ſaturni, ar- p. 199.

 genti,

genti, mercurii viui ei admiſcentur, et denique ex
cryſtallis, poſt coctionem aquae, acquiſitis, quae
p. 209. cum ſale communi in omnibus conueniunt. *Alcali
fixum* coniicit non ſolum ex colore viridi, quo ad-
miſtae aquae ſyrupum violarum inficiunt, ſed etiam ex
reſtitutione coloris coerulei, quem aqua chartae
coeruleae, affuſione aceti rubefactae, reddit; prae-
terea ex ſapore vrinoſo, quem aquae, ad partem me-
diam coctae, linguae inprimunt; deinde ex colore au-
rantio, quem ſolutio mercurii ſublimati, admiſtione
lixiuii poſt ſeparationem cryſtallorum reſidui, in-
duit; tandem ex ſale vrinoſo qui in collum retortae
adſcendit, poſtquam cruſtam ſalinam, in ahenis a co-
ctione aquarum remanentem, cum ſale ammoniaco
p. 214. miſcuit Auctor et deſtillauit. *Vitriolum ferri* autem
euincere conatur, partim ex materia deiecta, *prae-
cipitata* chemici aiunt, quae, aqua admiſta, in ſolu-
tionibus mercurii viui adparet, et vt plurimum alba
eſt, notis tamen luteis et rubris, nunc hic, nunc
illic, diſtinctis; partim ex colore nigricante, quo
imbuitur decoctum gallarum turcicarum affuſa aqua
minerali, ad tertiam partem decocta; plurimum
autem ex particulis ferreis, quas magnes ex cruſta
illa ſalina, inflammabili quodam miſta, et probe dein
vſta, extraxit. Verum enim vero omnes hae expe-
rientiae, ni fallimur, probant quidem in acidulis ad-
eſſe ferri particulas, vel ochram martialem, in fer-
rum, additione τοῦ φλογιστοῦ, facile mutandam, mi-
nime autem perfectum ferri vitriolum, quod acidu-
lis ineſſe plurimi aquarum ſcrutatores non ſine
p. 218. rationibus negant. *Terram cretaceam* ex ſaepe
dicta cruſta, quae in aheno poſt coctionem aquarum
remanet, accepit, eamque calcariae eſſe indolis va-
p. 223. riis docuit experimentis. Virtutes et vires huius
aquae ex partibus componentibus, earumque quali-
tatibus, deriuat. Quum ſal culinaris in aqua prae-
ualet,

ualet, etiam ab hoc plurimum exſpectandum eſſe arbitratur. Ad hunc, quoad copiam proxime accedit alcali fixum: hoc excipit terra cretacea, quam vitriolum ferri denique in ordine ſequitur. Ab his igitur, eorumque combinatione, dependet primaria huius aquae virtus, quae in ſoluendo et roborando conſiſtit: hoc a terra et ferro, illud a ſalibus Recenſentur denique nonnulli morbi, in quibus vſus huius aquae ſalutaris praedicatur: licet in fine commentationis nec reticeantur morbi, in quibus noxius deprehenſus fuit.

6) *Eiusdem commentatio de fonte ſalutari Sulzerbrunn dicto, in Bauaria ſuperiore ſito.* Prouenit hic fons non procul a celebri coenobio *Polling,* et ad lapidis diſtantiam ab vrbe *Weilheim.* Continet autem eius aqua, ſecundum Cl. Auctoris opinionem, ſulphuris, quod dicunt chemici, hepar, ferrum, ferri vitriolum, ſalem culinarem, terram calcariam et ſelenitidem. *Hepar ſulphuris* Cl. Auctor ex odore, quem aquae recenter hauſtae ſpirant, probare annititur. Sulphuris tamen praeſentiam etiam ex colore fuſco coniicit, quem argentum, in hac aqua aliquamdiu coctum, adſciſcit. Quum vero ad hepar ſulphuris, vt chemicis conſtat, praeter ſulphur etiam *alcali fixum* requiratur, hoc quoque aquae ineſſe inde concludit. *Ferrum* Cl. Auctor ex cruſta illa terrea, qua ahenum, quo aquae ad balnea paranda coquuntur, obducitur, ope magnetis extraxit. Vt *ferri vitriolum* demonſtret, eodem experimento et argumento vtitur, quo in praecedenti commentatione vſus eſt. De *ſale culinari* ideo non dubitandum eſſe putat Cl. Auctor, quia partes a coctione aquae remanentes, carbonibus candentibus iniectae, crepitant, et ſolutiones plumbi et mercurii viui albam materiem in aqua ad ſextam vel octauam partem p. 232.

 decocta

decocta ad fundum deiiciunt. Certioribus experientiis et argumentis *terram calcariam* aquae inhaerere euincit; quae vero, quod cum illis conueniunt, quae eundem in finem in praecedenti commentatione protulit, praeterimus. *Selenitidem* peculiari experimento a Cl. ROUELLE, chemico Pariſienſi, cum Cl. Auctore communicato probare ſtudet. Cruſtam nimirum ſaepius nominatam, lapideam, antea comminutam, et probe elotam, cum aequali portione ſalis tartari miſcet: his ſufficientem copiam pulueris carbonum dein addit, et omne miſtum in crucibulo bene clauſo candet. Frigefactam hanc maſſam aqua poſthaec eluit deſtillata, et leuem odorem hepatis ſulphuris percepit. Ex his colligit, in cruſta illa lapidea vitrioli fuiſſe acidum, adeo tamen coniunctum cum terra calcaria, vt corpus efficeret, quod in aqua calida amplius ſolui nequiret, id quod ſelenitidem a ceteris terris diſtingueret. Rationem autem, quam partes conſtitutiuae inter ſe in aqua ſeruant, Cl. Auctor determinare non audet, partim ob earum tenuitatem, quam *volatilitatem* chemici vocant: partim ob earum paucitatem. Interim aſſerit, hepar ſulphuris ceteras copia ſuperare: hoc ſequi terram calcariam: ferri vitriolum, ſalem culinarem et ſelenitidem autem in pauciſſima quantitate aquis ineſſe. Hinc non ab his, ſed ab illis, praecipue vero a ſulphure hepatis, primariam vtilitatem eſſe ſperandam. In fine commentationis Cl. Auctor harum aquarum vſum internum et externum ſuadet.

p. 247. 7) *Commentatio de mineris cupreis, quae cauſſarum ſcrutinium ſiſtit, cur cuprum ex iisdem tam difficulter ſeparari formamque metallicam induere poſſit*, Auctore Cl. IOANNE FRIDERICO LE PETIT. Sub mineris cupreis eas intelligit Cl. Auctor, quae in gremio

gremio fodinarum ſub forma minerarum reperiuntur, nec a ſalibus et vaporibus ſolutae et deſtructae ſunt. Hinc nec ad aeruginem natiuam, nec ad malachiten, nec ad ochram cupri coeruleam, nec ad lapidem lazuli, nec demum ad mineram cupri ferream, ſed ad cuprum ferro et arſenico ſulphurato mineraliſatum reſpicit. Hanc autem mineram zincum continere, et huius ope ferrum inprimis cum cupro coniungi, inſimulque terram non metallicam et arſenicum immiſceri, idque cauſſam ſubminiſtrare monet, cur cuprum difficulter ſeparetur. Zincum enim cum cupro coniunctum vſtulatione, carbonum ope inſtituta, non ſeparari, ſimulque impedire, quo minus ſulphur, quod nullam vnquam vim in zincum exerceat, in ferrum et arſenicum admixtum agere, eaque in ſcorias conuertere poſſit, notat. Hinc in praeparatione minerarum cupri, fuſioni praemittenda, ad ſeparandum lapidem calaminarem ſeu mineram zinci praecipue reſpiciendum, nec, vt fieri ſolet, de ſeparando ferro, ſulphure et arſenico, ſtatim cogitandum eſſe, autumat.

8) IACOBI CHRISTIANI SCHAEFFER *renunciatio de euentu tentaminum, ſemina lanuginoſa populi nigrae et graminis tomentoſi cum fructu in oeconomia adhibendi.* Commentatio haec in *duas* diuiſa eſt ſectiones. In *prima* ſectione Cl. Auctor occaſionem refert haecce inſtituendi tentamina. Primaria eſt inopia materiae pro chartis faciendis, quae quotidie magis augetur, inde chartarum pretium creſcat, neceſſe eſt. Qua propter Cl. Auctor operam nauuit inueniendae materiei, quae defectum hunc ſuppleret. Ex omnibus autem ſemina lanuginoſa *populi nigrae* et *linagroſtis* ei prae aliis ad hunc ſcopum apta viſa ſunt. In ſectione *ſecunda* viginti et ſeptem adducuntur experimenta, vel potius pericula, quae p. 261. p. 275.

 Cl.

Cl. Auctor fecit, non ſolum chartas conficiendi gratia, ſed etiam alia in vſus oeconomicos vtilia opera, e. g. telae genus, pileos, ellychnia etc. Varia hunc in finem tentauit Cl. Auctor, varia miſcuit, et omnium periculorum non ſolum retulit fideliter euentus; ſed nonnulla etiam ſpecimina Academiae miſit, quae omnia indefeſſae ſuae diligentiae praebent teſtimonia.

p. 299. 9) FRIDERICI CASIMIRI MEDICI *obſeruationes medicae, circa varias graues ad medicinam pertinentes res. Prima* obſeruatio verſatur circa vſum veſicatoriorum, in pleuritide ad locum dolentem applicandorum. Non noua medentium eſt ratio, vt ipſe Cl. Auctor fatetur, apponendi veſicatoria loco adfecto in pleuritide, ſed iam dudum ab Anglis exercita, et a Germanis medicis imitata. Poſtquam modum Cl. Auctor breuiter deſcripſit, quo veſicatoria apponenda ſunt, quatuor momenta attendi iubet. Primum, tempus, quando applicari, deinde ea, quae impoſitum praecedere: poſt ea, quae durante impoſitu obſeruari: tandem, quoties repeti debent. Quoad primum, ab initio morbi, et quando dolores ſunt acuti, ea imponere conuenit: ſecundo, venaeſectio applicationi eſt praemittenda: tertio, aegrotis ptiſanae ſeu aquae hordeaceae cum melle mixtae copioſe exhibendae, et emulſiones ex ſeminibus paratae, quibus multum nitri additum eſt, dandae ſunt: quarto, toties repeti debent, quoties dolor recrudeſcit; vel quamdiu dolor durat, et tum etiam, quando ad oppoſitum latus tranſit, tunc re-
p. 307. center adfecto loco applicare conuenit. His praemiſſis rationes reddere conatur, cur veſicatoria ita applicata tam ſalutarem ederent effectum; quas in eo quaerit; quod cantharides reſoluente gauderent virtute, qua in vaſa obſtructa agerent: deinde,

quod

quod inflammationem, quae partes internas occupauit, ad externas deriuarent: denique, quod morboſae exitum pararent materiae: his plus effici autumat, quam ſi plura veſicatoria diſſitis et a loco doloroſo multum diſtantibus imponerentur locis. Triplici igitur fructu ſuam methodum reliquis praeſtare putat Cl. Auctor. Primo, quod morbum in tempore praecaueat: ſecundo, quod materiam morboſam ſtatim educeret, eique nullam relinqueret moram internas corripiendi partes et omnem corrumpendi maſſam ſanguineam: tertio, quod raro eo peruenire ſineret morbum, vt exſcreatione ſolueretur: quem morbi exitum ea propter ſemper periculoſum iudicat, quia non ſolum pulmones, etiam ſuperato morbo, plerumque manerent debiles, nouaeque, ſeu recidiuae, inflammationi ſaepius anſam darent: ſed etiam facilius empyemata orirentur, ſi materia educenda omnem per pulmones caperet exitum. Quatuor etiam exemplis practicis hanc methodum corroborat. Tres enim aegri pleuritici ea ſanati fuerunt, quartus vero occubuit, quod lue venerea ſimul affectus eſſet.

Secunda obſeruatio ſingularem effectum moſchi in mania, cum conuulſiuis motibus coniuncta, narrat. Atroci hoc morbo afflictus fuit miles, 28 ann. macilentus, temperamenti melancholici. Liquore anod. min. H. veſicatoriis, oleo caieput et aliis remediis incaſſum adhibitis, tandem moſchus hunc morbum debellauit. In alia mania, periodica, quarta quaque die reuertente, idem nocuit. p. 320.

Tertia obſeruatio, de hydrope, eiusque curatione agit, et quinque hydropum hiſtorias comprehendit. Prima hiſtoria ad aquam intercutem ſpectat, quam venae ſectionibus ſanauit Cl. Auctor. Secunda et tertia duos aegrotos exhibent, qui hydrope aſcite laborarunt. Hos olei oliuarum curauit inunctione, p. 329.

 cui

cui in tertio aegroto vſum cremoris tartari adiunxit. Quarta et quinta duos pariter aegrotos ſiſtunt, qui priore hydropis ſpecie, hydrope nempe anaſarca adflicti fuere: ex his alterum initio venae ſectione iuuare tentauit, ſed clyſteribus poſtremo a morbo plane liberauit; alterum autem vſu ſquillae ſanitati reſtituit. In fine tractationis nonnullas adnectit Cl. Auctor animaduerſiones, quae priora melius illuſtrant; quorſum pertinet: melius eſſe in dubiis caſibus, vbi ambigitur, num vena pertundenda ſit, aliquid ſanguinis mittere: deinde vbi tumor ab inunctione olei creſcit vel motus febriles augentur, ſatius eſſe ab oleo abſtinere: poſtea, cremori tartari in curatione hydropum etiam aliquid dandum eſſe: denique clyſteres pariter non eſſe negligendos.
p. 340. Appendicis loco meminit remedii, quo Cl. ISNARD aqua ſuffocatos vitae reſtituit, eos ſcilicet cineribus calidis contegendo, quo effecit, vt vrina copioſe fluxerit. Quaeritur itaque, an non idem in hydropicis, praeſertim aqua intercute laborantibus, eundem in finem cum fructu tentari queat?

10) DOMINICI A LIMBRUNN *tentamen corrigendi tabulas geographicas Bauariae.*

11) PETRI AB OSTERWALD *renunciatio ad Illuſtrem Academiam de dimenſione lineae fundamentalis* (Grundlinie) *a Monachio vſque ad Dachau.*

XV. Fa-

XV.

Familles des Plantes. Par M. ADANSON, de l' Academie des Sciences, de la Societé Roiale de Londres, Cenſeur Roial. I Partie. Contenant une Préface Iſtorike ſur l' état ancien et actuel de la Botanike, et une Téorie de cette Science. a Paris chez Vincent 1763. 8vo. Alph. 1. pl. 10. tab. aen. 1. II. Partie. ibid. eod. apud eund. alph. 1. pl. 19.

i. e.

Familiae Plantarum. Auctore Cl. ADANSON. Pars I. II.

Multa inſunt libro, quae partim ingentem Auctoris laborem indicant, partim ad perfectionem rei herbariae non parum conferre videntur, attamen, quod ingenue fateri debemus, multa etiam, quae et ſuperflua, et eiusmodi eſſe exiſtimamus, quibus difficile hoc ſtudium nouis his laboribus difficilius, immo magis confuſum redditur. Notabimus praecipua momenta. Praefatio operi praemiſſa implet pagg. 325. In hac partim hiſtorice ſtatum praeteritum atque praeſentem Botanices, partim theoriam eiusdem ſcientiae Noſter pertractat. Primo itaque Cl. Auctor a pag. 3. ad 102. methodos plantarum vniuerſales et particulares recenſet ordine chronologico. Ampliſſimus hic eſt catalogus, non ſolum enim veros methodicos nominat, ſed omnes fere auctores, qui aliquo, quocunque demum ordine in ſcriptis ſuis vſi fuerunt, enarrat. Sic inter methodicos vniuerſales THEOPHRASTUS, DIOSCORIDES, TRAGUS, PORTA, LAURENBERGIUS, aliique locum obtinuerunt, qui confuſo ſatis ordine de plantis ſcripſerunt. Hinc factum,

vt methodos vniuerſales 55, particulares autem 14 inueniamus. In his vbique eum, quem auctores ſecuti ſunt ordinem, et fundamentum notauit, plantarumque, a quolibet determinatarum, vel iconibus expreſſarum numerum conſignauit, ac eos quoque citauit, qui vnam alteramque methodum amplexi, et ita aliorum inuenta ſecuti ſunt. Addidit porro nomina eorum, qui alphabetico ordine plantas recenſuerunt, inter quos etiam C. GESNERUM, CAMERARIUM, VAILLANTIUM, et DILLENIUM reperimus, tandemque eorum mentionem fecit, qui ſine vllo ordine de plantis egerunt. In fine adiecit tabulam, qua methodicos ſuperius recenſitos ſecundum ſua merita et praerogatiuam nouo ordine diſpoſuit, vbi primum locum TOURNEFORTIUS, quartum LOBELIUS, quintum BOERHAAVIUS, ſeptimum ROYENUS, duodecimum ZALUZIANSKY, decimum quintum LUDWIGIUS, ſequentem LINNAEUS ex methodo ſtaminum, aſt vigeſimum primum ex calycina, et vigeſimum quintum ex methodo naturali, vigeſimum ſecundum I. BAUHINUS, vigeſimum quartum HALLERUS, vigeſimum ſeptimum GLEDITSCHIUS, trigeſimum tertium RIVINUS etc. obtinuit. His vbique interſperſit, et in fine quoque ſpeciatim addidit iudicia ſua de methodis Auctor. In omnibus certe aliquid reprehendit, et praecipue, quae et quotnam in qualibet methodo claſſes ſint naturales, notat, et ita e. g. in methodo naturali Linnaeana, quae 68 conſtat claſſibus, 20 modo naturales eſſe affirmat. TOURNEFORTIUM ſolum laudat, omnibusque praeferendum eſſe, variis in locis ſcribit. Altera praefationis parte (pag. 102 - 154) de praeſenti ſtatu rei herbariae agit, et de generibus, ſpeciebus, varietatibus, de characteribus, nominibus, libris

botani-

botanicis, et cauſſis, quae incrementa artis vel facilitare vel impedire poſſunt, ſpeciatim differit. C. GESNERUS primus fuit, qui plantas in genera et ſpecies ſeparauit, TOURNEFORTIUS autem primus, qui characteres genericos compoſuit. Nulla genera naturalia eſſe, neque ſpecies omnes a principio mundi creatas fuiſſe, ſed ſemina ſata nouas ſpecies dediſſe, fuſius oſtendit. De nominibus diſſerens, veteres vbique defendit, eorumque generica et ſpecifica retinenda, noua autem, a LINNAEO praecipue ſubſtituta, reiicienda eſſe, multis et rationibus et exemplis declarare ſtudet. Oſtendere etiam allaborat, omnia fere, quae circa plantas earumque partes recentiſſimi, ac praecipue LINNAEUS, tanquam noua inuenta ſibi tribuerunt, aliis, et anteceſſoribus, iam cognita fuiſſe; ita e. g. ſtipulas examinauit MALPIGHIUS, ad ſitum floris ſupra vel infra ouarium reſpexit CAESALPINUS, ſexum veterum plurimi, ZALUZIANSKY, CAMERARIUS, cognouerunt, nectaria et TOURNEFORTIUS et VAILLANTIUS deſcripſerunt. Semina *muſcorum* DILLENIUS a. 1719, *fungorum* MICHELIUS 1729. detexerunt. *Petali* vocabulo vſus fuit COLUMNA; et, quo tandem omnem inuentionis gloriam, quam ſibi tribuit LINNAEUS, ipſi eripiat, *inuolucrum* ARTEDIUM, *ſpatham* THEOPHRASTUM, *germen* PLINIUM, *legumen* et *drupam* KYBERUM nominaſſe; *cymam*, *bracteam*, et *glandulam* antiqua, *arillum*, *ſcapum* et *pedunculum* impropria eſſe nomina, ideoque ſolummodo *corollae*, *antherae*, ſed (et haec vocabula antiquiſſima) *pollinis*, *ſtigmatis*, et *ſtipulae* nomina LINNAEUM introduxiſſe, Noſter affirmat. Libros botanicos in ſeptem claſſes diſpoſuit, 1) continet antiquos, eorumque et interpretes et commentatores, 2) methodicos, 3) deſcriptores, 4) eos, qui

ſynony-

ſynonyma, 5) qui catalogos, 6) qui figuras dederunt, et 7) philoſophos, ſeu eos, qui dogmata et principia artis tradiderunt.

Parte tertia (a pag. 154 - 313) de ſe ipſo locutus eſt, atque praecipue modum rationemque docuit, quibus plantas in certas familias diſponere ſtuduit. De modo itaque methodum et characterem naturalem inueniendi primo diſſeruit, monuitque, omnes plantae partes, omnesque earundem proprietates deſcribendas eſſe, quo cognationes tandem inueniamus; claſſes, genera, ſpecies, indiuidua et varietates determinandi rationem quidem expoſuit, attamen, quid genus et ſpecies ſit, definire nos haud poſſe, variis ex rationibus concluſit, multaque contra BUFFONUM diſputauit. Nomina plantis imponenda poſthaec conſiderauit, vbique contra LINNAEUM egit, et veterum nomina, barbara etiam, regionibus propria, vbique retinenda, ſeſquipedalia vero, aequiuoca, et homonymica, vt *Hippuris* et *Equiſetum*, *Daphne* et *Laurus*, *Salicaria*, *Pyrola*, *Ficaria* et ſ. p. euitanda eſſe ſcripſit, aſt ſi proxima ſibi ſint genera, etiam analoga ſeruare voluit nomina, vt *Borraginoides*, *Caruifolia*. Familiae inſigniantur nomine plantae, maxime cognitae eiusdem familiae, vt *Palmae*, *Gramina*, *Apocyna*, *Maluae;* ſpecies autem determinentur vel phraſibus, ſeu breui deſcriptione, vel numeris, vel noua ratione, dum vocales per ſe, aut cum nonnullis conſonantibus in fine apponantur. Non quidem imitabimur hunc modum, attamen Auctoris exemplum repetamus. *Fonnae*, quae eſt *Phlox* LINN. ſpecies 1) dicatur *Fonna a*, 2) *Fonna e*, et ſ. p. 6ta) *Fonna ba*, 7ma) *Fonna be*, et ſ. p. 11ma) *Fonna ka*, 12) *Fonna ke*, et ſ. p. Vel etiam nomina propria ad determinandas ſpecies adhiberi poſſe, oſtendit Cl. Auctor exemplo *Aparines:* ſpecies 1) dicatur ſimpliciter *Aparine*,

ſine, 2) *Aparine Rubia*, 3) *Aparine Mollugo*, 4) *Aparine Gallion*, 5) *Aparine Gallerion*, 6) *Aparine Galacion*, et ſ. p. In omnibus autem nominibus ratione orthographiae multa immutauit Noſter, exiſtimans, vocabula ita eſſe ſcribenda, prout eadem pronunciare ſolemus. Verum his mutationibus ſaepe obſcuritatem introduxit, et nomina multum corrupit; e. g. *diſuta*, *polucotuledon*, *Vperikon*, *Kikorion*, TRAGUM dixit *le Bouc*, SALMASIUM *Saumaiſe*, et ſic in millenis aliis. Quae de plantarum diſpoſitione, ſeu ſic dictis familiis a ſe ipſo conſtitutis, earumque vtilitate et praeſtantia, nec non incommodis diſſeruit, ea omnia, vt et multa alia Auctori propria, breuiore ſermone tradere vix poſſumus; monemus tantum: Cl. Auctorem, vt aſſerit pag. 202, genera 900 correxiſſe, illis a LINNAEO datis, quorum numerus erat 1174 nunc 441 noua addidiſſe, et ita 1615 genera deſcripſiſſe, nomina omnia, veteribus vſitata, circiter 800 in THEOPHRASTO, DIOSCORIDE, et PLINIO inuenienda, reſtituiſſe, ſexum plantarum noua ratione determinaſſe, et diſcum, vt receptaculi ſpeciem, ſingulari quoque modo propoſuiſſe. Conſtituit poſtea 65 diuerſiſſima plantarum ſyſtemata, eademque in claſſes diſpoſuit, et vbique ſuas familias adiecit. Cumque hae omnes fere ſint poſſibiles modi plantas diſponendi, cuiuslibet ſyſtematis fundamentum notemus, claſſium vero diſpoſitiones omittamus. Itaque fundamentum ſyſtematis 1) eſt *figura totius plantae*, 2) *magnitudo*, 3) *diameter trunci*, 4) *duratio plantae*, 5) *locus natalis*, *et ratione climatis*, *et ſoli*, 6) *ſubſtantia plantae*, 7) *contenti ſucci*, *reſinae*, *ſalia*, 8) *pigmentum ex plantis obtinendum*, 9) *color floris*, 10) *ſapor*, 11) *odor*, 12) *virtus*, 13) *radix*, 14) *germen*, (quod diſtinguitur ab oculo ſeu gemma, haec enim in flores, illud in folia mutatur) 15) *figura caudicis*, 16) *rami*, 17 *ad* 20) *folio-*

foliorum figura, et ſitus etc. 21) *frondes* (feuillage) 22 *et* 23) *ſtipulae, earumque ſitus et numerus,* 24) *capreoli,* (vrilles) 25) *ſpinae,* 26) *glandulae,* 27) *floris ſitus,* 28) *florendi modus,* 29) *bracteae,* (ecailles) 30) *ſexus.* Vſitatam florum eorumque ſexus differentiam reiecit Noſter, nouamque condidit diſtinctionem. Tres ſcilicet aſſumſit ſpecies, 1) *aſexus,* 2) *vniſexus, et* 3) *biſexus. Aſexus* ſunt flores, neutri alias dicti, qui nullam partem ſexus oſtendunt, ſeſeque multiplicant ſine omni foecundatione, vt *Polypi,* quorſum pertinent nonnulli *Byſſi. Vniſexus* mas eſt, vel foemina, in duobus indiuiduis, ſuntque vel *afrodites* ſeu *monoikes,* vbi foeminei ſoli ſunt, nulli autem maſculi, vel *dioikes,* vbi foeminae et mares in duplici indiuiduo habitant. *Biſexus* tandem, vbi vterque ſexus in eodem indiuiduo, et ſi in eodem inuolucro haerent, ſunt *hermaphroditi,* vbi autem duplex ſexus in eodem indiuiduo a ſe inuicem ſeparatus exiſtit, eiusmodi flores ſunt *androgyni,* vbi tandem *androgyni* et *hermaphroditi* ſimul adſunt, dicuntur *hybridi* et *polygami.* Syſtema 31) *a calicis ſitu reſpectu ouarii,* 32) *ab eiusdem figura,* 33) *numero,* dum duplex et ſimplex, 34) *a numero foliorum et diuiſione calycis,* 35) *ab eius duratione,* 36) *a corollae ſitu,* 37) *figura,* 38) *numero,* dum ſimplex, et duplex, ſiue vbi petala duplicem ſeriem conſtituunt, 39) *a numero petalorum et laciniarum,* 40) *duratione,* 41) *a ſtaminum ſitu,* vbi etiam monuit Auctor, *Orchides* et *Ariſtolochiam* modo eſſe eiusmodi plantas, in quibus ſtamina piſtillo adhaerent, reliquas *gynandrias* LINNAEI hunc characterem non oſtendere, 42) *a ſtaminum figura,* 43) *numero in genere,* 44) *numero reſpectu corollae et calicis,* 45) *a proportione,* 46 *et* 47) *ab antherarum ſitu et figura,* 48) *a pulueris figura,* 49) *ouarii ſitu,* 50) *numero,* 51) *ſtylorum numero,* 52) *ſtigmatum numero,* 53) *fru-*

ctus ſubſtantia, 54) *loculamentis,* 55) *ſeminum ſitu in fructu,* 56) *ſeminum numero in quolibet flore et fructu,* 57) *numero reſpectu loculamentorum,* 58) *ſeminum ſubſtantia,* 59) *eorundem receptaculo,* 60) *ab embryone, eiusque euolutionis modo,* 61, 62) *cotyledonum numero et figura,* 63) *receptaculo omnium floris partium,* 64) *a diſco receptaculi quaſi ſpecie columnari,* 65) *Ouarii ſitu reſpectu omnium floris partium.*

Quarta parte (a pag. 314 - 325) ea Cl. Auctor notat, quae adhuc perficienda reſtant, quo tandem res herbaria ad ſummum accedat perfectionis gradum, vbi inter alia monet, nos vix dimidium plantarum numerum cognitum habere, et ad probationem aſſerti calculum adiicit, certe imaginarium. Sunt ſcilicet nobis cognitae plantae 18,000; licet LINNAEUS, omnium vix 10,000 numerum attingere aſſumſerit, et quidem in Europa 5,000, Levante 2,000, Canada 1,000, Miſſiſipi etc. 1,000, Inſulis Americae 1,000, quibus accedunt 2,000 varietates, quae diſtincte ſatis totidem conſtituunt ſpecies; diſquirendae autem adhuc ſunt circiter 25,000 ſpecies; dabit Africa incognitas 5,000, Aſia 3,000, Madagaſcar 4,000, America meridionalis 4,000, Surinam et Cayenna 2,000 et ſ. p. Icones etiam plantarum, quae hactenus editae fuerunt, numerat Auctor, nosque 70,000 figuras poſſidere dicit, quae vero omnes 10.000 modo ſpecies repraeſentant, reliquae omnes ſiſtunt priorum repetitiones, immo ex his 10,000 vix 2,000 erant omni ex parte perfectae et accuratiſſimae delineationes. Itaque multum reſtat ad perfectionem Botanices. Poſt praefationem tabulam auctorum, qui ſuis ſcriptis rem herbariam illuſtrarunt, chronologico ordine exhibet ADANSONIUS, praecipue autem eos ſe adduxiſſe monet, qui elementa artis dederunt, methodos expoſuerunt, et iconibus plantarum cognitionem facilitarunt;

litarunt; de quolibet Auctore octo quaſi momenta in totidem columnis notat, ſcil. 1) nomen, 2) patriam, 3) ſcripta, eaque primaria, 4) numerum commemoratarum plantarum, iconumque praeſtantiam, 5) editionem, ſi plures proſtant, primam et vltimam, 6 et 7) natiuitatis et mortis annum, tandem 8) aetatem. A ZOROASTRO incepit, et in IACQUINO finiit. Plures etiam hic nominatos deprehendimus, quorum ſcripta perierunt, ex PLINIO, aliisque citatos. Verum et hic catalogus incompletus eſt, prout omnis hiſtoria data vbique ſaepius deficere videtur, praecipue ſi librorum titulos, auctorumque aetates ſpectamus. An Auctoris iudicia de iconum praeſtantia vbique valeant, aliis diiudicandum relinquimus. Monographos etiam quosdam immiſcuit, plurimos alios omiſit, nonnullorum quoque mentionem fecit, qui vnam alteramque plantam in Acad. Reg. Pariſ. commentariis deſcriptam delineatamque dederunt, ex aliis autem diariis nullos fere adduxit. Facile quidem recenſere poſſemus plures auctores a Noſtro omiſſos, vel quorum ſcripta minus recte adnotauit, verum aliquos adduxiſſe ſufficiat. ALBERTUM M. ad annum 1592 poſuit, primae vero editiones ſub incunabulis artis typographicae concinnatae proſtant. IMPERATI Hiſt. Nat. non 1599, ſed primo 1493 prodiit. DODONAEI Pemptades éditae fuerunt demum 1582, non 1552, hoc anno euulgata fuit Frugum hiſtoria. Ex veteribus deſideramus ICESIUM, cuius ſcripta perierunt, ORTOLF VAN BEYERLAND, THURNEISSERUM, SPIGELIUM, COSTAEUM, FIGULUM, NIEREMBERGERUM, et ex recentioribus SALMONEM, HECKERUM, LEE, BÜTTNERUM et ZINNIUM, qui vltimi HALLERI methodum ſecuti ſunt, ita et FALUGII Proſop. Tournef. adduxit Auctor, alteram Riuinianam

nam non commemorauit; LAEVINI FISCHERI methodus noua herbaria, 1646 edita, Auctori omnino incognita fuit, cum nullibi eius mentionem fecerit. MÜLLERI Vademecum botanicum vix locum meretur inter botanicos. Egit poſtea Cl. Auctor in hoc volumine de plantarum anatome, ſtructura, facultatibus, morbis, multiplicatione, aliisque ad vegetabilia pertinentibus; ſed lubenter haec omnia omittamus, quo tandem ad primarium Auctoris ſcopum accedamus. Is namque omne praecipue ſtudium omnemque attentionem adhibuit, quo plantas in certas quasdam, et, vt ipſi videtur, naturales familias diſponat, ordinetque. Exhibet itaque (Voll. II. p. 1.) tabulam, quae familias hasce et diſtributionis rationes exponit, et deinde genera 1615, a ſe ipſo conſtituta enumerat, et cuilibet familiae ſua inſerit, tandem characteres generum in tabulis diuerſisque columnis exponit. Dabimus primo familiarum conditarum nomina, omiſſis, quas in quibusdam adhibuit, ſubdiuiſionibus, et exempli loco quasdam nominabimus inſertas plantas. Sunt itaque Familiae:

1) *Byſſi.*
2) *Fungi.*
3) *Fuci.*
4) *Hepaticae.*
5) *Filices.*
6) *Palmae.*
7) *Gramina.*
8) *Liliaceae.*
9) *Zingiberes.*
10) *Orchides.*
11) *Ariſtolochiae.*
12) *Elaeagni.*
13) *Onagrae.*
14) *Myrti.*
15) *Vmbelliferae.*
16) *Compoſitae.*
17) *Campanulae.*
18) *Bryoniae.*
19) *Aparines.*
20) *Scabioſae.*
21) *Caprifolia.*
22) *Vaccinia.*
23) *Apocyna.*
24) *Borragines.*
25) *Labiatae.*
26) *Verbenae.*
27) *Perſonatae.*
28) *Solana.*
29) *Iasmina.*
30) *Anagallides.*
31) *Salicariae.*
32) *Portulacae.*
33) *Seda.*
34) *Alſines.*
35) *Blita.*
36) *Ialappae.*
37) *Amaranthi.*
38) *Spergulae.*
39) *Perſicariae.*

40) *Thymelaeae.*
41) *Roſae.*
42) *Ziziphi.*
43) *Leguminoſae.*
44) *Piſtaciae.*
45) *Tithymali.*
46) *Anonae.*
47) *Caſtaneae.*
48) *Tiliae.*
49) *Gerania.*
50) *Maluae.*
51) *Capparides.*
52) *Cruciferae.*
53) *Papauera.*
54) *Ciſti.*
55) *Ranunculi.*
56) *Ara.*
57) *Pini.*
58) *Muſci.*

Ad Cl. 11. *Ariſtolochia*, *Stratiotes*, *Butomus*; ad Cl. 27. *Conuoluulus*, *Linaria*, *Polemonium*, *Hyoſcyamus*; ad 31. *Coffea*, *Salicaria*; ad 32. *Samolus*, *Meſembryum*, *Saxifraga*, *Syringa*; ad 35. *Kali*, *Baſella*, *Petiueria*, *Phytolacca*, *Piper*; ad 41. *Cliffortia*, *Sanguiſorba*, *Agrimonia*, *Alchemilla*, *Rubus*, *Pyrus*; ad 51. *Reſeda*, *Kapparis*, *Granadilla*, *Vitis*; ad 53. *Fumaria*, *Chelidonium*, *Balſamina*, *Laurus*; ad 56. *Saururus*, *Sparganion*, *Triglochin*, *Lenticula*, et ſ. p. referuntur. Cum vero neque hac ratione conſtitutarum familiarum, neque aſſumtorum generum definitiones et deſcriptiones repetere poſſimus, vnam modo alteramque adducamus familiam eiusdemque genera, quo aliqua ratione inſtitutum Cl. Auctoris eluceſcat.

Prodeat itaque Familia XI. *Les Ariſtoloches:* cuius characteres ſunt:

Feuilles. Leur figure, ſituation, ſtipule, urilles, pedicule etc.	Sexe de fleurs.	Fleurs. Leur ſitua-tion, a l' egard de l' ovére.	Corole. Sa figure et ſituat.	Etamines. Nombre ſit. et diſque	Ovéres. Nombre et diſque.	Grainés. Nombre et ſituation.
Alternes.	Hermaphrodite.	ſur l' ovére.	o.	2 - á 100, ſur le ſtil, ou ſur l' ovére.	1. ovére.	Pluſieurs dans chaq. ovére elevées.

Sect. I. A Etamines ſeſſiles, ſur le Stil du Piſtil.

	Feuilles.	Fleurs.	Calice.	Etamines.	Piſtil.	Fruit.	Graines.
Kodda-Pail.	Alt. ſeſſil.	Solit. axill.	Tub. court 1. div. en langvette.	5 à 12.	1. ſtil. 1. ſtig.	Capſ. à 1. loge.	Pluſieurs ovoides.

Ariſtolo-

	Feuilles.	Fleurs.	Calice.	Etamines.	Piſtil.	Fruit.	Graines.
Ariſtolochia.	Id. pediculées.	Id. et pluſieurs.	Tub. long. id.	6.	1. ſtil. 1. ſtig.	Id. 6. log.	Pluſieurs plates dans chaque loge.
Bandura.	Id. terminées par un godet.	Epi et panicule termin.	4. feuilles.	4.	1. 1.	Id. 4 à 5. loges.	id.

Sectio. II. A Etamines diſtinguées du Stil du Piſtil.

	Feuilles.	Fleurs.	Calice.	Etamines.	Piſtil.	Fruit.	Graines.
Hypociſtis.	Ecailles alt. ſeſſiles.	Epi terminal.	4. feuilles.	16.	1. ſtig. 1. ſtil.	Capſ. à 8. loges.	Pluſieurs ov. dans chaque loge.
Aſarum.	Feuilles pédiculées.	Solit. termin.	3.	12.	1. 1.	id. 6. log.	id.
Nymphaea.	id.	Solit. axill.	25 à 40. imbriq.	80 à 100.	0. 1.	id. 15 à 30. log.	id.
Nelumbo.	id.	id.	20. id.	id.	0. 1.	id. 20 à 30 loges ouvertes.	1. id.
Trixis.	id.	id.	3.	3.	3. 3.	id. 3. log. fermées.	id.
Valliſneria.	id. et ſeſſiles.	id.	3.	2 à 3.	3. 3.	id. 1. loge.	Pluſ. id.
Stratiotes.	id.	id.	6.	20.	6. 12.	id. 6. loges.	id.
Hydrocharis.	id. pediculées.	id.	6.	9. reun. par les filets en 1. colonne.	6. 12.	id. 6. loges.	id.
Tamus.	id.	Epis axill.	6.	6. diſtinctes.	3. 3.	Baye 3. loges.	2. ſphériques.
Ianraia.	id.	id.	5 à 6.	5 à 6.	1. 3.	Capſ. 3. log. ailée.	1. id.

Nunc quoque genera plantarum, a Cl. Auctore vel de nouo condita, plus quam 400, vel ab aliis quidem ſtabilita, aliis vero, et nouis plerumque nominibus inſignita, recenſenda forent, attamen lectori partim taedium crearet omnium recenſio, partim difficile eſſet ſuum cuilibet reddere, atque Auctoris genera ſemper ab aliis ſeparare, cum in quibusdam familiis citationes nullas adhibuerit, nec in addito indice, vbi ſynonyma adiecit (a pag. 511-620)

620), hanc rem vbique accuratius expoſuerit; Ravenala, e. g. Chupalon, Kokera et ſ. p. quaenam ſint plantae, ignoramus. Quaedam ſpeciminis loco adducamus. Noua nomina, aſt antiqua genera ſunt:

Sabſab	eſt	*Paſpalum*	LINN.
Steleſuros	—	*Phleum*	—
Raram	—	*Cenchrus*	—
Mapira	—	*Olyra*	—
Fartis	—	*Zizania*	—
Kielboul	—	*Ariſtida*	—
Sitospelos	—	*Elymus*	—
Dalukon	—	*Melica*	—
Narukila	—	*Pontederia*	—
Mithridation	—	*Erythronium*	—
Acrocorion	—	*Galanthus*	—
Denira	—	*Iva*	—
Bartolina	—	*Tridax*	—
Ovilla	—	*Iaſione*	—
Nobula	—	*Phyllis*	—
Paſina	—	*Horminum*	—
Fonna	—	*Phlox*	—
Chabraea	—	*Peplis*	—
Cervina	—	*Praſium*	—
Ludolfia	—	*Tetragonia*	—
Viſſadali	—	*Knoxia*	—
Penarvalli	—	*Zanonia*	—
Voſacan	—	*Helianthus*	—
Abalon	—	*Helonias*	—
Abola	—	*Cinna*	—
Iericontis	—	*Anaſtatica*	—
Bukafer	—	*Ruppia*	—
Scotanum	—	*Ficaria*	—
Komakon	—	*Myriſtica*	—
Pakoſeroka	—	*Grana Paradiſi*	—
Marſea	—	*Baccharis*	—

Athe-

Athenea	eſt	*Strukium* BROWN.
Limbarda	—	*Crithmum* DODON.
Polypremum	—	*Locuſta* RIVIN.
Belharnoſia	—	*Sanguinaria* DILLEN.
Abandion	—	*Bulbocodium* LINN.
Nikandra	—	*Phyſalodes* BOEHMER.
Mimulus	—	*Criſta Galli* RIVIN.
Monavia	—	*Mimulus* LINN.

Inter genera, a Cl. Auctore condita, occurrit e. g. *Karbeni*, quod eſt Carduus benedictus, *Veltis*, Carduus eryngoides ALPIN. *Mindion* eſt Campanula Medium, *Amellus* eſt Aſter atticus. *Meſembryum*, *Manettia*, *Gaſaul* et *Voſſia* ſunt ſpecies Meſembryanthemi DILL. *Craniola*, *Geniſta*, *Spartium*, *Chamaeſpartium*, *Liſtera*, *Vlex*, et *Lygos*, ſunt genera ex Geniſtarum familia. *Kibera*, *Roripa*, *Sophia*, *Norta*, antea ad Siſymbrium fuerunt relata; *Laelia*, *Brikour*, *Erucago*, et *Cakile*, ſub Bunias LINNAEI comprehenduntur; *Centaurion*, *Daſyſtephana*, *Cicendia*, *Gentiana*, *Chlora*, *Sabatia*, *Tretorhiza*, *Criminalis*, totidem fuere Gentianae ſpecies. *Deringa*, *Killinga*, *Galbanon*, *Dela*, *Prionitis*, *Lindera*, *Arduina*, noua ſunt vmbelliferarum; *Polla*, *Brever*, *Dorcadion*, *Blankara*, *Luida*, *Sekra*, *Green*, noua ſunt muſcorum genera; *Curcas* et *Manihot* ſunt Iatrophae; *Tapia*, et *Belou* Crateuae; *Rulak* Aceris; *Konig* Clypeolae; *Acoſta* Centaureae; *Nazia* Cenchri ſpecies LINNAEI. Ex horto Malabarico multa retinuit genera et nomina, vt ſunt: *Benkara*, *Benteka*, *Blatti*, *Mal-naregam*, *Kadelari*, *Karangolam*, *Kumbulu*, *Mail-elou*. Aſt licet, vt vel ex datis exemplis patet, genera plantarum augenda potius, quam imminuenda eſſe Noſter exiſtimauerit; hinc etiam *Luffam*, *Melonem*, *Cucurbitam*, *Peponem*, *Anguriam*, *Momordicam*, *Elaterium*, et alibi

Aphacam, *Niſſoliam*, *Ochrum*, *Clymenum*, *Piſum*, *Lathyrum*, *Fumariam* quoque, *Capnoidem*, et *Cyſticapnum*, etiam *Lablab* a Phaſeolo et Dolichos, *Abrum* a Glycine, quam *Bradleiam* dixit, et ſ. p. ſeparauit; tamen genera ſaepius quoque combinauit. Ita *Pauliniam* cum *Corindo* LINNAEI, *Pauiam* cum *Hippocaſtano*, *Poliurum* cum *Ceanotho*, *Malum* et *Cydoniam* cum *Pyro*, *Luteolam* et *Seſamoiden* cum *Reſeda*; *Rubiam*, *Galliumque* cum *Aparine*; *Periplocam*, *Cynanchum*, et *Stapeliam* cum *Aſclepiade*, *Quamoclit* cum *Conuoluulo* coniunxit. Ad *Solanum* quoque *Melongenam* et *Mandragoram* reduxit, *Lycoperſicum* autem ſeparauit. *Cereum* et *Melocactum* vniit, *Pereskiam* ad *Opuntiam* redegit. Sub *Teucrii* genere retinuit *Chamaedryn*, *Polium*, *Scordium*, addiditque *Trichoſtema*, aſt *Scorodoniam* ſeparauit. Alia exempla omittamus.

In characteribus generum deſcribendis ſaepius ab aliis botanicis receſſit, et ſingularia aſſumſit. Notare autem praecipue debemus, Cl. Auctorem nullibi fere nectaria adſumſiſſe, floriſque inuolucrum, ſi vno modo adeſt, ſemper fere calicem dixiſſe. Hinc *Hyacinthus*, *Aloe*, *Colchicum*, *Populago*, *Triglochin*, *Orchides*, apetalum habent florem, *Nymphaea* nulla gerit petala, ſed omnia floris foliola ad calicem pertinent. In *Limonio*, *Statice*, *Globularia*, duplex adeſt calix, nulla vero corolla. In *Liliaceis*, quorſum et *Commelinam* et *Narciſſum* retulit, nullam corollam, ſed calicem et ſpatham, vt duo inuolucra deſcripſit. Nectaria plerumque petalorum nomine aſſumſit. Sic *Coſti*, *Curcumae*, *Alpiniae* calix eſt tubuloſus trifidus, et corolla tubuloſa ſexfida. *Delphinii* calix pentaphyllus, irregularis, et corolla monopetala calcarata; *Aconiti* calix pentaphyllus irregularis, et corolla dipetala calcarata. In *Helleboro* et congeneribus calicem et petala ſimul deſcripſit, necta-

nectaria pro petalis aſſumens. *Phaſeolo* et congeneribus legumen in plura loculamenta diuiſum tribuit. *Phyllidi*, quam inter *Aparines* recenſuit, flores vmbellatos axillares, et capſulam bilocularem; *Heliotropio* et analogis fructum quadrilocularem adſcripſit. *Coffeae* fructum capſulam dixit. In labiatis quatuor ſemper ſtamina, *Saluia* excepta, adeſſe monuit, et in *Ziziphoro*, *Roſmarino*, *Monarda*, *Lycopo* totidem obſeruauit, duobus modo breuiſſimis et caſtratis. *Gratiolae* quinque, aſt tria ſterilia, *Digitali*, *Scrophulariae*, *Linariae* totidem, ſed vnum modo ſterile tribuit. In *Vrticae* floribus femineis non duo, ſed quatuor inuenit calicis foliola, quorum duo oppoſita ſunt minora. In *Aphane*, ſi ſponte in aruis creſcit, vnum ouarium, in hortis ſi naſcitur, duo conſtanter reperiit. Poſſemus etiam multa de virtutibus plantarum a Cl. Auctore tradita repetere, atque annotare; *Veronicam* in ſuffocatione, *Gratiolam* in dyſenteria, *Dulcamaram* in lue venerea e. gr. laudauit; nec non de ſynonymiis, in indice adductis, varia monere, quippe quae omni ſane exceptione maiora non ſunt: ſed putamus haec ſufficere. Apparet enim nunc luculenter, quod ab initio adduximus, ſtupendam vtique Cl. Auctoris induſtriam fuiſſe, eamque vix imitabilem, licet non poſſimus non dubitare, num ea, quam intendit Cl. ADANSONIUS, perfectioni ſtudii botanici faciendae ſit accommodata ſatis.

XVI.

Stranguria, quae venerea dicitur, mercurii aliquando eſſe poteſt effectus, obſeruationes id probantes editae ab ANTONIO AGUSTINI, M. D. Venetiis 1763. typis Antonii Zatta. 8. pl. 4.

p. 8. Gonorrhoeam virulentam aliquando ſtranguria ſequitur, quam alii vlceribus vrethram obſidentibus, alii carunculis aliisque vitiis, falſo vt Noſter exiſtimat, adſcripſerunt, ſiquidem, ſecundum obſeruationes mox recenſendas, plerumque a particulis mercurialibus in humoribus reſidentibus proficiſcitur. Prius autem, quam has ſuas obſeruationes communicat, varios inter veteres auctores nominat, qui mercurium effectum hunc producere, quin etiam ad plura vlcera in corpore gignenda idoneum eſſe docuerunt. Id quod forte ſolum eius grauitati ſpecificae ad eam ſanguinis vt 14 ad 1. adſcribendum
p. 20. eſt. *Obſ.* 1. Vir, cui iuueni aduerſus gonorrhoeam contumacem vnguenta mercurialia, absque inſequente ſaliuatione, medici inunxerant, ſtranguriam paſſus eſt, quae, per triginta pluresque annos variis remediis fruſtra tentata, maciem tandem
p. 28. ipſamque mortem accerſiuit. *Obſ* 2. eundem morbum poſt frequentiorem mercurii vſum exortum
p. 41. declarat. *Obſ.* 3. Duo iuuenes, quibus lue venerea contaminatis exhibetur mercurius, leuem experiuntur ſtranguriam, remedii vſu intermiſſo, illico
p. 43. euaneſcentem. *Obſ.* 4. Grauida, ſexto geſtationis menſe, ad cutaneum morbum propellendum, mercurium adſumſit, vnde morbus quidem fugatus, at ſtatim abortus ſecutus eſt, quem quater poſt modum cum aliqua in mittenda vrina difficultate experta eſt. Propinata fuerunt decocta ſudorifera id effici-

efficientia, vt, cum denuo concepiſſet, foetum octi-
meſtrem viuum, ſed breui poſt defunctum elideret.
Poſt aliquod demum tempus iterum grauida facta
nono menſe ſaniſſimum filium edidit. *Obſ.* 5. Iuue- p. 46.
nem ſiſtit, qui pro enecandis pediculis aliquoties
vnguenta mercurialia pubi et axillis inunxit, vnde
ſtranguria, conuulſionibus ante ſomnum ſtipata, cor-
reptus eſt, decoctis ſudoriferis imminuta.

Sequuntur obſeruationes ad luem veneream p. 50.
ſpectantes, quas, etiamſi nec rarae admodum, nec
magni adeo momenti eſſe videantur, breuiter tamen
ſimus indicaturi. *Obſeruatio* nimirum 1. praeter
ophthalmiam veneream varia ſiſtit vlcera, a paren-
tibus aut nutricibus eadem lue inquinatis contracta,
et per plures annos aperta, mercurio tandem ſa-
nata. *Obſ.* 2. Religioſae cuidam virgini, ſupra qua- p. 54.
draginta annos natae, per decem annos dolorem
paſſae in thoracis latere dextro fixum, noctu atro-
ciorem, cum tuſſi et febricula verſus veſperam inci-
piente, mane autem ceſſante, ptyaliſmus mercurio
ſuſcitatus ſanitatem reddidit; huius ſorori, per vi-
ginti annos nocturnis oſſium doloribus excruciatae,
victus lacteus et decocta radicum bardanae, chinae
et ſaſſaparillae in ſero lactis, magnum iuuamen at-
tulerunt. Concludit inde Cl. Auctor, miaſma ve-
nereum per plures annos in humoribus inſons dor-
mitare, poſt vero reuiuiſcere et venereum morbum
excitare poſſe. *Obſ.* 3. Vir robuſtus, dum ebrius p. 56.
meretricem ſpurciſſimam comprimit, ex huius cor-
pore foetidam exhalationem exire ſentit, eodemque
momento calorem quendam thoracem cum artubus
ſuperioribus perfundentem percipit, ſic, vt vlterius
coitum exercere non poſſit. Eadem nocte partes
illas calore perfuſas atrociſſimi dolores excruciant,
per plures dies aegro, inprimis noctu moleſtiſſimi,
et vxori et filio breui demortuo, in eodem lectulo

p. 59. cubantibus, communicati. *Obſ.* 4. dolores ſiſtit oſteocopos feminae in vno eodemque lectulo cum marito, venerea lue infecto, decumbentis, neque tamen ab eodem compreſſae, communicatos, mercurii ope propulſos. Oſtendit hac obſeruatione Cl. Auctor, virus venereum aliquando in intima corporis peruenire poſſe, ſine eo, quod partes, quas permeat, abinde laedantur.

XVII.

A Courſe of anatomico-phyſiological Lectures on the human Structure and animal Oeconomy, interſperſed with various Notes and pathological Obſervations etc. etc. by CHARLES NICOLAS IENTY Med. Doct. London printed for the Author. 1762. in 8. Vol. I. 1 Alph. pl. 16. Vol. II. 1 Alph. pl. 18 ½. Vol. III. 1 Alph. pl. 16.

i. e.

Curſus lectionum anatomico-phyſiologicarum ſuper corporis humani ſtructura et oeconomia animali, immixtis variis notis et obſeruationibus pathologicis: Auctore CAROLO NICOLAO IENTY, Med. Doct. Vol. I. II. III.

Nouus libro huic, iam anno 1757 apud Iac. Rivington et Iac. Fletcher edito, ſine vlla mutatione, praefixus tantum eſt titulus. Conſtituit vero Auctor, qui iam antea figuris anatomicis ſceleti et vteri editis innotuit, ſyſtema anatomiae interſperſis phyſiologicis et pathologicis obſeruationibus ex optimis recentiorum ſcriptis colligere. Vſus eſt hac in re inprimis WINSLOVII, HALLERI,

MON-

MONROI, WHYTTII aliorumque ſcriptis, et ſaepe integra in hunc ſuum librum capita ex iis tranſtulit. Quae vero ipſi propria ſunt, perpauca profecto inuenies, ſi errores quosdam exceperis.

Praemiſſum eſt *volumini primo* compendium hi- T. I.
ſtoriae anatomicae. In recentiorum ſcriptis enar- p. 16.
randis tam parum diligens fuit, vt ALBINI opera myologica et oſteologica, quibus huius nomen apud omnes inclaruit, fruſtra in catalogo ſcriptorum eius quaeſiuerimus. Adnexa eſt huic compendio bre- p. 167.
uis de adminiſtratione anatomica, iniectione et conſeruatione corporum tractatio, et ſynoptica expo- p. 183.
ſitio partium, ſecundum ordinem, quo in diſſectione corporis humani ſe diſſectoris viſui offerunt.

Volumen primum octodecim lectiones in ſe comprehendit. Prima earum Anthropologia inſcribitur, in qua de corpore humano, nec non de oſteologia in genere quaedam diſputat; 2da de oſſibus in vniuerſum, 3tia de diuiſione, 4ta vero de coniunctione eorum agit. Harmoniam inter coniunctionis oſſium p. 71.
ſpecies referri poſſe, plane negat, ſed oſſa, quae harmonia inter ſe connecti dicuntur, vera ſutura iungi aſſerit: 5ta lectione capitis, 6ta trunci, 7ma thoracis oſſa, 8ua cartilagines et ligamenta trunci, 9na oſſa extremitatum ſuperiorum, 10ma cartilagines et ligamenta harum partium, 11ma tandem et 12ma oſſa, cartilagines atque ligamenta extremitatum inferiorum deſcribuntur, 13tia de integumentis, 14ta de muſculis in genere, 15ta de actione eorum, 16ta de muſculis capitis et maxillae inferioris, ſequenti de muſculis abdominalibus, et vltima tandem huius voluminis de natura ſanguinis humani Auctor exponit. Poſſidet Cl. IENTY inter p. 129.
praeparata ſua octo vertebras, ex ſenili corpore, perfecte inter ſe coalitas, nec non ſceleton adole- p. 169.

ſcentuli, in quo quatuor vertebrae dorſales inferiores adeo antrorſum curuatae ſunt, vt, raro profecto exemplo, per hanc ipſam curuaturam vena caua dilacerata ſit, et ſubitae mortis cauſſam praebuerit.

T. II. *Secundum volumen* praeter lectionem introductoriam de ſecretione viginti quinque lectionibus conſtat. In his de peritonaeo et omento, de oeſophago et ventriculo, de inteſtinis in vniuerſum, de meſenterio et meſocolo, de fame, ſiti, cibo atque potu, de chylo, hepate, pancreate, liene, inteſtinis, in ſpecie de renibus, veſica vrinaria, organis generationis in vtroque ſexu, de generationis negotio, grauiditate, partu, mammis, pleura, corde et circulatione, de pulmonibus tandem atque reſpiratione diſputatur. In interna peritonaei ſuperficie orificia
p. 2. vaſorum exhalantium, hac membrana paullulum tenſa, nudo oculo conſpici poſſe, Auctor docet, quod
p. 19. nullo modo fieri poteſt. In oeſophagum ductus excretorios VERCELLONII patere et liquorem ſalinum effundere, adhuc ſibi perſuaſum Noſter
p. 45. habet. Inteſtini ieiuni atque ilei canalem in quinque partes aequales diuidit, harumque fere
p. 63. duas ieiuno, reliquas tres et vltra ileo concedit. In infante ſeptem menſium, qui neque vllum cibum retinere, neque aluo aliquid excernere poterat, introſuſceptionem coeci et partis ilei in colon Noſter vidit, parte ilei, quae coeco adhaeret, calloſa
p. 118. atque gangraenoſa facta. Ductus hepatico cyſticos et in hominibus nunc inuentos et demonſtratos eſſe,
p. 131. neſcio, quo auctore, aſſerit. In veſicula fellea calculum oliuae magnitudine reperit, eumque maximum eſſe putat omnium, qui vnquam reperti ſint.
p. 224. Teſtes ſemper in foetus abdomine latere negat. Ex
p. 545. transuerſa apophyſi vltimae vertebrae colli, muſculum

lum ad interiorem et inferiorem primae coſtae et conuexam pleurae partem protenſum vidit, et in alio cadauere omnes ſcalenos primae coſtae inſertos obſeruauit.

Volumen tertium iterum viginti quinque lectionibus componitur. Diſputatur in his de labiis, ore et gingiuis, lingua, ſaliua et de organis ſenſoriis. Deinde cerebrum et medulla ſpinalis, harumque partium actiones explicantur. Sequitur muſculorum nondum deſcriptorum expoſitio, totumque opus arteriarum, venarum neruorumque hiſtoria finitur. Choroideam Noſter pro primario viſus organo habet, et putat, retinam tantum impreſſionem radiorum moderari, talemque vſum in viſus organo praeſtare, qualem epidermidem in tactus, guſtus vel odoratus organis habere aſſumunt. Pupillae motus a conſenſu eius cum choroidea pendet, et impreſſionis in choroidea factae vi atque magnitudini reſpondet. Hoc ipſum quoque oſtendit, retinam non immediatum viſus eſſe organon, cum certum ſit, nullam inter iridem et retinam coniunctionem intercedere, talem vero inter retinam et pupillam per neruos ciliares eſſe. Aponeuroſis palmaris in manu non a palmari longo oritur, cum ille muſculus hic inſertione ſua ſaepe varietatem inſignem oſtendat. Pſoas paruus rarius in viris, quam in feminis, ex Noſtri obſeruatione deprehenditur. Vaſtum internum a cruraeo Cl. IENTY nunquam ſeparare potuit.

T. III. p. 136. p. 281. p. 339. p. 364.

XVIII.

ALBERTI V. HALLER Opera minora emendata, aucta et renouata. Tom. I. Anatomica ad partes corporis humani vitales, animales, naturales. Lauſannae, ſumtibus Franciſci Graſſet. 1762. in 4. 3 Alph. pl. 7. tab. aen. 12.

Cum poſt tot labores egregios, ſummaque tum de re literaria vniuerſa, tum de patria merita, otium tandem nactus ſit Ill. HALLERUS, id decreuit impendere limandis emendandisque ſcriptis antea editis. Adplicauit autem manum primum opuſculis ſuis minoribus, conſtituitque tribus partibus edere ſcripta minora, anatomica et phyſiologica, pathologica, tandemque botanica. Et prima quidem pars, quae iam in manibus noſtris eſt, anatomica continet plurima, reliqua continebit ſecundum volumen, botanica tertium. Omnia vero ea ſcripta non modo emendata, ſed paſſim quoque aucta ſunt. Quae vero volumen hoc primum complectitur, ad ordinem, qui elementis phyſiologiae Ill. HALLERI reſpondet, diſpoſita ſunt, atque ad ſex priores tomos magni illius operis pertinent. Quae alia lingua quam latina ſcripta ſunt, latine curauit reddi Ill. Auctor. Haec de hoc opere in vniuerſum, nunc de ſingulis libellis dicamus.

p. 1. 1) Initium operis facit diſſ. *de vaſis cordis propriis* Gott. 1737 edita, inprimis in coronariarum arteriarum hiſtoria aliquantum aucta.

p. 19. 2) Sequuntur *iteratae de vaſis cordis obſeruationes*, Gott. 1739 non auctae.

p. 24. 3, 4) *Obſeruationes de valuula* EUSTACHII. Gott.
p. 33. Progr. I. 1737. Progr. II. ibid. 1748. In alium ordinem eas Ill. Auctor redegit, et ex Tom. I. Element. Phyſ. duas icones addidit.

5) Diſſ.

5) Diſſ. *de motu ſanguinis per cor.* Gott. 1737. p. 47.

6) Sequuntur *experimenta de cordis motu a ſtimulo nato* ex Tom. I. Comment. Gottingenſ. deſumta. p. 60.

7) De *motu ſanguinis ſermo*, eſt libellus gallice editus ſub nomine *ſecond memoire ſur le mouvement du ſang*. Multa tamen hic experimenta ex aliis Auctoris ſcriptis adiecta ſunt, nec non aliqua inedita. p. 64.

8) *De ſanguinis motu experimenta anatomica* ex T. IV. Comment. Gotting. p. 172.

9) *Ad epiſtolam* Cl. FRANCISCI LA MURE *animaduerſiones*, ex T. IV. *des memoires ſur les part. ſenſibles et irritables* p. 242.

10) *De diaphragmatis muſculis* diſſ. Bern. 1733. aliquo modo emendata. p. 249.

11) Huic diſſertationi adiecta eſt *noua icon ſepti transuerſi*. Gotting. 1741. p. 263.

12) *Experimenta de reſpiratione*. In hunc libellum tranſierunt quatuor diſſertationes de reſpiratione, quae iam in opuſculis pathologicis coniunctim editae ſunt. Sed omnia alio ordine proponuntur, ad gallicam editionem, Lauſ. 1758 editam, in latinam linguam translata. p. 269.

13) *Sermo de partibus corporis humani ſenſu praeditis et irritabilibus.* Eſt *ſecond memoire ſur les partes irritables et ſenſibles.* p. 329.

14) *De partibus corporis humani ſentientibus et irritabilibus ſermo* ex Tom. II. Comment. Gotting. p. 407.

15) *Ad obiectiones contra experimenta ſua propoſitas reſponſio.* Comprehendit varios libellos ex Comment. de irritabil. Lauſ. gallice editis et apologiam ad Ill. DE HAEN difficultates. Emendata tamen ſunt omnia et in ordinem redacta. p. 441.

16) *De vera origine nerui intercoſtalis* diſſ. Gott. 1743. p. 503.

17) *De neruorum in arterias imperio* diſſ. Gott. 1744. p. 513.

p. 529. 18) *De membrana pupillari* ex Act. Societ. Reg. Suecic. a. 1742.

p. 534. 19) I. G. DUVERNOI diſſ. *de ductu ſaliuali Coſchwitziano* Tubing. 1725. Eſt diſſ. quam Ill. HALLERUS defendit, et cuius pars anatomica ad eum pertinet.

p. 550. 20) Ill. HALLERI diſſ. inaug. Lugd. Bat. 1727 edita, *experimenta et dubia circa ductum ſaliualem nouum Coſchwizianum* continens.

p. 572. 21, 22) *Icon omenti* I. et II. Gott. 1742.

p. 580. 23) *De valuula coli obſeruat.* Gott. 1742.

p. 586. 24) *Obſeruationes de ductu thoracico.* Gott. 1741. Adiecta eſt huic diſſertationi ab Ill. Auctore noua aliqua icon, in qua ductus thoracici inſertio in venam ſubclauiam delineatur. Praefationi adnexus eſt index omnium ſcriptorum Ill. Auctoris. Et nunc, vti ex ipſa praefatione diſcimus, HALLERUS tum *enumerationem ſtirpium Helueticarum* auctam et emendatam iterum edere molitur, tum plenam *arteriarum corporis humani hiſtoriam* recto ordine diſpoſitam, tandemque *bibliothecam medicam* publicare promittit. Speramus, vnumquemque, qui artem noſtram amat, eiusque incrementa exoptat, vota ſua cum noſtris pro ſalute huius viri, cui tantum ars medica debet, iuncturum eſſe.

XIX.

Eſſai hiſtorique ſur la Medecine en France. a Paris chès Lottier l'ainé. 1762. in 12. pl. 13.

i. e.

Tentamen hiſtoricum de re medica in Gallia.

Reticuit quidem huius opuſculi, quod iam indicamus, Cl. Auctor nomen ſuum, interim tamen ex Regio Priuilegio adnexo intelligitur, eſſe eum Ill. IOANNEM BAPTISTAM CHOMEL, Decanum

Facul-

Facultatis medicae Pariſinae et medicum Regium
ordinarium. Communicat vero ille cum eruditis
omnia, quae de origine et progreſſu artis medicae
inter Gallos, de ortu Facultatis medicae Pariſinae
et membris eius celebrioribus, tandemque de mor-
bis nonnullis epidemicis et maxime vulgaribus colli-
gere potuit. Exponit autem tantum de rebus, quae
ante ſeculum decimum quartum euenerunt. Fon-
tes praecipui, ex quibus, libris impreſſis exceptis,
hauſit, fuere aduerſaria manuſcripta de medicis Pa-
riſienſibus IAC. MENTELII, aliaque Cl. BOUR-
DELOTII. Vſus eſt praeterea quoque priuilegiis
et indicibus Facultatis, et epitome indicum de anno
1597. Praefationi addidit catalogum Cancellario-
rum eccleſiae Pariſinae, qui vniuerſitatis quoque,
poſt fundationis eiusdem tempora, Cancellarii facti
ſunt, medicorum porro et Archiatrorum Regum
Galliae. Titulum Comitis Archiatrorum Regum
Galliae, quo primus medicorum Regiorum ſemper
inſigniri ſolet, primum accepit MARCUS MIRON,
medicus HENRICI III. Gallia ad fidem chriſtia- p. 44.
nam conuerſa, epiſcopi in eccleſiis et coenobiis
ſcholas inſtituebant, in quibus inter alias ſcien-
tias et artes medicam quoque artem traditam fuiſſe
Noſter perſuaſum ſibi habet, quod de nonnullis p. 61.
eiusmodi ſcholis valere ex aliis libri huius locis patet.
Succeſſere tandem in locum harum ſcholarum vni-
uerſitates, leges tamen vniuerſitatis Pariſienſis non
ante PHILIPPI AUGUSTI tempora factae ſunt,
vniuerſitatisque nomen ei primum temporibus
LUDOVICI, quem ſanctum dicunt, impoſitum eſt.
Artis vero medicae ſtudium in hac vniuerſitate in-
ſigniter promouebatur eo, quod monachis prohibe-
retur extra coenobia medicinam facere, qua re
effectum eſt, vt in dies maiora incrementa caperet.
Exortis tamen variis turbis, Facultas theologica ſe a p. 99.

reliquo vniuerſitatis corpore ita ſeparauit, vt reliquae Facultates vnam, theologica vero alteram
p. 104. totius Academiae partem conſtitueret. Secuti ſunt theologorum exemplum paullo poſt medici, legesque ſibi impoſuerunt circa annum 1270, quibus et libros, in quos commententur, ſibi ipſi praeſcripſerunt, haecque ſtatuta anno 1351 a PHI-
p. 127. LIPPO ſexto confirmata ſunt. Anno 1287 lex contra eos, qui illicite medicinam faciunt, promul-
p. 142. gata eſt, et anno tandem 1380 noua ſtatuta ex antiquis in vnum corpus collecta et emendata ſunt. In ipſo quoque hoc libro de lepra, vt morbo his temporibus maxime vulgari, diſputatur, et totus ARETAEI de eo locus adducitur. Addidit Cl. CHOMEL in fine nomina nonnullorum antiquorum Magiſtrorum Regentium, qui ante annum 1395 vixere, et nomina tandem Decanorum Facultatis Medicae ab hoc anno ad noſtra vſque tempora.

XX.

Acta Heluetica phyſico - mathematico - anatomico - botanico - medica, figuris aeneis illuſtrata, et in vſus publicos exarata. Volumen V. Baſileae, typis et ſumptibus Io. Rudolphi Im - Hoff. 1762. 4. 2 Alph. 7 plag. 6 tab. aen.

Pergimus ex eo opere, cuius antecedentia volumina iam tradidimus, ea nunc recenſere, quae quintum volumen conſtituunt, et ob rerum collectarum praeſtantiam pari, qua priora ſeſe commendabant, vtilitate illuſtrant, lectuque gratum efficiunt. Sunt vero capitum contenta ſequentia.

1) ALBERTI DE HALLER *emendationes et auctaria ad enumerationem ſtirpium Helueticarum.* Diu iamiam de noua editione ſtirpium Heluetica-rum cogitauit Ill. HALLERUS, diu quoque eandem exoptarunt omnes, qui rem herbariam aeſtimant, muneris tamen ratio, aliique labores, quibus indefeſſus HALLERUS orbi literario hactenus inſeruire ſtuduit, nondum ipſi permiſerunt, vt et ſuo deſiderio, et aliorum exſpectationi facere potuiſſet ſatis. Interim tamen, cum paucis abhinc annis opportunitatem nanciſceretur Ill. Auctor varias montoſas regiones adeundi, et amicos inueniret, qui eius ſuaſu in ſummis alpibus ſponte prouenientes plantas examinarent, ortae ſunt, quas iam indicamus, emendationes et auctaria ad ſtirpes Helueticas. Reiteratis enim obſeruationibus Noſter cognouit, varia in maiori opere antehac edito nunc debere et corrigi, et variis nouiter detectis plantis augeri. Quapropter in graminibus muſcisque deſcribendis fuſius verſatur, ita, vt multa emendauerit, quae hiſtoriam harum plantarum concernunt, et nonnullas ex his familiis ſuo loco inſeruerit, quae antehac non ſunt repertae. Ita e. g. nouam *Hypni* ſpeciem de- p. 12. ſcribit, quam *foliis lanceolatis*, *reflexis*, *operculo conico* dicit, DILLENIO ignotam. Praecipue *ſalicum* hiſtoriam correxit, deſcriptionesque earum accuratius exponere adniſus eſt. Nouas praeterea p. 69. plantas ſuis claſſibus paſſim immiſcuit, v. c. inter *diploſtemones* duas *Saxifragae* ſpecies inuenimus, quarum priorem *Saxifragiam foliis hirſutis, palmatis, dentatis, caule folioſo multifloro*, alteram *Saxifragiam foliis imbricatis, ouatis, caulibus reptantibus, bifloris* vocat. *Samolus* VALERANDI noua quoque ciuis eſt, et in vnica quidem foſſa tantum, ſed copioſius reperta; itaque HALLERUS deſcriptionem eius inter plantas *vaſculiferas*, flore fructui circumnato, dedit.

Noua *Aſtragaloidis* ſpecies in claſſe plantarum *papilionacearum* deſcribitur, quam *Phacam*, *caule ramoſo proſtrato*, *foliis lanceolatis*, *florum alis ſemibifidis* Noſter appellat.

p. 97. 2) *Commentarius de oolithis*, Auctore Cl. SCHMIDT. Num et animalium oua, ſicuti plura alia corpora naturalia, vere petrefacta inueniantur, inter hiſtoriae naturalis ſcriptores adhuc diſputatur. Ipſum nomen oolithorum non vni tantum corpori, ſed variis lapidibus indolis maxime diuerſae imponi ſolet. Itaque cum argumenta eorum, qui exiſtentiam ouorum vere petrefactorum in dubium vocant, refutare allaboret Cl. Auctor, operae pretium duxit, characteres genuinorum et ſpuriorum ſic dictorum oolithorum accuratius deſcribere, et poſſibilitatem declarare, qua petrificatio et in ouis animalium locum habeat. In veris et genuinis oolithis ſemper ſub cruſta externa latitare debere oua eiusdem magnitudinis, qua externa maſſa conſpicitur, talesque oolithos ibi reperiri, vbi piſces aut carabi petrificati inueniuntur, et oua ſua ponere ſolent, contendit. Ex chymicis characterem verorum et ſpuriorum oolithorum adducit: genuini enim oolithi, tanquam reliquiae ex animali regno, cum acidis efferueſcunt, ſpurii autem ebullitionem hanc cum acido quocunque affuſo non producunt; cumque praeterea auctores, qui petrificationem ouorum affirmarunt, oolithos tum piſcium, tum cancrorum marinorum, tum caraborum oua eſſe ſcripſerint, generationem horum animalium fuſius Noſter recenſet, inſimulque ortum eiusmodi vermium, qui conchylia inhabitare ſolent, explicat, tanquam quorum oua in oolithos quoque mutari alii aſſeruerunt. Qui tandem exiſtentiam oolithorum negant, et obiiciunt, oua animalium marinorum non ſatis ſolida eſſe ad petrificationem,

eos

eos ita refutat: haec oua ſemper habere membranam quandam, quae ipſis inſtar teſtarum eſt, vt et viſcoſitatem, ad ſoliditatem accedentem. Petrificatio eorum, ſicuti reliquorum corporum marinorum, in terra admodum humida conſiſtit, quae vt ſubtiliſſimus ſuccus per poros eorum gliſcit, ibidemque particulas terreſtres adponit.

3, 4) *Animalium Belgicorum* a LAUR. THEOD. GRONOVIO *obſeruatorum centuria III et IV.* p. 139.
Eadem ratione ac praecedentes *) tertia haec et quarta centuriae conſcriptae ſunt. In priori Auctor inſecta *coleoptera*, *hemiptera*, *lepidoptera* recenſet, in altera vero de *lepidopteris*, *neuropteris*, et *hymenopteris* exponit.

5) CAROLI MAGNI BLOEM *deſcriptiones quorundam inſectorum nondum cognitorum, ad Aquisgranum et Porcetum anno* 1761 *detectorum*, ad L. T. GRONOVIUM miſſae. p. 154.
Sunt ex claſſibus *coleopterorum*, *hemipterorum*, *lepidopterorum*, *hymenopterorum* et *apterorum* nonnulla, quorum fabricam accuratius definire ſtuduit.

6) IO. HOFERI *obſeruatio I. de morte et ſectione calculoſi.* p. 162.
In ſecundo tomo horum Actorum **) mentionem iamiam fecit Auctor aegri cuiusdam, iſchuria ſaepius laborantis, qui vero poſtea cum ſanitate iterum in gratiam rediit. Sed ſubito maximis doloribus, cum continua iſchuria, minimorumque calculorum excretione correptus, accedente febre inflammatoria cum vomituritione, ſiti clamoſa, et conuulſionibus tandem exſpirauit. Sectione inſti-

*) vid. Commentar. Noſtr. Vol. XI. P. II. p. 325.
**) vid. Comment. hor. Vol. VI. p. 69.

inſtituta, in veſica eius vrinaria reperti ſunt calculi 18, qui partim in ipſo veſicae cauo, partim in ſacco quodam, a parte poſtica veſicae accreto, latitabant. Lapilli omnes quoad magnitudinem et ſubſtantiam ſibi ſimiles videbantur, vnico excepto, qui cepae inſtar lamellatus reliquos ratione ponderis multum ſuperabat. Num idem ille calculus, maior forſan antea, tum, cum dolores et iſchuria aegrum vexare incipiebant, fractus ſit, et ſymptomatum ipſiusque tandem mortis cauſſa fuerit, Auctor quaerit.

p. 165. 7) *Eiusdem obſeruatio II. ſiſtens mortem a lacerato oeſophago hominis vitrum deuorantis.* Sutor, optima ſanitate per triginta annos vſus, vino autem valde deditus, ſolebat, cum ebrietas mentem occupauerat, pocula vitrea leuiter maſticata deglutire. Sed aliquando res ei male ceſſit. Poſtquam enim in inſigni crapula vitri partem deuorauerat, mox ſub ſterni cum ſiniſtra clauicula iunctura pungentem dolorem et ignis quaſi ſenſum percipiebat. Chirurgus, cui cauſſam mali occultauit aeger, corpus, quod in parte inferiore oeſophagi praeternaturale haerere credebatur, in ventriculum ope ſpongiolae cannulae argenteae alligatae protrudere tentauit, ſed incaſſum, ſicuti reliqua remedia. Aeger maximos inter cruciatus vitam finiit. E ſectione apparuit in ſiniſtro pectoris cauo ad ſpinam dorſi acutum triangulare vitri fragmentum iacens. Oeſophagus ſub clauiculae cum ſterno iunctura foramine vltra pollicem longo in cauitatem pectoris ſiniſtram hiabat, in ipſo ventriculo, vt et in ieiuno aliquot vitri fruſtula muco obuoluta, vt cauſſae mortis acceleratae, reperiebantur.

8) *Lite-*

8) *Literae*, a Cl. D'APPLES ad ſocietatem Baſilienſem datae, continent hiſtoriam aegri cuiusdam, cataracta laborantis, qui conſilio Ill. HALLERI Lutetiam profectus, operationi per extractionem lentis cryſtallinae a Cl. DAVIEL inſtitutae felici cum ſucceſſu ſeſe ſubmiſit. Fuſius eandem in adiecta epiſtola ad Ill. DE HALLER recenſet Noſter, tanquam teſtis ocularis. Addidit ſimul breue vitae curriculum Cl. DAVIEL, ſub indice:

9) *Elogium, ſeu breuis hiſtoria vitae* Cl. DAVIEL, *ab eodem.* Progenitus eſt IACOBUS DAVIEL patre chirurgo. Iuuenis adhuc ſeſe contulit ad celebrem chirurgum SALONI in Prouincia Galliae, et cum ab eodem in arte chirurgica bene inſtructus eſſet, filiam ſui praeceptoris in matrimonium duxit. In obſcuro tamen hoc loco diu commorari noluit, quapropter Maſſiliam petiit, ante quam dira peſtis vrbem hanc infecerat. Graſſante crudeli hoc morbo, non ſolum per ſuam aſſiduitatem, ſed etiam per intrepidum animum adeo vtilis fuit Cl. DAVIEL, vt ceſſante peſte a Galliae Rege ſtipendio quodam ornaretur, et ab eodem ordini Equitum St. Rochi, propter fugatam peſtem Maſſilienſem conſtituto, adſcriberetur. Maſſiliam poſthac relinquens, chirurgos adiit, qui nauibus actuariis praeerant, et ſingulari quodam inſtinctu excitatus, praecipue in oculorum morbos omnem ſuam attentionem direxit. Nactus an. circiter 1730 opportunitatem depreſſionem cataractae inſtituendi, tanta cum dexteritate hanc rem perfecit, vt famam eius mox aula et ciuitas Pariſienſis audirent, et quilibet morbo oculorum adfectus ſuos oculos DAVIELI concrederet. Sed ſerio tunc temporis reputans Cl. DAVIEL, quanta incommoda operationem cataractae per depreſſionem lentis cryſtallinae ſequi ſolent, de noua me-

thodo cogitauit; lentem, vt inutile corpus, per corneam apertam extrahendi. Et hanc operationem, quam Academia Reg. Scient. Pariſ. anno 1707 iamiam problematice propoſuerat, millies dein exoptato ſemper cum ſucceſſu tentauit. Circa vitae finem difficultate linguae laborauit, quod malum, cum ipſe medicorum conſilia negligeret, per hyemem ita increuit, vt inſtante vere loquela plane periret. Ex triſti hoc ſtatu iterum ereptus, Lutetiam reliquit, et varias Galliae prouincias adiit. Tandem vero ad Cl. TRONCHIN Geneuam venit, ibique proprio auſu purgans adeo validum ſumſit, vt malum accedente diarrhoea colliquatiua et febre in peiorem ſtatum ſit mutatum. Ille, Cl. TRONCHIN cauſſam ſui morbi, ex temerario abuſu remediorum ortam, confeſſus, circa finem menſ. ſeptembr. anni 1762 exſpirauit.

p. 179. 10) *Sectio cadaueris, d. 12 aug. 1762. facta ab eodem.* Vir quidam percepit tumorem valde doloroſum circa regionem orificii inferioris ventriculi, proxime lobulum minorem hepatis. Aeger peſſimis ſymptomatibus decumbebat, cutis vndique flauedine tincta erat, aluus mox liquidiſſima, mox ſumme obſtipata, vrina ex nigro rubra, pulſus lentus ſemper, haud raro intermittens, vomitus frequentiſſimus, cunctaque ſymptomata eo vſque augebantur, donec mors vitae cruciatuumque finem attulit. Sectione cadaueris detecta eſt magna quantitas humoris nigricantis et inodori, qui pectoris cauitatem occupauerat, pulmones hydatidibus pleni erant, ſimilisque in his obſeruabatur humor, qualis totum pectus impleuerat. Hepar praeternaturali modo cum diaphragmate cohaerebat, vndique paruis glandulis obſeſſum, mole auctum, et in omni ſua ſubſtantia bile conſperſum. Pylorus erat ſcirrho-

ſcirrhoſus; veſicula fellea ſatis craſſa, atra et viſcida bile impleta, quae ob indolem ſuam non poterat rite excerni.

11) D. C. E. BERDOT *obſeruatio I. Hydrocephali interni cyſtici lethalis hiſtoria et inciſio.* Puerulus quinque annorum, poſt tineam incaute retropulſam, ita capite turgere incepit, vt tandem ipſae ſuturae dehiſcerent, et oſſa temporum a parietalibus aliquantum ſecederent. Viſu orbatus puer oculos quaſi a rupta cornea ſemper lacrymantes habuit, dolor capitis vehementiſſimus, artus inferiores quotidie ad motus ineptiores, tandemque plane immobiles fiebant, loquela ſenſim paullatimque tardior, non articulata, vſque dum mors morbo per triennium tracto finem impoſuit. Multa de anatomia huius cadaueris Auctor recenſet, inſimulque varia exempla hydrocephalorum ex ſcabie retropulſa ortorum adducit. p. 183.

12) *Eiusdem obſeruatio II et III. Hydrocephalus internus.* In priore deſcribitur puer biennis, cuius capitis peripheria 13. pollices Pariſinos cum dimidio efficiebat, et linea ab vna aure ad alteram ducta numerabantur 17 pollices cum 9 lineis. In viuis adhuc erat infans, dum Auctor haec ſcripſit. In altera de puero quatuor annorum narratur, cuius hydrocephalus ita intumuit, vt capitis peripheria ad 23 pollices adaucta eſſet. Suturae maxima ex parte, praecipue ſagittalis, dehiſcebant, ſummus tumor a lateribus circa oſſa parietalia fuit. p. 191.

13) *Eiusdem obſeruatio IV. Menſtruus haemorrhoidum fluxus in puella trienni.* Ex phthiſica matre nata, ſaepiusque diarrhoeam perpeſſa puella, ad tertium aetatis annum inſigni macie accedenteque

ſcabie affecta proceſſit. Adhibitis remediis ſcabies euanuit, et corpus aliquo modo nutriri incepit. Inde quouis menſe poſt corporis laſſitudinem doloremque lumborum largiori haemorrhoidum fluxu correpta eſt puella, quae ſextum annum, cum Auctor haec ſcripſit, optime transegit.

p. 193. 14) *Eiusdem obſeruatio V. Menſtruus in ſene ſudor.* Per 30 annos robuſtus et octuagenarius ſingulo menſe per integrum fere diem ſudore diffluit, quem, ſi non rite ſuccedit, ope acetariorum quorundam largiter adhibitorum promouet ipſe bono cum effectu.

15) *Anguli plani definitio:* Auctore L. WENTZIO.

p. 203. 16) CAROLI LUDOVICI CRETTE *obſeruatio de funeſtis ſequelis metaſtaſeos non caute tractatae.* Concernit hiſtoriam viri cuiusdam, pleuritide ſpuria laborantis, qui medici conſilio haud amplius morem gerens, cum aliquantum reconualeſceret, et paruae puſtulae rubicundae primum, dein albeſcentes in latere dextro apparuerint, ſed aeri frigido ſe exponens, aliisque medicamentis adſtringentibus exanthemata haec retropellere tentauit. A quo tempore ſtatim vehementiſſimis in latere doloribus, peſſimisque aliis ſymptomatibus correptus eſt.

p. 205. 17) *Diſquiſitio modi naues actuarias emendandi.* Quaeſtio fuit mota ab Academia ſcientiarum Lugdunenſi, quomodo remi in nauibus poſſent emendari, ita, vt pauciore labore naues celeriori tamen motu poſſent prouehi. Ad quam in praeſenti tractatione a duobus viris reſpondetur.

18) *Examen fortunae trium luſorum, qui ludum triſtrac, aut quemcunque alium ludunt.* Auſtore I. A. MALLET. p. 230.

19) *Hiſtoriola colicae coenobialis in monaſterio Beinuilenſi, ord. S. Bened. ad B. v. M. P. aliquamdiu familiaris, cura* IO. RUDOLPHI ZWINGERI. Quo in exaranda morbi huius hiſtoria ſecundum ordinem verſetur Auctor, primum coenobii ſitum deſcribit, quod in prouíncia Solodurenſi eſſe dicit, variorum dein aegrorum mentionem facit, qui hoc morbo decubuerunt; poſtea in cauſſam huius mali inquirens, eam praecipue in vaſis cupreis ſtanno non bene ſuperductis, et coquendis cibis adaptatis, nec non in vino haud ſatis defoecato, quo per tempus aliquod vſi ſunt incolae coenobii huius, inuenit; quo inde ipſum morbum cum colica ſaturnina maximam habere affinitatem declarat, tandemque de medendi methodo exponit. p. 249.

20) *Obſeruatio botanica* IOH. HOFERI. *Zwingeram* dicit plantam, cuius deſcriptionem in praeſenti Auctor tradit. Prout vero partim ex deſcriptione, adductisque ſynonymis, partim ex adiecta icone videre licet, *Nolanam* LINNAEI eſſe perſpicimus. p. 266.

21) *Deſcriptio Cacti triangularis* LINN. Auctore IACOBO RISLERO. *M. D. Muhlhuſino*, in qua plantae huius ſynonyma, deſcriptio, et cultura fuſius recenſentur, icone in fine ſimul adiecta.

22) PHILIPP. IAC. SCHLOTTERBECII *obſeruatio phyſica, de cochleis quibusdam, nec non de turbinibus, vt et de cochlea quadam petrefacta.* Quatuor praecipue ſunt tractationis huius momenta, 1) ſcilicet

licet deſcriptio cochlearum, quas in terreſtres atque aquaticas diuidit Auctor, vbi inſimul de earum domibus, nec non de motu exſectorio et retractario quaedam adnotat; 2) deſcriptio turbinum, quos iterum in terreſtres et fluuiatiles diſpeſcit; 3) annotata quaedam de dente cochleae terreſtris maioris, quem felici caſu ſe detexiſſe dicit (plures vero iam vidit HARDERUS); 4) tandem narratio de cochlea quadam petrefacta, quam in lapidicina medios inter alios lapides fortuito reperit. De omnibus his adiectae tabulae clarius exponunt.

p. 289. 23) *Tractatus de morbis quibusdam exanthematicis*, Auctore RAZOUX. In tres claſſes morbi exanthematici in hoc tractatu deſcripti diſpeſcuntur, in petechias nempe, purpuram, et febrem miliarem. Purpura in benignam et malignam diuiditur, febris autem miliaris idem ſignificat, ac noſtris purpura alba. De ſingula morborum ſpecie hiſtoriae aegrotantium adducuntur.

p. 305. 24) ALB. DE HALLER *emendationum et auctariorum ad enumerationem ſtirpium Helueticarum continuatio.* Pergit Ill. Auctor, eas nobiscum communicare plantas, quae vt noui ciues in Heluetia ab eo et amicis ſuis ſunt repertae, nec non de aliis quaedam commemorare, quarum deſcriptiones in maiori ſuo opere iamiam quidem continentur, reiterato tamen examine inſtituto, emendationem definitionum requirunt. Inter recens detectas plantas v. c. occurrit *Bryi* ſpecies, *foliis congeſtis lanceolatis, anguſtis, capſulis ouatis, operculo mammillari,* dicta, et circa Baſileam reperta; noua et perpulchra *graminis* ſpecies, quam *Auenam dianthos, floribus aureis, criſta ex baſi floris prodeunte* Ill. Auctor vocat; ex *naſturtinarum plantarum* claſſe, noua ſpecies, quam

quam cum *Turritide ramoſa* adfinitatem quandam habere Noſter affirmat, quamque *Siſymbrium nudicaule, foliis radicalibus nitidis, dentatis, dentibus ciliatis* nuncupat.

25) IO. RUDOLPHI STEHELINI *obſeruatio de fractura oſſis bregmatis.* Lapidis ictu percuſſum fuit caput viri 42 annorum, duris laboribus aſſueti, ita, vt is in terram procumberet, et ſenſus motusque aboliti eſſent. Vulnere inſpecto os bregmatis in plura fruſtula fractum conſpiciebatur, quae ab illaeſa dura matre caute chirurgus remouit. Aeger apto regimine, medicamentisque adhibitis, iterum quidem ad ſe rediit, optimeque ſe habere eſt viſus, poſt aliquot tamen dies peſſima ſymptomata, paralyſis brachii, loquela impedita, ſoporque ſubito acceſſerunt, quae tamen cuncta praeter ſpem, poſt vſum medicamentorum iterum euanuerunt, ita vt dura mater noua ſubſtantia calloſa plane obducta ſit, et aeger ſanitatem denuo recuperauerit. p. 319.

26) *Curationes quaedam infauſtae vitandi cauſſa in exemplum enarratae ab Anonymo.* Continent haec exempla decem obſeruationes, inopinatum medicamentorum effectum declarantes. 1) *deſcribit vſum hellebori nigri funeſtum;* 2) *ſyrupum emeticum lethalem;* 3) *repentinam mortem hydropici poſt vſum aceti ſquillitici;* 4) *nicotianam in clyſtere mulieri hyſtericae pernicioſam;* 5) *mezerei baccas cuidam puero noxias;* 6) *ſemen hyoſcyami periculoſum;* 7) *iſchuriam ex potu aquarum mineralium in calculo veſicae;* 8) *inteſtini incarcerati repoſitionem ſerotinam in ileo hernioſo;* 9) *ſphacelum a decubitu lethalem*, tandemque 10) *emplaſtrum veſicatorium impenſe noxium.* p. 325.

p. 340. 27) *Variae obſeruationes e naturali hiſtoria depromtae*, Auctore EMANUELE WEIS. Hae obſeruationes indolem et mutationem globulorum ſanguinis humani aliorumque animalium declarant. Ad rotunditatem globulorum quod attinet, cum, vt Auctor contendit, ea neque in noſtro, neque in quadrupedum ſanguine obſeruari poſſit, experimenta cum animali, ex noſtris ſuccis nutrito, pulice nempe inſtituit, nec ſolum duo vaſa aeque rubra, quorum primum ventriculum eſſe credit, ſed et globulos perfecte rotundos ſe reperiſſe affirmat. In anatomen animalculi huius vlterius inquirens, non ſolum de corde et inteſtinis eius nonnulla, ſed etiam de motu harum partium ſibi viſa phaenomena profert.

p. 353. 28) *Animalium Belgicorum a* LAUR. THEOD. GRONOVIO *obſeruatorum centuria V.* Pergit Auctor inſecta hymenoptera, in quarta centuria iamiam commemorata, recenſere, quibus deſcriptis inſectorum dipterorum, apterorum, vermium inteſtinorum, et molluſcarum mentionem facit. Ex apteris inſectis tres cancrorum, vnam ſquillae, duasque oniſcorum ſpecies in aes incidi curauit, earumque deſcriptionem fuſius paullulum exhibet.

p. 383. 29) IO. HENRICI RYHINERI *analyſis chemica ſeminum coffeae.* Quamquam multi, et ex his praecipue NEUMANNUS et GEOFFROY analyſin ſeminum coffeae variis experimentis inſtitutis iamiam ſuſceperunt, quos tamen cum in determinanda quantitate partium conſtitutiuarum diſſentientes inuenerit Auctor, iique, vt ei videtur, de phaenomenis ſub operatione obſeruandis ſiluerint, ipſe cepit conſilium in partes conſtitutiuas horum ſeminum inquirendi, et quas detexit res, cum orbe erudito commu-

communicandi. In inſtituendis vero experimentis ita verſatus eſt, vt non ſolum in genere ſeminum coffeae ſuſciperet analyſin, ſed etiam differentiam inter ſpeciem orientalem (*Caffée de Leuante*) et occidentalem ex Americae inſulis adlatam diſquireret. Quapropter partim in infuſo aquoſo frigido, partim in calido, partim in decocto crudorum ſeminum quantitatem explorauit; retortae quoque ea immiſit, per omnes ignis gradus educta et producta eliciendo. Ex quibus tandem edoctus eſt, duas hasce coffeae ſpecies in eo inter ſe differre, quod ſemina orientalia minorem phlegmatis, olei empyreumatici, et capitis mortui quantitatem contineant, quam occidentalia. Ineſſe praeterea ſeminibus coffeae crudis vere oleum eſſentiale, ignis autem vi mox in empyreumaticum mutandum. Qua obſeruatione NEUMANNI ſententiae contradicit, nullum in coffea cruda oleum eſſentiale, ſed tantum empyreumaticum aſſumentis. Addidit in fine nonnulla ad praeparationem potus coffeae, huiusque vſum medicum et diaeteticum ſpectantia.

30) *Diſquiſitio, num methodus tincturam coffeae absque eius toſtione praeparandi, melior ſit, veteri et vſitata methodo eam torrendi?* Auctore E. M. ROSTAN. Noua methodus proponitur, potum coffeae absque fabarum toſtione praeparandi. Fabae crudae bene mundatae, et per octauam horae partem cum aqua coctae, mox ab igne remouentur, et in vaſe obturato aliquamdiu reponuntur. Tinctura inde orta citrini coloris cum pauxillo ſaccharo ſorbillatur. Hanc praeparationem longe praeſtare ei, quae vulgo conficitur, Auctor ex eo affirmat, quod partium coffeae volatilitas toſtione fabarum augetur, inde inſomniis, et anxietatibus oriundis opportunitatem praebet, quae vero incommoda in noua p. 403.

hac

hac methodo non extimeſcenda ſunt, cum leni illo ignis gradu neque partes ſpirituoſae et volatiles acui, neque optima alia et ſubtilia principia coffeae diſſipari poſſent.

p. 407. 31) *Eiusdem comparatio nutritionis plumarum et dentium, adiectis nonnullis praeceptis eorum iacturam auertendi.* Analogiam inter pennas auium dentesque hominum demonſtrans Auctor, praecipue generationem, nutritionem et fabricam vtrarumque partium adducit, nec non aegritudinem infantum, quo tempore dentes propullulant, et auium, cum pennae vetuſtiores cadunt, nouaeque ſuccreſcunt, vt argumentum analogiae profert. Pro conſeruanda integritate dentium praecipue vſum puluerum dentifriciorum et ſpirituum acidorum vetat, e contrario fumigationem ex herbis, *rore marino*, *ſaluia*, *roſa*, *maſtiche*, et inprimis ex nidis veſparum ſuadet, quemadmodum etiam pro nutriendis gingiuis, dentibusque a carie praeſeruandis, opiatum quoddam ex corticibus aurantiorum leniter toſtis et contuſis, dein per cribrum traiectis et cum melle optimo in vnguenti conſiſtentiam redactis commendat, quo vnguento ſi dentes omni veſpera abſtergantur, optimum ſemper promittit euentum.

32) *Obſeruationes meteorologicae anno* 1759. *Baſileae a* IO. IAC. D'ANNONE *factae.*

XXI. Diſſ.

XXI.

Diſſ inaug. de continuationibus membranarum. Auctore ANDREA BONN, Amſtelaedamo Batauo. Lugd. Bat. 1763. in 4to pl. 7½. tab. aen. 1.

Egregium hoc argumentum ita tractandum ſibi ſumſit Cl. BONN, vt ex optimis ſcriptoribus, quae ad rem ſuam inprimis facere videbantur, colligeret, et vbi auctores inter ſe diſſentire videret, naturam ipſam vlterius diſquireret. Agit vero primo de membranis in genere, deinde de cute eiusque continuationibus, tum de illis, quae ſub cute ſunt, tandemque de membranis cauitates capitis, thoracis, abdominisque veſtientibus. Liceat nobis ex toto hoc opuſculo quasdam indicare obſeruationes, quo Lectores eo melius de eius praeſtantia Auctorisque ſtudio iudicare poſſint. Epider- p. 6.
midis regenerationem ita explicat, vt extrema vaſcula abrupta iterum elongari et procreſcere, eorumque parietes ab adfluente humore ad cutis ſuperficiem reclinari putet. Hinc ea ope craſſioris huius humoris conglutinari, incraſſari et calloſa fieri, dum, continua preſſione impedita debita excretione, compreſſa vaſa vacuaeque venae vna cum materia perſpirabili in iis ſtagnante coaleſcunt. Productio- p. 10.
nem epidermidis ſupra tympani membranam eleganter deſcribit, et cutem quoque mutatam ſupra tympani membranam expandi docet. Ter canales p. 12.
incisiuos apertos vidit. Limbum, qui dentium al- p. 13.
ueolos tegit, in recens nato infante innumeris paruis foraminibus pertuſum obſeruauit, vnde concludit, membranam, quae folliculum efficit, forte oriri a cute oris per foramina limbi producta, et teſtulam, quae dentes adhuc molles inueſtit, continuationem

eſſe epidermidis, ſimilis ac vngues naturae, ſed magis
p. 19. induratae. In puella recens nata colon, vbi flexuram ſigmoideam efficit, dextrorſum ad pſoam vſque dextrum flectebatur, vbi clauſo eius extremo ante hunc muſculum coeco fine deſinebat. Peritonaeum intra peluim continuabatur, integrumque ad vterum rurſus reflexum ſeparari poterat. Ani apertura exterior naturalis apparebat, et ſpecillum ad longitudinem lati fere digiti admittebat, ſola tamen erat cutis extenuatae et in internam tunicam muta-
p. 21. tae productio. Membrana tubarum FALLOPII interna, quae membranae vterum interius inueſtientis propago eſt, in membranam externam tubae continuatur, et duplicata ad ligamenta vteri lata producitur, atque in ipſum tandem peritonaeum explica-
p. 24. tur. Membranam articulorum internam epiphyſes cartilagineas in iunioribus, aut cartilagineam oſſium in adultis laminam inueſtire, ex Cl. BONN obſerua-
p. 31. tionibus magis confirmatur. Pia mater eo loco, vbi vaſa ex dura matre ad piam procedunt, cum interna durae matris lamina cohaeret. Reflectitur enim durae matris lamina interna, et cum venis ad arachnoideam deſcendit, haec vero ad earum inſertionem pelliculas valuuloſas quaſi format, et in durae matris internam laminam, vbi venas ſuſcipit, abit.
p. 33. Ad ſellam turcicam interna durae matris lamina non glandulam continet, ſed cum pauca tela celluloſa vaginae in ſpeciem ſupra carotides et ductum glandulae pituitariae continuatur et adſcendit, donec in arachnoideam, quae ſuperficialis piae matris lamina eſt, continuatur. Adſcendit enim dura mater cum arteria, arachnoidea vero a baſi cerebri recedens libera ſupra adſcendentem arteriam deſcendit, et mox reflexa cum vagina arteriae a dura matre confluit. Hinc ſpecies introſuſceptionis voluulo inteſtinorum ſimilis oritur, quae primo adſpectu

arach-

arachnoideam ibi perforari oſtendere videtur. Attamen non perforatur, ſed leuiter tantum duplicata continuatur. In vertebralibus poſterius ſimile quid fit. Dura mater ab infundibulo non perforatur, ſed lamina durae matris ſimile ei inuolucrum praebet, et ſimili modo in arachnoideam explicatur. In p. 38.
oculo choroidea ab interna durae matris lamina, per foramina laminae cribroſae ſcleroticae producta, ex Noſtri ſententia oritur. Huius cribroſae laminae poſterior ſuperficies continuatio vaginae nerui optici eſt, anterior ſiue interna ipſius choroideae. Pia mater per laminae huius foramina cum arteria centrali ad humorem vitreum protenditur, et hyaloideam membranam conſtituit. Anterior iridis la- p. 40.
mina, quae ipſa choroideae propago eſt, non ad ambitum corneae finitur, ſed ſupra internam corneae ſuperficiem continuatur, a qua Noſter ſatis inſignem eius portionem ſeparauit. Peritonaeum eo p. 49.
loco, vbi vmbilicalia vaſa egrediuntur, non perforatum eſſe, ſed ſolam telam celluloſam produci, vlterioribus experimentis Cl. BONN contra DOUGLASSIUM confirmat. In adiecta tabula aenea, quae de piae et durae matris coniunctione dicta ſunt, explicantur.

XXII.

Gleanings of natural Hiſtory, exhibiting figures of Quadrupeds, Birds, Inſects, Plants etc. moſt of which have not, till now, been either figured or deſcribed. Deſigned, engraved and coloured after nature by GEORGE EDWARDS, Fellow of the Royal Society, and of the Society of Antiquaries. London, printed for the Author. In Folio. Tom. I. 1758. 1 Alph. 5 plag. tab. aen. 50. Tom. II. 1760. 1 Alph. pl. 15. tab. aen. 50. Tom. III. 1764. 1 Alph. pl. 10. tab. aen. 52.

ſiue:

Glanures de l'Hiſtoire naturelle, conſiſtantes en figures de Quadrupedes, d' Oiſeaux, d' Inſectes, de Plantes etc. dont on n'avoit eu pour la plûspart de Deſſeins ou d' Explications. Deſſinés, gravés et colorés d' apres nature par GEORGE EDWARDS.

id eſt:

Spicilegium hiſtoriae naturalis, continens figuras quadrupedum, auium, inſectorum, plantarum etc. quarum rerum maxima pars nunquam antea delineata aut deſcripta fuit. Pinxit, aeri incidit et coloribus diſtinxit GEORGIUS EDWARDS.

Cum inter edendum ſplendidiſſimum hiſtoriae naturalis de auibus opus in Cl. EDWARDS manus venirent alia diuerſa animalium rariorum genera, conſilium cepit addendi huius ſpicilegii. Quod eadem profecto diligentia, felicique ſucceſſu perfecit, quem

quem in primo opere deprehendimus. Figurarum enim ſumma eſt elegantia, quippe quae veriſſime ad naturam depictae, nitidiſſime aeri inciſae, inprimisque coloribus aptiſſime et elegantiſſime diſtinctae ſunt. Quae laus potiſſimum debetur nonnullis ex Anglis, quod figuras aeri inciſas non ita craſſis, vt plerumque fit, obducant coloribus, quo multo ornatiores reddere imagines ſolent. Ceterum quod ad vniuerſam operis rationem attinet, ſingulis figuris addita eſt breuis explicatio, anglico pariter et gallico ſermone expreſſa. In qua praeter ea, quae ad hiſtoriam animalis, de quo agitur, in vniuerſum pertinent, etiam Auctorum ſynonyma nonnunquam adducuntur et diiudicantur.

Tomo primo praefixa eſt imago Cl. Auctoris, ipſe vero liber quinquaginta capitibus abſoluitur, ad quae totidem tabulae aeneae pertinent. In prima, quae CCXI. totius operis eſt, delineatur *Sorbus pomifera* ſiue *maxima*. CCXII. *Manus iuuenis cum cute morboſa*. Hic ob excreſcentias morboſas, quibus eius corpus vniuerſum obſitum erat, *the Porcupine Man*, id eſt, homo hyſtrici ſimilis dicebatur *). Addita eſt alia *ſorbi* ſpecies ſcilicet *torminalis*. CCXIII. *Homo ſylueſtris* ſiue *Orang Outang*. CCXIV. *Cercopithecus* ex Sumatra *cauda porcelli*. CCXV. *Cercopithecus viridis* ex inſula S. Iago. CCXVI. *Cynocephalus* capite vulpino *Mongootz* dictus. CCXVII. *Cynocephalus* ex inſula Madagaſcar, *Macouco niger* dictus. CCXVIII. *Cercopithecus* paruus, *Cagui minor* Braſilienſium ſiue *Sagouin* CLUSII et BRISSONII. CCXIX. *Mus Aegyptiacus* pedibus poſticis longiſſimis, cauda elongata, *Gerbua* Auctorum. CCXX. *Myrmecophaga minor*, manibus didactylis, pedibus tetra- T. I.

*) vid. Philoſophical Transact. n. 424.

tetradactylis LINN. CCXXI. *Elephas* et *Rhinoceros.* CCXXII. *Zebra mas* et CCXXIII *Zebra femina.* Vltimi huius animalis nemo ante Cl. EDWARDS figuram dedit. Cum enim pelles femellarum non adeo ſplendidam colorum varietatem oſtendant, vt pelles marium, a mercatoribus ad nos haud transferuntur, et rariſſime in Europa inueniuntur. CCXXIV. *Aquila aurita* ſiue *coronata* Guineenſis eſt *Aquila* Africana *criſtata* BRISSONII. CCXXV. *Accipiter ſubcoeruleus* eſt *Laniarius cinereus* BRISSONII et *Lacerta parua fuſca.* CCXXVI. *Lanius* ſiue *Collurio Surinamenſis* ex albo et nigro variegatus, et *Papilio* quidam *Sinenſis* ex albo et nigro variegatus. CCXXVII. *Bubo magnus cornutus Athenienſis.* Haec noctuae ſpecies ea eſſe putatur, quae Mineruae ab Athenienſibus dicata et ſacrata erat, et cuius figura frequentiſſime in monetis et monumentis Athenienſibus occurrit. Hinc quoque a Noſtro *Auis Mineruae* dicitur. Eſt *Bubo Italicus* BRISSONII. CCXXVIII. *Noctua minima* ſiue *Strix paſſerina* LINN. CCXXIX. *Pſittacus* ſiue *Macao viridis* Braſilienſis et CCXXX *Pſittacus viridis fronte coerulea.* CCXXXI. *Pſittacus Chinenſis ruber et viridis.* CCXXXII. *Pſittacus minor Indiae orientalis pectore rubro.* CCXXXIII. *Pſittacus minor torquatus capite roſeo.* CCXXXIV. *Pſittacus minor fronte lutea.* CCXXXV. *Pſittacus minor vertice aureo* et *Pſittacus minimus viridi coeruleoque colore varius.* CCXXXVI. *Pſittacus minor cauda longiſſima viridis et ruber.* CCXXXVII. *Pſittacus minor capite rubro*, vulgo *Paſſer Guineenſis* dictus et *Muſcicapa Marilandica gutture luteo.* CCXXXVIII. *Pica Toucan* dicta *roſtro rubro* eſt *Toucan Cayenenſis gutture albo* BRISSONII. CCXXXIX. *Pica glandaria Carolinenſis coerulea* eſt *Garrulus Canadenſis coeruleus* BRISSONII ſiue *Coruus criſtatus* LINN. et *Auicula aeſtiualis rubra Carolinenſis* ſiue *Muſcicapa*

rubra

rubra CATESBAEI. Eſt *Fringilla rubra* LINN. In hac figura tamen roſtrum huius auis non adeo bene delineatur *). CCXL. *Caryocotactes* ſiue *Nucifraga.* CCXLI. *Parus coeruleus pectore purpureo* videtur ad *Cotingam* BRISS. proxime accedere. CCXLII. *Garrulus Carolinenſis.* CCXLIII. *Auis Bonanae minor* ſiue *Icterus minor* nidum ſuſpendens. CCXLIV. *Picus Iamaicenſis.* CCXLV. *Iſpida minor* viridi et aurantio colore varia, et *Lacerta coerulea* ex inſula Neuis. CCXLVI. *Attagen* ſiue verus *Francolinus* Italorum eſt *Tetrao Orientalis* LINN. CCXLVII. *Coturnix Chinenſis.* Hae aues in China docentur inter ſe pugnare, earumque domini praemiis de victoria contendunt, eo modo vti in Anglia galli gallinacei ad pugnam informantur. Addita eſt figura *Lacertae* cuiusdam *ex Inſula Sarnia.* CCXLVIII. *Vrogallus* collari extenſo *Penſyluanicus.* Eſt *Attagen Penſyluaniae* BRISSONII. Haec Vrogalli ſpecies caudam et collare ex plumis longioribus compoſitum, vti Pauo caudam erigit, atque ad alliciendam feminam vocem edit, quae ſtrepitum tympani bellici quodammodo imitatur. CCXLIX. *Lagopus* ſiue *Kata* ex Aleppo cauda duabus plumis elongata, eſt *Bonaſa Pyrenaica* BRISSONII. CCL. *Otis Bengalenſis* ſiue *Churge* Indorum. (*Pluuialis Bengalenſis maior* BRISS.) CCLI. *Otis minor* ſiue *Anas campeſtris*, ſiue *Tethrax* Auctorum, eſt feminae icon. CCLII. *Turdus vertice aureo* et *Muſcicapa coerulea.* CCLIII. *Muſcicapa ſubfuſco viridis* ſiue *oliuacei coloris* et *Papilio Sinenſis luteus.* CCLIV. *Regulus criſtatus* ſiue *Trochilus* antiquorum et *Regulus criſtatus* alter *vertice rubini coloris*, nec non *Veſpa Ichneumon Virginica.* CCLV. *Muſcicapa vropygio luteo*, et *Gen-*

*) vid. Cl. BRISSON Ornitholog. Ord. V. Gen. 24. ſpec. 37.

tianae cuiusdam Americanae ſpecies, quam Cl. EDWARDS *Gentianam autumnalem deſerti perennem* dicit, nec non *Agni Scythici Borometz* vulgo dicti figura ex Transactionibus Societatis Anglicae deſumta. CCLVI. *Auicula lutea vertice rubro* (*Ficedula Penſyluanica erythrocephalos* BRISS.), et *Melliuora cauda alba*. CCLVII. *Muſcicapa cauda lutea* et alia *Muſcicapa cauda maculata*. CCLVIII. *Motacilla lutea*, Inſectum Indiae occidentalis *folium ambulans* dictum, et *Lapis ex Via Gigantum* (*the Giants Cauſeway*) in Hibernia ſeptentrionali, qui, vti notum eſt, *Baſaltis* ſpeciem ſiſtit. CCLIX. *Motacilla cinerea* et *Lacerta aquatica*. CCLX. *Parus Surinamenſis vertice nigro* et alius *vertice albo*.

T. II. In Tomo ſecundo iterum quinquaginta tabulae aeneae continentur. CCLXI. *Manacus* ſiue *Parus dorſo coeruleo* eſt *Manacus criſtatus niger* BRISS. et *Manacus* ſiue *Parus ruber et niger* eſt *Aureola* LINN. CCLXII. *Parus viridis maculatus* et *Muſcicapa cinerea* et *coerulea*. CCLXIII. *Parus coeruleus* et *Parus aureus*. CCLXIV. *Certhia coerulea et nigra*, caput et collum *Vpupae croceae* LINN. ſiue *Rupicolae* BRISS. Haec enim auis ab vpupa differt, et ob corollam tantum, qua caput eius ornatur, a Batauis Surinamenſibus, vbi rupicola inuenitur, vpupa vocatur. Magnitudinem fere gallinae, aurantiumque colorem habet. CCLXV. *Certhia Indica purpurea*. CCLXVI. *Melliuora pectore rubro* et *Melliuora gutture viridi*, nec non *Mus auellanarum minor*. De *Melliuoris* ſiue *Colibri* auibus Cl. EDWARDS ex relatione Cl. BROWN aſſerit, has auiculas maiores aues, quae ad nidum ſuum appropinquant, ſuſurrando in fugam conuertere, motumque melliuorarum, quando ab iſta pugna redeunt, adeo velocem eſſe, vt oculis cerni non poſſint, ſed ſuſurratione tantum detegantur.

tur. CCLXVII. *Merula pectore rubro.* CCLXVIII. *Calandra* eſt *Alauda maior* BRISS. et *Talpa maculata.* CCLXIX. *Paſſer montanus* mas et femina. CCLXX. *Paſſer cauda longiſſima* et *Linaria fuſca.* CCLXXI. *Paſſer e luteo nigroque varius criſpus*, et *Paſſer Braſilienſis.* CCLXXII. *Auicula torquata* et *Carduelis viridis.* CCLXXIII. *Fringilla tricolor* mas et femina. CCLXXIV. *Carduelis Americanus* mas et femina. CCLXXV. *Ardea ſtellaris parua fuſca.* CCLXXVI. *Auis Canuti* eſt *Tringae* ſpecies. CCLXXVII. *Tringa maculata* et *Certhia pinus.* CCLXXVIII. *Gallinula Chloropus minima* et *Regulus luteus.* CCLXXIX. *Rallus aquaticus Americanus.* CCLXXX. *Anas cauda longiſſima*, ex Newfoundland, et *Pluuialis alis calcare donatis.* Nonnulli credunt, hanc auem *Trochilum* eſſe, de qua aue PLINIUS narrat, eam in os crocodili irrepere et reliquiis ciborum intra dentes reſiduis veſci, ſique os beſtia clauſerit, tunc auem illam calcaribus ſuis vexare, donec rurſus aperuerit. Tabula CCLXXXI *quatuor roſtra* auium quodammodo adhuc incognitarum exhibet. Primum eſt roſtrum *Lari maioris roſtro inaequali et cultriformi* CATESB. et PETIV. Secundum roſtrum *auis Rhinocerotis* ſiue *Hydrocoracis Indici* BRISSONII eſt. Figura auis ipſius nunc proſtat Lugduni Batauorum anno ſuperiori edita *), auis enim illa rariſſima in egregio muſeo academiae Lugdunenſis, cura Cel. ALLAMAND potiſſimum collecto, nunc aſſeruatur. Tertium auis plane Cl. EDWARDS incognitae eſt (*an Hydrocorax Philippenſis* BRISS.?), pariter tamen vti quartum ad auem ex *Rhinocerotis* genere pertinet. Videtur nobis autem quartum roſtrum eſſe *Hydrocoracis Callao* BRISS. CCLXXXII. *Piſcis calcaribus praeditus* et *Piſcis*, quem Noſter *Gattouruginam Indicam* dicit,

*) vid. Comment. Vol. XII. Part. I. pag. 174.

dicit, quia ad piſcem accedit, qui Venetiis *Gattourugina* vocari ſolet. CCLXXXIII. *Piſcis Veſpertilio marinus* dictus et *Acacauna maculata.* CCLXXXIV. *Piſciculus cornutus* ex Inſula Madagaſcar allatus, ſimiles tamen piſces non adeo infrequenter in Cornubienſi quoque littore reperiuntur, et *Scorpio marinus piſcis* ſiue *Porcellus.* CCLXXXV. *Blatta maxima* et inſectum a Noſtro *Fiſtula* dictum. CCLXXXVI. *Balanus Ceti* cum polypis, *Limax marinus, Cancer hirſutus* et *Corallina oſſa halecum aemulans.* CCLXXXVII. *Teſtudo* parua *lutoſa.* CCLXXXVIII. *Galeus acanthus* ſiue *Spinax* piſcis et inſectum *Virgultum ambulans* dictum. CCLXXXIX. *Catulus maior* piſcis. CCXC. *Vultur niger criſtatus* ſ. *Vultur Arabicus* BRISS. et *Serpens* Indicus niger et albus. CCXCI. *Accipiter paludarius* et *Auis arundinacea* ſiue *Hortulanus Carolinenſis.* CCXCII. *Pſittacus minor torquatus* et *Pſittacus minor capite coeruleo.* CCXCIII. *Pſittacus minor vertice ſapphirino*, et *Pſittacus minor alis aureis.* CCXCIV. *Dodo auis* eſt *Struthio cucullatus* LINN. ſiue *Raphus* BRISSONII. Rariſſima et ſingularis illa auis in Mauritia Africae inſula tantum reperitur. Magnitudine cygnum antecellit, roſtrum habet longiſſimum validiſſimumque, apice vtriusque mandibulae adunco, ſuperiore mandibula maxime incuruata. Alae pro corporis mole exiguae et volatui inutiles ſunt. Digitos habet quatuor, tres ſcilicet anticos, vnum poſticum. Caput deforme eſt et quadam membrana cooperitur, quae cuculum quaſi refert. Color in vniuerſo fere corpore griſeus eſt. CCXCV. Auis *Curaſſo* et auis *Acajou* ſ. *Cuſco.* Sunt *Crax nigra* LINN. et *Crax Mexicanus* BRISS. CCXCVI. *Turdus paruus.* CCXCVII. *Alauda Penſyluanica* et *Papilio fuſcus.* CCXCVIII. *Muſcicapa vertice aureo* mas et femina. CCXCIX. *Muſcicapa alis aureis* et *Papilio teſtudinarius maculatus.* CCC.

Muſci-

Muſcicapa viridis gutture nigro et *Certhia nigra et alba.* CCCI. *Muſcicapa gutture rubro* mas et femina. CCCII. *Muſcicapa parua ſubcoerulea* mas et femina cum nido. CCCIII. *Loxia* mas et femina. CCCIV. *Paſſer gutture albo* et *Papilio luteus.* CCCV. *Vermiuora* et *Scarabaeus capricornis.* CCCVI. *Coccothrauſtes Malacenſis Iacarini* et *Papilio paruus luteus.* CCCVII. *Arquata minor*, Anglis *Whimbrel* dicta et *Muſcus papyraceus.* CCCVIII. *Tringa griſea* digitis inſtar fulicae lobatis. CCCIX. Auis *Rabihorcados* ſiue *nauis bellica* dicta (*Sula Fregatta* BRISS.) et *Piſcis* quidam Sinenſis. CCCX. *Ignauus* ſiue *Tardigradus.*

Tomus tertius componitur tabulis aeneis quinquaginta duabus. In tabula CCCXI delineatur *Simia nigra* mediae magnitudinis. CCCXII. *Simia cauda comata.* CCCXIII. *Pſittacus magnus viridis.* CCCXIV. *Pſittacus capite coeruleo.* CCCXV. *Pſittacus paruus fuſcus.* CCCXVI. *Pſittacus criſtatus magnus niger.* CCCXVII. *Pſittacus minor albus criſta flaua.* CCCXVIII. *Pica griſea Braſilienſis* et *Papilio Sinenſis.* CCCXIX. *Pica Braſilienſis nigra et flaua.* CCCXX. *Pica coerulea et viridis.* CCCXXI. *Pica viridis inſulae Ceylon.* CCCXXII. *Pica alis flauis* et *Locuſta maxima.* CCCXXIII. *Sturnus capite flauo* et ramus *Arbuti* cum flore et fructu. CCCXXIV. *Pica cauda breui* et *Scarabaeus Rhinoceros.* CCCXXV. *Pica criſtata cauda longiſſima.* CCCXXVI. *Garrulus coeruleus Indicus.* CCCXXVII. *Garrulus Indicus cauda longiſſima.* CCCXXVIII. *Garrulus Braſilienſis roſtro ſerrato.* CCCXXIX. *Toucan pectore flauo.* CCCXXX. *Toucan viridis.* CCCXXXI. *Cuculus viridis ventre flauo.* CCCXXXII. *Picus genis rubris.* CCCXXXIII. *Picus flauus maculis nigris.* CCCXXXIV. *Iacamaciri* MARCGRAVII eſt *Galbula* BRISSONII. CCCXXXV. *Iſpida maculata.* CCCXXXVI. *Iſpida criſtata.* CCCXXXVII. T. III.

Phaſi-

Phaſianus Turcicus eſt ſpecies quaedam hybrida ex *Gallo Indico* et *Phaſiano* nata *) CCCXXXVIII. *Columba magna criſtata* Indica. Hanc BRISSONIUS ad *Phaſianum* retulit vocatque *Phaſianum criſtatum Indicum*, videtur tamen omnino ad *Columbas* pertinere. CCCXXXIX. *Columba inſulae Nicobar.* CCCXL. *Manacus mas pectore purpureo* eſt prima *Cotingae* ſpecies BRISS. CCCXLI. Auis *Pompadour*, a Cl. EDWARDS in honorem Marchioniſſae DE POMPADOUR ita dicta, eſt *Cotinga purpurea* BRISSONII. CCCXLII. *Shirleius*, auis in honorem Ill. Comitis de FERRERS, qui ex SHIRLEIORUM familia eſt, ita vocata, et *Papilio* aliquis Sinenſis. CCCXLIII. *Paſſer ruber* ſ. *Tangara cardinalis* BRISS. et *Papilio*. CCCXLIV. *Manacus facie alba* et *Melliſuga criſta colore rubini.* CCCXLV. *Vpupa.* CCCXLVI. *Picus Surinamenſis* et *Papilio* aliquis Sinenſis. CCCXLVII. *Picus viridis pectore rubro,* et *Picus viridis maculatus*, nec non inſectum ex eo genere, quod *Virgultum ambulans* dicitur, et *Muſca* quaedam. CCCXLVIII. *Muſcicapa nigra et alba* et *Picus viridis.* CCCXLIX. *Parus Paradiſiacus* (*Tangara prima* BRISS.) et *Serpens* nigri ac rubri coloris. CCCL. *Picus niger et coeruleus* eſt *ſecunda Tangarae ſpecies* apud BRISSONIUM. CCCLI. *Saiacu* MARCGRAVII (*Tangara Braſilienſis varia* BRISS.) et *Guira - Guacuberaba* eiusdem (*Syluia Braſilienſis viridis* BRISS.). CCCLII. *Paſſer flauus capite rubro* et *Coccothrauſtes niger.* CCCLIII. *Paſſeres nigri vel fuſci.* CCCLIV. *Paſſer paruus* et *Senegalus ſtriatus.* CCCLV. *Bengalus punctulatus* et *Paſſer Indicus pectore albo.* CCCLVI. *Ibis minor* et ſpecies *Lithophyti* cuiusdam **). CCCLVII. *Iacana armata*

*) vid. Philoſ. Transact. Vol. LI. P. II. p. 833.

**) vid. Philoſ. Transact. Vol. LII. P. I. p. 357. et Comment. noſtr. Vol. XII. Part. IV. p. 718.

armata nigra et *rubra* ſ. *Iacana armata fuſca* BRISS. CCCLVIII. *Fratercula* ſ. *Puffinus* et *Alca* ſ. *Pinguia.* CCCLIX. *Puffinus ſuperne fuſcus* et *Vria.* CCCLX. *Merganſer criſta rotunda*, *Colymbus maior* et *Melliſuga viridis.* CCCLXI. *Certhia muralis.* CCCLXII. *Tangara nigra Guineenſis*, *Tangara viridis* et *Certhia ventre flauo.*

XXIII.

IOHANN GOTTLIEB WALTERS, *d. A. G. D. Abhandlung von trocknen Knochen des menſchlichen Koerpers. Zum Gebrauch ſeiner Zuhörer und derienigen, die ſich in der Zergliederungskunſt üben, auf dem anatomiſchen Theater in Berlin. Berlin und Stralſund, bey G. A. Lange.* 1763. 8. 1 Alph. 4 pl. tab. aen. 6.

i. e.

IOANNIS GOTTLIEB WALTERI Med. Doct. tractatus de oſſibus ſiccis corporis humani. In vſum auditorum eorumque, qui ſe in theatro anatomico Berolinenſi in arte diſſecandi exercent. Berolini.

Quum inſignis cadauerum numerus Cl. Auctori, qui Proſectoris officio, ſub Cel. MECKELII auſpiciis, in theatro anatomico Berolinenſi fungitur, examinandi ea occaſionem daret, praeterea nullum anatomiae compendium bonum germanica lingua ſcriptum exſtaret, in quo recentiorum inuenta contineantur, ad hoc opus edendum impulſus eſt. Propoſitum Cl. WALTERI eſt, omnes partes anatomiae procedente tempore elaborare, ſuisque obſeruationibus illuſtrare. Cuius quidem operis ſpecimen

cimen praeſentem tractatum praemiſit, et hoc ef-
fecit, vt cauſſam habeamus, continuationem huius
operis cum voluptate exſpectandi.

Praemiſit vero Noſter deſcriptioni ſingulorum
oſſium ſceletique doctrinam de cartilaginibus, pe-
p. 6. rioſtei ſtructura, vaſisque oſſium. Non immerito
queritur, nos naturam cartilaginis tam parum noſſe,
inprimisque neſcire, quomodo naſcatur et quomodo
in nonnullis oſſibus plane in naturam eorum trans-
p. 10. eat, quando illa in eadem generantur. Vaſa peri-
chondrii in locis articulationum duorum oſſium in-
ter ſe conſpici non poſſe affirmat. Ceterum in
vniuerſum doctrina de generatione oſſium per vaſa,
vti recentiores inuentis ſuis eam declarauerunt, bre-
uiter et bene expoſita eſt. His vero generalioribus
praemiſſis, ad diuiſionem ſceleti, deſcriptionem con-
iunctionis oſſium inter ſe, et reliquas proprietates,
quas omnia oſſa inter ſe communes habent, pro-
greditur, tandemque deſcriptionem ſingulorum oſ-
p. 109. ſium in ſpecie adnectit. *Cornuum oſſis ſphenoidei* ſ.
oſſiculorum BERTINI deſcriptionem ad oſſa ethmoi-
dea Cl. WALTER transtulit. Ea autem, ex illius
obſeruatione, vel partes propriae ſunt, cum nullo
alio oſſe connexae, vel cum ſphenoideo, vel cum
ethmoideo, vel tandem cum vtroque oſſe coniun-
ctae, ita, vt haec duo oſſa non niſi corniculo ſphe-
noidei oſſis diffracto a ſe inuicem ſeparari poſſint.
Frequentiſſime cum ſphenoideo, frequenter in
vtroque oſſe, coniunguntur, rarius partes propriae
ſunt, rariſſime vero oſſi ethmoideo adhaerent. Nun-
quam Cl. WALTER ea cum oſſibus palati concreta
vidit, quod tamen non de omnibus dici poteſt. Nos
enim ipſi haec oſſicula oſſibus palati adhaerere vidi-
p. 123. mus. Sutura frontalis non adeo raro in adultis oc-
currit, cum per eam in triginta caluariis ſemper
p. 143. vnum os frontis diuidatur. Inter oſſa maxillae ſupe-
rioris

rioris inprimis os palatinum magna cura deſcribitur, quod etiam de laryngis cartilaginibus valet. Addidit Cl. Auctor huic libro ſedecim figuras, in quibus ſucceſſiuum patellae incrementum, mutatioque vaſorum eius ita delineatur, vt doctrina de generatione oſſium inſigniter hiſce obſeruationibus illuſtrari poſſit. Videmus in his arterias temporis ſucceſſu oſſea materia repleri, eas vi cordis vaſorumque et impulſu ſuccedentis liquidi disrumpi, ſucumque oſſeum in cellulas effundi, vaſaque tandem comprimi et deleri. Nulla quoque in perichondrio in articulationis loco vaſa eſſe, his ipſis figuris declaratur. p. 185.

XXIV.

ANTONII STOERCK, Sac. Caeſ. Reg. Apoſt. Maj. Conſiliarii Aulici, Archiatri et in noſocomio ciuico Pazmariano Phyſici, libellus, quo demonſtratur: colchici autumnalis radicem non ſolum tuto poſſe exhiberi hominibus, ſed et eius vſu interno curari quandoque morbos difficillimos, qui aliis remediis non cedunt. Iungitur ſimul plantae effigies, aere excuſa. Vindobonae, typis Io. Th. Trattner. 1763. 8vo. pl. 6.

Quamuis a perpluribus medicis disputatum ſit contra experimenta et obſeruationes, quas Cl. STOERCK de nonnullis plantis venenatis orbi medico tradiderat, id tamen non deterruit eum a conſilio in indolem aliarum etiam plantarum venenatarum inquirendi. Eadem igitur methodo, quam ex praecedentibus libellis nouimus, et in hoc colchici autumnalis radicem disquirit.

Prima

Prima pericula cum hac planta ipſe iterum in ſuo corpore fecit. Recentis enim radicis fruſtulum linguae apici adplicuit, eaque mox rigida, ſtupida, atque per ſex horas omnis fere ſenſus expers fuit; a vino, aliquot granis colchici infuſo, et hauſto praeter ardorem in viis vrinariis, copioſioremque lotii ſecretionem nulla incommoda Noſter percepit, vnicum vero granum, quod mica panis albi inuolutum comedit, peſſima in eo produxiſſe ſymptomata Auctor narrat, ita, vt ardor ex ventriculo ad ſternum vſque ſeſe extenderet, dolentiſſimus alui teneſmus, vehementiſſima cephalalgia, ſtranguria, febris, ſitisque clamoſa accederent. Alio vero experimento edoctus, acida vim huius radicis ex parte compeſcere, ex iis auxilium Noſter quaeſiuit, ſibique iulapium ex ſucco limonum parauit, quo ſumto aluum mox deponebat, reliquaque ſymptomata aliquantum remittebant. Vrinae ſtranguria adhuc perſtitit, althaeae autem decocto crebrius vſurpato, libere fluxit, et Auctor ita ſenſim ſenſimque ſanitati reſtitutus eſt. Nec intermiſit in brutorum quoque corpore huius radicis effectum experiri. Cani itaque duas drachmas in ſedecim partes diſſectas per interualla propinauit, qui dormire coepit, intra tredecim horas quinquaginta ſex vicibus vomere, quadrageſiesque aluum deponere, et inter diriſſima tandem ſymptomata conuulſus periit. Ex quibus experimentis Auctor cognouit, colchicum indole ſua admodum eſſe venenatum, illud tamen acidis combinatum aliquo modo mite poſſe reddi. Ideoque vnciam vnam recentis huius radicis, in tenues taleolos diſſectae, cum libra vna aceti vini lento igne per 48 horas digeſſit, deinde cum melle puro in oxymellis formam redegit. Oxymel hoc colchicum non ſolum in ſuo corpore egregia virtute vrinam promo-

promouendi pollens ſe inueniſſe adfirmat, ſed in pluribus quoque aegris, hydropicis praecipue, felici cum euentu eo vſum eſſe, adductis exemplis comprobare adnititur. Ceterum ſe primum indicaturum fore promittit, ſi in poſterum quid contingeret, quod vſum huius medicamenti dubium ſuſpectumque reddere poſſit. In adultis, et quidem ab initio, doſis bis per diem drachma vna fuit, augendo hanc doſin, ad vnciam vnam vſque cum dimidia adſcendit. Quodſi vero tunc nullum ſalutarem effectum euenire cognouit, non amplius huic remedio inſtitit, ſed incaſſum illud fuiſſe tentatum intellexit.

Coronidis loco obſeruationes quasdam de felici progreſſu vſus cicutae libello huic adiecit. Tanti iamiam, refert Noſter, eius aeſtimari vim atque virtutem, vt non ſolum in infuſo, potus theae inſtar, adhibeatur, ingratusque odor ob conſuetudinem in deliciis potius habeatur, ſed etiam matronae nobiliores ſaepius per diem iuſculo ex herba hac cocto vtantur, omnemque inde acrimoniam corrigi, vires augeri, et quascunque actiones faciliores fieri, ſibi perſuadeant. Plura, partim ſua, partim aliorum adducit exempla aegrorum, qui cicuta priſtinam ſanitatem recuperarunt. Praecipue attentione noſtra dignum iudicamus, quod Cl. TAUBE, aulae Britannicae medicus, cum Auctore communicauit exemplum virginis cuiusdam, per quatuor annos perfecta amauroſi adfectae, quae ſola cicuta viſus integritatem recuperaſſe dicitur. Nihil vnquam ſiniſtri in corpore aegrotorum, quos cicuta curauit, fuiſſe relictum, eos potius firmiore poſthac gaudere ſanitate, Noſter ſua fide teſtatur.

XXV.

De radice colchici autumnalis, diſſertatio inauguralis: Auctore CAROLO KRATOCHVILL, Ratiboria Sileſio. Francofurti ad Viadrum, typis Io. Chriſt. Winteri. 1764. 8vo pl. 3.

Longe aliam contrariamque plane de radicis colchici virtute ſententiam in hoc libello reperimus. Chemicum primo examen Auctor cum radice hac recenti vario modo inſtituit; obſeruationes deinde contra Cl. STOERCKII libellum, cuius modo mentionem fecimus, adduxit, quibus Noſter comprobat, non eam radici colchici ineſſe vim atque praeſtantiam, quam STOERCKIUS ipſi attribuit, potius remedium eſſe debile, nec, magni doſi aſſumtum, virulentos in corpore humano producere effectus. Succus huius radicis recens expreſſus atque filtratus, quam diu turbidus fuit, ſyrupi violarum colorem non mutauit, poſtquam vero per aliquot dies in leni aeris calore perſtitit, lenemque quaſi fermentationem ſubiit, ſyrupo admixtus, protinus colorem coeruleum in rubicundum mutauit, manifeſtumque odorem acidiuſculum ſpirare incepit. Aquae forti inſtillatus non efferbuit, cum oleo tartari per deliquium combinatus, non quidem ſtrepitus, numeroſiſſimas tamen bullulas produxit. Ex his ergo phaenomenis Noſter colligit, ineſſe colchico principium quoddam acido - ſalinum. Ad ea refutanda, quae Cl. STOERCK de effectu huius radicis adduxit, ſua quoque experimenta Auctor commemorat, teſtaturque, ſe non ſolum radicem hanc recentem diu manibus tenuiſſe, et in fruſtula diſſectam manducaſſe, verum quoque aliquoties duas treſue drachmas eiusdem comediſſe, neque

vel

vel minimum in digitis ſtuporem, vel in lingua grauitatem, aut in toto corpore hoſtilem effectum percepiſſe, aut copioſius vrinae profluuium. Etiam Cl. STOERCKIUM arguit Auctor, qui in libello de colchico autumnali narrauerat, ſe ope huius remedii feminae hydropicae et ictericae priſtinam reddidiſſe ſanitatem, quam tamen Noſter non curatam, ſed in ipſo noſocomio exſtinctam fuiſſe contendit. Cum oxymelle colchico nulla plane experimenta inſtituit Auctor, ſemper dubitans, vtrum largior diureſis, ſi forſan accideret, a colchico, an potius a ſolo oxymelle deriuari debeat. Canibus vero radicem colchici omnino lethiferam fuiſſe obſeruauit.

XXVI.

Plantae ſelectae, quarum imagines ad exemplaria naturalia, Londini in hortis curioſorum nutrita, manu artificioſa doctaque pinxit GEORGIUS DIONYSIUS EHRET, Germanus, occaſione haud vulgari collegit, nominibus propriis notisque ſubinde illuſtrauit, et publico vſui dicauit D. CHRISTOPHORUS IACOBUS TREW, Medicus Norimbergenſis, in aes incidit et viuis coloribus repraeſentauit IOANNES IACOBUS HAID, Pictor et Chalcographus Auguſtanus. Decuria VI. 1760. fol. reg. text. a pag. 23 ad 30. et Decuria VII. 1765. fol. reg. text. a pag. 31 - 36.

Memores noſtri officii, diu forſan exſpectatam operis huius, tum ſplendidi, tum praeſtantis continuationem indicamus. Plures praeterlapſi ſunt anni, cum V decuriae harum plantarum men-

tionem fecimus *), ideoque haud diutius deſiderio lectorum noſtrorum moram adferamus, licet ipſa continuatio operis huius propter occupationes Ill. Auctoris aliquantum retardata ſit, ita, vt quintam decuriam, anno 1755 euulgatam, ſexta anno 1760, et hanc ſeptima anno 1765 demum ſit ſecuta. Non dolebunt vero exſpectationem operis lectores, cum in nouis hiſce decuriis eandem iconum elegantiam, idemque deſcribendi ſtudium animaduerſuri ſint, quo antecedentes ſeſe commendarunt. Siſtit vero tab. LI. *Bromeliam, foliis aculeatis, racemo laxo terminatrici.* Hanc *Ananas* ſpeciem LINNAEUS triuiali nomine *Bromeliae Pinguin*, inſigniuit. DILLENIUS *in Hort. Elthamenſ.* iconem et deſcriptionem eius ſub nomine *Pinguin* exhibuit; quam tamen a noſtra ſcapo in ramos iam explicato, ſtaminibus paullo minoribus, et antheris albidis differre, Ill. TREW adfirmat. Tab. LII. *Ixia foliis enſiformibus, floribus remotis.* Eſt *Bermudiana iridis fol. maiore, flore croceo, eleganter punctato*, quam KRAUSIUS in indice plantarum delineauit atque deſcripſit. Obſeruauit Noſter in hac planta, quam ipſe coluit, colorem multo rubicundiorem, et ſemina atro ſplendentia, quae in icone *Ehretiana* pallide depinguntur, quatuor praeterea animaduertit ſtigmata, cum in adiecta tabula tria tantum delineentur. Tab. LIII, LIV et LV. Tres *Indigoferae* ſpecies depinguntur, quarum prima *Indigofera ſcapo recto, foliorum pinnis oblongis, ad apicem obſcure acutis incanis, florum ſpicis erectis, floribus confertis, leguminibus teretibus erectis glabris;* altera, *Indigofera ſcapo recto, foliorum pinnis ouatis, ad apicem obtuſis glabris laete virentibus, florum ſpicis erectis, floribus ſparſis, leguminibus teretibus pendulis incuruis ſubhirſutis*, et tertia

Indi-

*) vid. Comment. hor. Vol. V, p. 412.

Indigofera ſcapo infirmo, pinnis oblongis pallide virentibus glabris, pedunculis ſpicae longiſſimis, floribus laxe diſpoſitis, leguminibus compreſſis, breuibus, gibboſis, ſubaſperis, diſpermis, dicitur. Cl. EHRET plantarum harum picturas Ill. TREW anno 1748 iamiam, ſed ſine leguminum figuris, aliis quoque nominibus ſubſcriptis, miſit. Legumina dein Cl. MÜLLER miſit, quae in ſingula tabula adpingi curauit Noſter. Multorum Auctorum ſynonyma adducens, conuenientiam aut diſcrepantiam harum plantarum cum aliorum figuris accurate indicit, et in fine de merce illa, *Indigo* dicta, et ex his plantis praeparanda, ſuas adnotationes addit. Tab. LVI. *Arum venis albis Italicum maximum.* Eſt LINNAEI *Arum maculatum.* C. BAUHINUS in *Pinace* duas huius plantae varietates deſcripſit, quarum vnam *Arum venis albis,* alteram, *Arum maculatum, maculis candidis ſ. nigris* adpellat. Incertus Ill. TREW, vtrum *Arum* in icone depictum ab illo *venis albis* C. BAUHINI perpetuo et conſtanti charactere diuerſum ſit, an ſola magnitudo noſtri varietatem tantum conſtituat? Et cum pauci in ſynonymis huius plantae deſcribendis venarum albarum, plurimi macularum tantum albentium mentionem faciant, nouum oritur dubium, num ſcilicet noſtra ſpecies ab illa maculis candidis vel nigris BAUHINI, praeter magnitudinem, aliis quoque characteribus diuerſa ſit? Tab. LVII. *Verbaſcum, foliis lanatis radicalibus, ſcapo nudo.* Ita deſcripſit LINNAEUS in ſuis ſpeciebus hanc plantam, eique triuiale nomen *Myconi* addidit. Olim *in Horto Cliffortiano* eandem ad *Cortuſae* genus amandauit, ſed, conſilio mutato, *Verbaſci* familiae eam nunc adſcripſit. Superius, vbi *Meadiae* deſcriptionem dedit Ill. TREW, hanc plantam cum *Meadia,* ſiue *Dodecatheon* LINNAEI proxime eſſe coniungendam, autumauit, propterea, quia nullus, neque ipſe EH-

RETUS, tunc temporis omnes floris partes, praecipue vero pericarpii ſtructuram delineauit. Sed cum EHRETUS ſingularum dein fructificationis partium figuras addiderit, cognouit Ill. TREW, hanc plantam veri *Verbaſci* ſpeciem prae ſe ferre. Tab. LVIII. *Corallodendron, foliis ternatis, caule ſimpliciſſimo inermi, floribus clauſis, leguminibus nodoſis.* Huius plantae delineationem dedit DILLENIUS, *in H. Eltham.* ſub nomine: *Corall Caroliniensis, haſtato folio,* quae cum hac EHRETI figura quam proxime conuenit. Tab. LIX. *Sophora arboreſcens, foliis pinnatis, pinnis numeroſiſſimis ouatis piloſis, caule ſimplici, leguminum nodis valde diſtinctis.* SLOANE *in Hiſtor. Plant. Iamaic.* hanc arbuſculam ſub nomine *Corall arbori adfinis non ſpinoſae* delineauit, et BROWNIUS *in Hiſtor. Nat. Iamaic.* eandem ſub nomine *Galegae fruticoſae, foliis ſubrotundis pinnatis* depinxit. Vtriusque Auctoris figurae cum hac icone conueniunt, praeterquam, quod in BROWNII figura ſiliquae per totam longitudinem faſcia eminente ſignatae ſint, et ſeminum loculamenta minus turgeant. Cum ſtamina in hac planta libera inueniantur, eam nullo modo cum BROWNIO ad *Galegam*, ſed omnino ad *Sophoram* referendam eſſe, optime Ill. TREW monet. Tab. LX et LXI duplice icone *Cedrus* depingitur, cuius ramus cum cono maturo et ramorum turionibus in prima tabula plantarum harum ſelectarum iamiam fuit exaratus, nomine *Cedri foliis rigidis acuminatis non deciduis, conis ſubrotundis.* Cum Ill. TREW apud nullos Auctores, qui figuram huius arboris dederunt, deſcriptionem aut delineationem quandam partium fructificationis inuenerit, rogauit Cl. EHRET, vt ipſi, cum *Cedrus* copioſius nunc in Anglia creſcat, accuratam partium characterem declarantium deſcriptionem et figuram mitteret. Hic, voluntati Ill. TREW obſequutus, praebuit ipſi opportu-

portunitatem, in Tab. LX. omnes partes fructificationis ſimul adponendi. Itaque Auctor ante aliquot annos in peculiari tractatu hiſtoriam *Cedrorum Libani* earumque characterem botanicum expoſuit. Tab. LXII et LXIII. *Magnolia, foliis ouatis oblongis ad baſin et apicem anguſtis, vtrimque virentibus*, et eius partes fructificationis ſeorſim depinguntur. Reperit Cl. EHRET hanc plantam in horto quodam haud procul a Londino ſito, vbi An. 1760 floruit, cumque ipſi tunc temporis opportunitas contigerit partes huius plantae accuratius perluſtrandi, characteres quoque earum fuſius expoſitos Ill. TREW transmiſit. CATESBY *in the natural Hiſtory of Carolina* huius arboris iconem quoque dedit atque deſcriptionem, quae tamen ab hac *Ehretiana* figura multum differt. Noſtra enim habet tria petala exteriora dependentia, ex rubente viridique colore grate picta, quae plura interiora albiſſima circumdant, et ob hanc notam LINNAEUS in ſpeciebus hanc plantam triuiali nomine *tripetalam* dixit. Quo differentia inter *Ehretianam* et *Catesbyanam* iconem eo melius cognoſcatur, addidit Ill. TREW in Tab. LXIII. floris et fructus figuram ex CATESBY *Hiſtoria*, vbi potiſſimum de tribus iſtis petalis exterioribus nullum plane veſtigium detegere valemus. Tab. LXIV. *Monarda, floribus capitatis et verticillatis, caule acute angulato, foliis lanceolatis ſerratis glabris.* In deſcriptione elegantis huius plantae, quam triuiali nomine *didymam* dicit LINNAEUS, notat Ill. TREW, quod incolae *Virginiae* et *Americae ſeptentrionalis*, vbi indigena eſt, foliis eius tritis, quae gratum reficientemque odorem ſpargunt, vtantur loco Theae, quam *Oswego Tea* adpellant. Poſt acceptam EHRETI picturam hanc plantam ex feminibus in aere libero educauit Noſter, et cum in colore floris notabilem quandam differentiam inuenerit,

ſpecimen quoddam ſimul depingi curauit, quod omnino colore ſaturatius rubicundo ab EHRETI figura differre videtur. Tab. LXV. *Sophora foliis ternatis ſeſſilibus, foliolis ſubrotundis glabris.* Antequam vera *Indigofera* fuit detecta, *Americani* olim ex hac planta pigmentum illud, *Indigo* dictum, praepararunt, quapropter et PLUKNET in ſuo *Almageſto* plantam hanc nominauit *Cytiſum procumbentem Americanum, flore luteo, ramoſiſſimum, qui Anil ſuppeditat.* Sed inter *Cytiſum* hancce ſpeciem nullo modo recenſeri poſſe, licet LINNAEUS *in Horto Cliffort.* eam olim huc retulerit, antherae liberae ſatis teſtantur, prout Ill. TREW hanc notam ſuperius iamiam Tab. LIX. in *Sophorae* deſcriptione adduxit. Tab. LXVI. *Rhododendrum foliis nitidis oualibus, margine acuto reflexo.* Hanc plantam CATESBY *in ſua hiſtor. Carolin.* ſub nomine *Chamaerhododendron lauri folio, ſemperuirens, floribus bullatis, corymboſis* delineauit iamiam atque deſcripſit. Cui haec ab EHRETO depicta in omnibus fere reſpondet. Tab. LXVII. *Petiueria.* Plantae huius, valido et ingrato *Allii* odore imbutae, deſcriptionem dedit SLOANE, quam tamen LINNAEUS multis in locis correxit, et characteres accuratius definiuit. Attribuit huic plantae in ſuis generibus quatuor ſtylos ſubulatos, et in linea recta poſitos, attamen Ill. TREW, dum tabulam EHRETI explicat, omnino monet, quod hi ſtyli quoad differentiam et figuram accuratiore deſcriptione et delineatione adhuc indigeant. Tab. LXVIII. *Lycium foliis oblongo-lanceolatis, ſine ordine ramorum ſpinis rarioribus.* Superius Tab. XXIV. duas *Lycii* ſpecies delineauit, quibus in praeſenti tabula tertiam adiungit Auctor, cuius picturam ipſi EHRETUS miſit, ſubſcripto nomine: *Lycium* LINNAEI, *Iaſminoides Sinenſe Halimi folio et facie.* Cum apud nullum Auctorem vel deſcri-

deſcriptionem vel iconem cum hac planta accurate conuenientem repererit Noſter, nulla quoque ſynonyma explicationi tabulae huius addidit, et quamuis DU HAMEL in tractatu de arboribus, et MÜLLER in *dictionarii* ſeptima editione, plantarum quarundam mentionem faciant, quae huic *Ehretianae* iconi quam ſimillimae videntur, tamen quaedam animaduertuntur momenta, quae differentiam partium indicant. Flores huius plantae a facie interna grato colore coeruleo, externe autem pallide rubente ornantur, in quorum centro candida ſtella pentagona adparet. Staminum filamenta omnia ad baſin ſuam villis denſe obſita ſunt, et in ramis hinc inde, rarius tamen, aculei obſeruantur, reliqui characteres hanc plantam omni iure ad *Lycii* genus pertinere ſatis teſtantur. Tab. LXIX et LXX. *Laurus foliis integris, trilobisque.* Duplici tabula repraeſentatur haec planta, quarum prior totum habitum arbuſculae, poſterior autem ramulum florentem in naturali magnitudine depingit. Eſt vero haec *Lauri* ſpecies illa, ex qua lignum *Saſſafras* officinale deſumitur. Harum arborum multae circa Londinum coluntur, quarum characterem floris cum Acad. Caeſ. N. C. communicauit, et in *Nouorum Actorum* Tom. II. publicauit Cl. EHRET. Nactus iam opportunitatem Ill. TREW non ſolum in ſcholio ibidem addito varias obſeruationes de hac planta adiecit, ſed etiam in peculiari tractatu generalem hiſtoriam *Saſſafras* arboris expoſuit, quae eiusdem tomi appendici *) addita eſt. Quicquid ergo in praeſenti explicatione tabulae *Ehretianae* fuſius adduxit, illud iisdem fere verbis ex hoc tractatu repetiit. Ex his vero, quae indicauimus, momentis videant lectores, quantus ſit Ill. TREW in rem botanicam amor, et quanti eius

*) vid. Comment. hor. Vol. X. P. IV. p. 608.

in deſcribendis definiendisque plantis ſtudium ab omnibus aeſtimari debeat. Eo certius vero continuationem harum decuriarum exſpectamus, cum Tabulae LXXI. deſcriptionem iamiam expoſitam viderimus.

XXVII.

D. CHRISTIANI GOTTLIEB LUDWIG, Ord. Med. in Acad. Lipſ. Decani, Inſtitutiones chirurgiae praelectionibus academicis accommodatae. Lipſiae, in officina libraria Gleditſchiana. 1764. 8vo. Alph. 1. pl. 7.

Qui hactenus in variis libellis diſciplinas, ad medicinam pertinentes, in vſum praelectionum academicarum exhibuit Cl. Auctor, in iis edendis pergit, et nunc inſtitutiones chirurgiae eo ordine et nexu tradere annifus eſt, vt praecipuae doctrinae, in ſcholis explicandae, breuiter indicentur. Non tantum igitur ea, quae ad cognitionem morborum chirurgicorum ex cauſſis et ſymptomatibus indeque petitis ſignis declarandam pertinent, ſuccincte proponit; ſed operationibus quoque chirurgicis ratione enchiriſium et apparatus inſtrumentorum praecepta therapiae generalis ita inſerere ſtuduit, vt methodus medendi explicari queat. Nos quidem delineationem totius libelli ad ductum tabulae ab eo propoſitae repetimus, quo inde ordo rerum pertractatarum pateat, poſtea ſparſim quaedam notatu digna excerpimus, et cum lectoribus noſtris communicamus.

Morbi in chirurgia conſiderandi ſunt

I. Vniuerſales

A. Inflammationes.

1. De inflammatione in genere.

2. De eryſipelate.

3. De

3. De phlegmone.
4. De abſceſſu.
5. De aduſtis et frigore tactis.
6. De gangraena et ſphacelo.
7. De glandularum inflammatione.
8. De ſcirrho et cancro.

B. Tumores.

1. De tumoribus in genere.
2. De oedemate.
3. De tumoribus, qui tunica includuntur.
4. De lentis glandularum obſtructionibus.
5. De aneuryſmate.
6. De varice.

C. Vulnera.

1. De vulnere in genere.
2. De haemorrhagia vulnerum.
3. De dolore et neruorum diſtenſione.
4. De vulneribus colliſis et vexatis.
5. De vulneribus ſclopetorum.
6. De vulneribus, quae virus habent.
7. De vulneribus artefactis, venaeſectione, cet.

D. Vlcera.

1. De vlcere in genere.
2. De fiſtulis.
3. De vlceribus artefactis.

E. Oſſium morbi.

1. De oſſium morbis in genere.
2. De laeſa oſſium nutritione et rhachitide.
3. De tumore oſſium.
4. De carie.
5. De fractis.
6. De anchyloſi.
7. De luxatis.

II. Particulares.

A. Integumentorum morbi.

1. De verrucis et clauo.

2. De

2. De herpete, varis et porrigine.
3. De furunculo et carbunculo.

B. Capitis morbi.

1. De hydrocephalo.
2. De vulneribus capitis.
3. De fractura cranii.
4. De trepanatione.
5. De vulneribus faciei.
6. De labio leporino.
7. De oculorum morbis.
   a. De ophthalmia in genere.
   b. De palpebrarum morbis.
   c. De viarum lacrymalium morbis.
   d. De corneae vitiis.
   e. De ſtaphylomate.
   f. De ſuffuſione.
   g. De motu oculorum vitiato.
   h. De hydrophthalmia et hypopio.
   i. De amauroſi.
8. De linguae et faucium morbis.
9. De polypo narium.
10. De dentium morbis.
11. De fractura maxillarum.
12. De luxatione maxillae inferioris.

C. Colli morbi.

1. De fractura et luxatione vertebrarum colli.
2. De capite obſtipo.
3. De vulneribus colli.
4. De tracheotomia.
5. De ſcrophulis.

D. Pectoris morbi.

1. De mammarum morbis.
2. De fractura coſtarum et ſterni.
3. De luxatione coſtarum et vertebrarum.
4. De gibberoſis.

5. De

5. De vulneribus pectoris.
6. De empyematis operatione.

E. Abdominis morbi.

1. De vulneribus abdominis, enteroraphe et gaſtroraphia.
2. De paracenteſi abdominis.
3. De herniis.
4. De teſticulorum morbis.
5. De ſcroti et penis morbis.
6. De ani vitiis.
7. De viarum vrinariarum vitiis.
8. De lithotomia.
9. De vteri et vaginae morbis.
10. De luxatione oſſis coccygis.

F. Extremitatum morbi.

1. De ganglio.
2. De paronychia.
3. De tendinum vulnere et ſutura.
4. De articulorum vulneribus.
5. De luxatione extremitatum ſuperiorum.
6. De luxatione extremitatum inferiorum.
7. De fractura extremitatum ſuperiorum.
8. De fractura extremitatum inferiorum.
9. De amputatione membrorum.

Inflammatio nunquam admitti poteſt, niſi cruor p. 10. in vaſis ſanguiferis haereat et cordi reſiſtat, id quod in arteriis potiſſimum aſſumendum erit, in quibus vera initia inflammationis obſeruantur, in aucta tamen et confirmata inflammatione ſanguinem in cellulas diffundi poſſe conceditur. Nonnunquam venae varicoſae, et ſanguine ſpiſſo diſtentae, ſpuriam inflammationis ſpeciem referunt, quae tamen haud raro in veram tranſit, et tum ſanguis in caua cellularia diffunditur.

Eryſipelas ſpurium inflammationis genus eſt, p. 21. variam tamen faciem habet, et ideo in oedematoſum, ſcirrho-

ſcirrhoſum, puſtuloſum et phlegmonodes diſtinguitur. Tumor enim latus, ad vicinas partes facile excurrens, interdum mollior, interdum durior eſt. Color ex albo rubet, ſi corpus bonis ſuccis ſcatet, digito preſſo tumore color ruber euaneſcit, ſed mox reuertitur, in cacochymicis autem tumor liuidus, et in his interdum puſtulas et veſiculas ichore plenas exhibet, profundius eryſipelas in phlegmonem tranſit.

p. 27. In phlegmone reprimentia medicamenta, quae roborando agunt, non niſi in ſanis de reliquo corporibus, ex cauſſa valida externa inflammatione tentatis, et mox ab initio applicari poſſunt; ſi humor profundius in contextu celluloſo vel in parte glanduloſa haeret, ſaepius nocent, impediunt enim futuram ſuppurationem et ſcirrho generando anſam praebent.

p. 31. Puris geneſis ex ſanguine ſtagnante et vaſis ſuis, nec non ex pinguedine et tenuioribus humoribus lymphaticis cum cellulis, in quibus continentur, corruptis, declaratur; quae mutatio per moderatum calorem et ſanguinem a tergo impulſum perficitur. Magma autem purulentum, ſpiſſum, aequale, album et inodorum, ſiue pus bonum non formari poteſt, niſi interea boni ſucci ex corpore affluunt, in horum enim defectu, vel ſi acris ſanies affluit, pus vel prorſus non formatur, vel ichoroſum tenue et foetidum fit, immo pus bonum diu in abſceſſu latente retentum partim reſorbetur et humores inquinat, partim acre et rodens redditur.

p. 54. Cum gangraenae varii ſint gradus, et in ea deprauata quoque humorum diſpoſitio attendenda ſit, in externis remediis magna varietas et mutatio pro differentia temporum morbi requiritur. Antequam itaque medendi rationem proponit Cl. Auctor, breuiter emollientium, balſamorum natiuorum, plantarum

tarum amararum, myrrhae, aloes, ſpirituoſorum, acidorum mineralium, ſalium et aliorum cum his conuenientium remediorum vires examinat, easque non tantum in vniuerſum, ſed reſpectu gangraenoſae corruptionis declarat, et ſimul oſtendit, variis partibus, vario gradu corruptis, varia remedia ſaepe ſimul applicanda eſſe, quo finem curationis aſſequamur.

In inflammatione glandularum declaranda impetum, ſanguinem ad minima vaſa ducentem, ſaepius ſupprimi, et nouis auxiliis opus eſſe monet, vt humores ſubtiliores ad vltimas glandulae partes ducantur. In his neruos ad glandulas diſtributos recenſet, qui languidiorem per has partes motum ſuo modo incitant, adeoque in ſecretione aliquid conferunt; qui vero ſi nimio et ſpaſtico motu in vaſa agunt, cauſſa inflammationis ſubſiſtentis vel non ſatis diſcuſſae ſunt, hinc in therapia etiam non raro externa emollientia et antiſpaſmodica diſcuſſioni glandularum fauent, nec abſceſſus generant. Tumor tunc ſenſim mollior et quodammodo maior redditur, ſed paulo poſt decreſcit. Quod ſi vero in abſceſſum abeat, pus, in contextu cellulari motum, reſolutionem in minimis glandularum glomerulis vel reſorbendo vel diſcutiendo efficit. p. 60.

Tumorum, tunica incluſorum, geneſis ex diſtenſione cellularum declaratur, in quibus humor ſtagnans vel ob copiam vel ob denſitatem reſorberi nequit. Paruae hydatides, quae inprimis ſuperficiei viſcerum ſpongioſorum inhaerent, ex diſtenſione vaſorum lymphaticorum oriri poſſunt, maiores vero ita declarari nequeunt, ſed ad contextum cellularem vnice referendae ſunt. Differentia vero horum tumorum ex contenta materia liquida vel magis ſpiſſa definitur, ad quam interdum piloſae, calculoſae et oſſeae concretiones accedunt. p. 86.

Lentae

p. 93. Lentae glandularum obſtructiones ab inflammatione earum et ſcirrhis inde ortis diſtinguendae ſunt; cum enim glandulae conglobatae varie in corpore diſpoſitae chylum, praecipue tamen lympham, diluant et ad vlteriorem nutritionem diſponant, lympha vitiata in contextu celluloſo ſtagnat, et tumores efficit, qui nonnullis in rebus cum ſcirrho, in aliis cum tumoribus tunicatis conueniunt. Quam rem ex tumoribus glandularum in collo et aliis partibus puerorum obortis, qui germanice *Wachsdrüſen* dicuntur, explicat, et paulo poſt tineam capitis ex his natam declarat.

p. 106. Etſi, arteria brachiali ante diuiſionem in flexu cubiti ligata, omnis nutritio partis anterioris tollatur, et arteriae paruae collaterales nutritioni continuandae non ſufficiant, ex inſigni tamen varietate arteriae brachialis altius diuiſae, vel aliter in ramis excurrentis, ligaturam ſaepius ſine noxa fieri poſſe perhibet, inprimis cum ſaepius arteria laedatur, quando a via aberrat.

p. 118. Cicatricis geneſis ex vaſis obturatis et calloſis factis declaranda eſt; contextus enim cellularis cum cute et cuticula in vnum et denſum corpus concreſcit, vel, cum cuticula in cicatrice nunquam vere regeneretur, cutis fibrae cum contextu celluloſo tantum fortius compinguntur et occalleſcunt. In formanda vero cicatrice paruae eminentiae fungoſae et albidae, ſatis tamen denſae, oriuntur, quae facile inter ſe conglutinantur: errant itaque non raro chirurgi, ſi paruas has eminentias ruditer abſtergunt et ſanationem vulneris impediunt, quam ob rem linteis carptis ſiccis humiditas nimia tantum reſorbeatur, nec humor blandus gelatinoſus lymphaticus, qui ſanationi vulneris fauet, cum pure detergatur.

Ligatu-

Ligatura praecipuum haemorrhagiae ſiſtendae auxilium eſt. Lintea carpta ſicca, vel ſpirituoſis, vel aliis remediis adſtringentibus imbuta, immo et agaricus huic officio imparia ſunt, niſi ſimul compreſſio accedat; nec tamen nimia ſit, ne circulus humorum cohibeatur. Cauſſae vero, quae arteriam diſciſſam obſtruunt, variae ſunt. Licet enim thrombus in cauo natus negari nequeat, conſtrictio tamen parietum et tumor contextus celluloſi vicini plus conferre videntur. p. 125.

Si globus maior, ex tormento bellico proiectus, a latere partis nobilioris v. c. capitis procedit, tantam cerebri et neruorum concuſſionem efficit, quam mors ſubitanea ſequitur; ſi vero concuſſio partem minus nobilem tangit, ſtrictura fibrarum et ſtaſis humorum, difficile diſcutienda, cum dolore, ſtupore et immobilitate partis oritur. Cum itaque haec ſymptomata a nimis valida tenſione et ſtrictura neruorum proueniant, nec medicamenta nimis emollientia, nec calida aromatica oleoſa externe adhibenda ſunt; illis enim elaſticitas nimis infringitur, his nimiae neruorum oſcillationes incitantur. Praemiſſis potius venaeſectione et remediis internis, conſtitutioni aegri accommodatis, fotus externi ex decoctis aquoſis vel ſemiuinoſis florum chamomillae, ſambuci, herbarum hyſſopi, ſcordii et ſimilium applicandi ſunt; his enim fibrae ſenſim paulatimque ad naturalem tonum reducuntur, et obortae humorum ſtaſes lente diſcutiuntur. p. 136.

In vulneribus ſclopetorum cita inciſio optimum remedium eſt, grauiorem enim inflammationem impedit, dum ſtaſin ſanguinis et tenſionem neruorum tollit. Nec haemorrhagia inde metuenda eſt, cum grauior omnino vel naturali conſtrictione vaſorum vel ligatura iniecta tollatur, et ſi membranae et nerui dilacerati prorſus diſcinduntur, etiam tenſiones p. 140.

ſiones et dolores ceſſant. Inciſio tamen accurata cognitione partium anatomica dirigatur.

p. 162. In vlceribus calloſis et impuris adurentia quoque medicamenta, ſed caute applicanda ſunt, quo impura tantum loca tangant, reliquis liberis relictis. Liquida itaque linteis carptis excipiantur, et, ne nimis diffundantur, leniter exprimantur, vel ſordidis tantum locis illiniantur. Cum tamen et hac ratione ſaepe dolorem et inflammationem moueant, puluilli, vnguentis digeſtiuis illiti, inſuper applicandi ſunt, qui ſuccedentem ſuppurationem iuuant. Quo monito in vniuerſum praemiſſo, cauſtica potentialia ex mercurio, ſalibus iuncto, aliisque medicamentis praeparata, indicantur, et gradus actionis diiudicantur.

p. 185. Varia humorum dyſcraſia vel ex imbecillitate, vel ex cacochymia nata, nutritionem blandam laedit, idque non tantum in mollibus partibus, ſed etiam in duriſſimis oſſibus. Fracta nempe imbecillium, grauidarum et ſenum oſſa aut omnino non, aut tardius coaleſcunt; et graui humorum corruptione, v. c. ſcorbutica vel venerea, laborantes oſſa flexilia, fragilia, immo emollita habent. Nutritio autem oſſium laeſa primo in cylindricis oſſibus ſe prodit, quae etſi per naturam ſuam duriora eſſe debebant, tamen incuruantur. Similis compreſſio corporibus vertebrarum et coxae oſſibus accidit, caluae et coniunctarum maxillarum oſſea ſubſtantia tardius emollitur. Dyſcraſia vero humorum, inprimis lymphaticorum, ea eſt, qua terreae moleculae humori oſſa humectanti et nutrienti, non immiſcentur. Etſi enim in nutritione vniuerſali non deficere videntur, interdum tamen vel non recte cum glutine vniuntur, vel ad alia loca deriuantur. In nonnullis enim aegris vrina ſedimentum album calcareum ſiſtit. Ex his itaque cauſſis multa etiam rhachiticorum incommoda explicantur.

Tumo-

Tumores oſſium apte in exoſtoſes veras et ſpurias diuiduntur, hyperoſtoſis enim, quae tota oſſa, ſpongioſae inprimis fabricae, vel extrema eorundem ſpongioſa tumida ſiſtit, a vera exoſtoſi non niſi ratione ambitus differt. Peculiare tumoris genus ad oſſa naſcitur, quod inter vtramque exoſtoſin quaſi medium eſt, cum oſſa cartilagine ligamentoſa coniuncta vi quadam vehementi diſtenduntur, tunc caro laxa excreſcit, natis in ipſo tumore laminis oſſeis. Oſteoſteatoma hoc tumoris genus dici poſſet, cum praeter fibras oſſeas ſteatomatis ſubſtantiam referat. p. 190.

Anchyloſis non tantum in vero oſſium coalitu conſiſtit, ſed etiam ſtrictura, denſitas et calloſitas ligamentorum, oſſa connectentium, hoc vitium efficit, immo ipſa imbecillitas articulorum, licet motum in ſe non impediat, tamen, cum eius veram directionem non admittat, huc referri meretur. p. 214.

Ex altera parte, quae morbos particulares tradit, pauca tantum indicare ſufficiat. In vitiis cutaneis, in quibus nimius affluxus ſeri eſt, cosmetica varia medicamenta ex calcibus plumbi vel mercurio parata ſuadentur. Calces plumbi ſiccant et laxa vaſa blande ſtringunt; mercurio vis vlcera mundificans non ſine ratione tribuitur, corporibus tamen imbecillis, vel quod nimis reprimunt, vel quod ex parte reſorbentur, damnum inferunt. Hinc cineres zinci et tutia bonae notae tutiſſima ſunt exſiccantia, ſi pinguedine recenti excipiuntur. p. 233.

Ophthalmiae differentias, a variis auctoribus varia ratione indicatas, Cl. Auctor ad tres ſpecies reducit, inflammatoriam ſcilicet, ſeroſam et vlceroſam, et varios morbi gradus non ad veras ſpecies, ſed ad varietates refert, et in his non tantum ſingularum ſymptomata, ſed vnius etiam ſpeciei mutationem in alteram perpendit. Etſi vero ab eo indicatae p. 262.

ſpecies in vno ſaepe morbo indiuiduali coniunctae ſint, vel ſibi inuicem ſuccedant, in cauſſis tamen et ſymptomatibus rite ponderandis, diagnoſi, prognoſi et medendi methodo proponendis, haec diſtinctio apte ad praxin transferri poteſt.

p. 279. In viarum lacrymalium morbis, qui vulgo omnes ad fiſtulam lacrymalem reducuntur, vitia in angulo oculi interno oriunda praemittit, poſtea de inflammatione, obſtructione, exulceratione et carie viarum lacrymalium agit, diagnoſin in cauſſarum et ſymptomatum declaratione examinat, tandem, prognoſi formata, curationis rationes diſtincte explicat, et recentiorum inuenta ſuccincte recenſet.

p. 318. In dentium morbis pertractandis primo oſtendit, quomodo dentitio difficilis emolliendo, comprimendo et tandem incidendo leuetur, et paucis de dentium munditie curanda praemiſſis, morbos ad radicem dentis in gingiuis et alueolis oriundos, inprimis abſceſſus poſt inflammatorios tumores, et tumores morboſos conſiderat, tandem de carie in corona dentis occurrente coercenda, vel de dente ipſo euellendo agit, inſtrumentis et enchiriſibus breuiter expoſitis.

p. 350. Suctio vulnerum thoracis difficilis eſt, cum inſtrumentis, ab ANELLO deſcriptis, vix recte ſuccedat, ſi vero per tubulos ore chirurgi ſuctio fit, putrida materia vel halitus ingratus eidem magnum incommodum affert. Cl. Auctor igitur tubulum deſcribit, per quem ore ſugitur; *in huius medio lagenula affigatur, in quam humor eductus deſcendit, ſi nimirum tubulus in medio diaphragmate firmo obliquo inſtructus ab anteriori huius parte lagenulam affixam, poſterius autem foramen, quod ſimul in lagenulam hiat, obtinet. Quando itaque aer ex lagenula ſuctione educitur, materia in pectore contenta per anteriorem tubuli*

buli partem, diaphragmate tubuli viam dirigente, in lagenulam effluit.

Si poſt paracenteſin abdominis aquae euacuantur, in corporibus ſatis validis poſt eductionem tonus viſcerum reſtitui poteſt, vlterius affluxus cohibetur. Nonnulli quidem iniectionibus roborantibus poſt aquas ſubductas tonum iuuare anniſi ſunt, ſed praeterquam, quod cum iniectionibus ſaepe aer noxius ingeratur, adſtrictio nimia in tenera viſcerum ſuperficie non raro noxia eſt. p. 365.

Si venae haemorrhoidales nimis turgent, et moderate adſtringentibus medicamentis impetus ſanguinis reprimi nequit, vel ſi ſtagnantis ſanguinis euacuatio ex aliis cauſſis neceſſaria videtur, hirudines applicandae ſunt. Melius tunc eſt, ſi ſanguine turgentes ſponte ſecedant, quam ſi irritatae remoueantur, cum ſpurco humore emiſſo inflammationem moueant. Interdum, praecipue in corporibus de reliquo ſanis turgentes venas incidere, et ſanguinem euacuare praeſtat. p. 396.

In ſinubus et fiſtulis ad anum natis recte diiudicandis et incidendis, et partium circa locum disquirendarum, et ipſius aegri ſitus a chirurgo bene attendi meretur. Imo ventre in latus incumbere, et adductis cruribus nates diducere, vna ſitus ratio eſt: aptior vero ea eſſe videtur, cum aeger pronus, coxis elatioribus, in lectulum transuerſim vel ſuper ſellam aut menſam reponitur, et diductis natibus inteſtini recti orificium eiusque ambitus diſquiritur. In vtroque ſitu eo potiſſimum attendendum eſt, vt ſine nimia muſculorum adſtrictione et ſitus partium et ſinuum decurſus ſpecillis disquiri, et poſtea incidi poſſit. p. 400.

XXVIII.

Noua phyſico - medica.

Artes, opificia, agricultura et reliquae res, quae ad oeconomiam et mercaturam referri ſolent, tanto ſtudio hac aetate vbique fere terrarum coluntur, vt iure quodam noſtrum ſeculum oeconomicum appellari videatur. Homines enim non ſolum inferioris ſortis, et qui, a muneribus publicis remoti, tranquillo fruuntur otio, ſed etiam viri, quos in ampliſſimo dignitatis gradu collocatos et rebus maximis gerendis occupatiſſimos videmus, ad has colendas augendasque pari incitantur ſtudio. In quacunque fere regione, ſane excultiori, luculentiſſima huius rei proſtant documenta. Factum hinc etiam eſſe conſtat, vt hae res, quoad maximam partem indoctis atque imperitis olim relictae, nunc vero in ſyſtema quoddam redactae, ſub nouo quaſi diſciplinarum genere comprehendantur, et in academiis a doctoribus, vel huic diſciplinae ſolum deſtinatis, tradantur. Nec feruor hic in ſingulorum hominum acquieſcit induſtria, arctiori potius vinculo plures coniungit et in ſocietates colligit, quo, vnitis quaſi viribus, ſtudii huius finis, diuitiae prouinciarum et rerum, ad vitam commodam et iucundam neceſſariarum, abundantia celerius certiusque attingeretur. Hae ſocietates, quas ſummi principes ſuis nominibus ornare ſuaque auctoritate munire, non dedignati fuerunt, non ſolum ipſae cogitando et experiundo omnem ſcientiam phyſicam, quae baſis harum rerum merito habetur, firmare et augere, illiusque cognitionem ad infimos prouinciarum incolas propagare ſtudent, ſed etiam a collatitiis pecuniis praemia conſtituunt et proponunt, quibus induſtria et dexteritas incolarum poſſit excitari.

Praecla-

Praeclara ſane inſtituta omnique laude digna, quorum aliquot, cum inter haec et doctrinas phyſicas ſit aliquis nexus, et in his commentariis commemorandi habuimus occaſionem. Suppetunt nunc quatuor alia exempla.

Petropoli enim anno praecedenti viri quidam, de artium et ſcientiarum incremento aeque ac de augenda incolarum vaſtiſſimi imperii Ruſſici felicitate ſolliciti, in ſocietatem quandam ſub nomine *liberae ſocietatis oeconomicae* coiuerunt eo animo, vt primum omnia conquirerent, quae vllo modo vtilitati patriae et incolarum inſeruire poſſent; deinde quicquid noui repererint vel excogitarint, vel vſu aut repetitis experimentis commodum cognouerint, commentariis, ſingulis quadrimeſtribus euulgandis, exponerent. Cui vero ſcopo vt ſatis fieri poſſit, ſocii ei ſe obſtrinxerunt legi, vt quilibet quotannis vel vnum laborum ſpecimen ſocietati tradere teneatur, quod, ſi in examine, cui in conuentibus ſubiiciendum eſt, publicatione dignum iudicatum fuerit, iisdem commentariis inſeretur. Singulis mercurii diebus conuentus habentur publici, in quibus de rebus, quae ad agriculturam et artes oeconomicas ſpectant, ſermones miſcentur, ſcripta laborumque ſpecimina, a ſociis vel aliis exhibita, leguntur disquirunturque. Duplex eſt ordo ſociorum, *ordinariorum* et *honorariorum*; illi appellantur, qui conuentibus his ipſi intereſſe, hi vero, qui, remotis in locis degentes, ſua tantummodo cum ſocietate communicare poſſunt. Nec parum profecto vtilitatis ab his quoque ſociis exſpectari poſſe videtur, cum in diſſitis ampliſſimi imperii prouinciis diſperſi ſub diuerſis et pene oppoſitis coeli plagis vel rerum, ad hunc ſcopum pertinentium, colligendarum, vel experimentorum inſtituendorum repetendorumque vberrimam habeant opportunitatem, vtpote nec

 opibus,

opibus, nec operis ad haec neceſſariis deſtituti. Hoc inſtitutum Auguſtiſſima Imperatrix CATHARINA II, poſtquam eius ratio ad Eam delata eſt, non ſolum litteris clementiſſimis comprobauit, ſed etiam propenſum eius in hanc rem animum eo oſtendit, vt clementiſſime concederet, inſignia ſua imperialia inſeri ſocietatis ſigillo. Praeterea etiam pro ea, qua celebris eſt, munificentia, eidem ſex millia numorum vncialium (*Rubel*) dono dedit ad emendam domum, in qua ſocii conuenire et bibliothecam condere poſſent. Nomina ſociorum haec accepimus:

Ill. Comes GREGORIUS ORLOW, rei tormentariae Supremus Praefectus, Auguſtae Imperatricis in re militari Legatus, (*Adjutant-General*) Cuſtodiae corporis e nobilibus Praefectus S. S. C. M. actualis Cubicularius, legionis equeſtris praetoriae Chiliarchae vices gerens, Cancellariae nouarum coloniarum curam habentis Praeſes, et vtriusque Ruſſici ordinis Eques.

Ill. Comes ROMANUS WORONZOW, primi ordinis belli Dux (*General en chef*) Imperii Senator, S. S. C. M. Cubicularius et vtriusque Ruſſici ordinis Eques.

ADAMUS OLSUFIEW, Intimus Conſiliarius, Imperii Senator, Collegii rerum extranearum Membrum, ordinis S. Alexandri et Aquilae albae Eques.

Ill. Comes ZACHARIAS TSCHERNISCHEW, belli Dux primi ordinis, Collegii bellici Praeſidis vices gerens, vtriusque Ruſſici ordinis Eques.

ALEXIS MELGUNOW, belli Dux ſecundi ordinis (*Lieutenant-General*) Collegii redituum Praeſes, ordinum S. Alexandri et S. Annae Eques.

Ill. Com. IOANNES TSCHERNISCHEW, belli Dux ſecundi ordinis, S. S. C. M. Cubicularius actualis, Colle-

Collegii imperii Archithalaſſorum membrum, ordinum aquilae albae et S. Annae Eques.

ALEXANDER L. B. de TSCHERKASOW, S. S. C. M. Cubicularius actualis et Imperialis Collegii medici Praeſes.

GREGORIUS TEPLOW, Conſiliarius ſtatus actualis et ordinis S. Annae Eques.

IOANNES TAUBERT, Conſiliarius Status, Imperialis Academiae Scient. Membrum et S. S. C. M. a bibliotheca.

THEOPHILUS KLINGSTAET, Conſiliarius Status et in tribunali rerum Liuonicarum Eſthonicarum et Finnicarum Praeſes Vicarius.

ANDREAS NARTOW, Chiliarcha, Societatis Secretarius.

CHRISTIANUS PAECKEN, altiorum imperii tribunalium Conſiliarius, Collegii medici Membrum, eiusque Secretarius perpetuus, Anatomiae in Imp. LL. AA. Academia Profeſſor et Academiae militaris Medicus.

IOANNES GEORGIUS MODEL, Conſiliarius aulae, Imperialis collegii medici et Academiae Scient. Membrum et primariae officinae Pharmacopoeus.

IOANNES GOTTLOB LEHMANN, Conſiliarius aulae, Imp. Acad. Scient. membrum et chemiae Profeſſor, Societatis in commercio litterarum cum exteris Secretarius.

— FALCK, Profeſſor Botanices in horto collegii medici.

— ECKLEBEN, primarius Aug. Imperatricis Hortulanus.

Simili amore patriae ducti viri quidam, partim eminentiori dignitatis gradu collocati, partim alio modo de patria meriti, in Carinthia iam aliquot ab-

hinc annis Societatem quandam conſtituerunt, quam *Auguſtiſſima* Imperatrix MARIA THERESIA, cum praeuideret, maximam in ſubditos exinde eſſe redundaturam vtilitatem, auctoritate ſua die 13 menſis nouembris 1764 confirmauit. Agriculturae vero artiumque vtilium incrementum, a quo ſocietas haec nomen gerit, praecipuus eſt, quem ſibi propoſuit, ſcopus. In prima igitur, iam anno praecedenti (1765) promulgata quaeſtione ſocietas poſtulauerat, *definiri, qualis nunc pecuariae in* Carinthia *ſit ſtatus? qualis fuerit ante ſemiſeculum praegreſſum? quae ſint cauſae eius imminutionis?* et *quibus auxiliis poſſit augeri atque perfici?* Plures quidem hac de re ſocietas acceperat commentarios, quorum vero tantummodo quinque, reliquis praeſtantiores, in conuentu publico, die 26 menſis februarii huius anni (1766) *Clagenfurti*, capite ducatus *Carinthiae* habito, praelecti fuerunt, inter quos ille praemio, quod moneta eſt aurea pondere triginta ſex numorum aureorum (*Ducat's*), ornatus eſt, quem tradiderat CHR. ANT. WILLBURG, illuſtriſſimi Comitis de *Lodron* Chirurgus.

Similis quoque Societas, *agriculturae* deſtinata, haud ita pridem in *Haſſia* orta eſt, cuius ſocii *Caſſellis* conueniunt. Conditiones huius inſtituti ab aliis ſocietatibus parum differunt, vt iis enarrandis non inhaereamus. Sufficiat praemiorum feciſſe mentionem, quorum duo in hunc annum ſunt propoſita, alterum triginta, alterum viginti numorum aureorum (*Ducat's*). Illud ſocietas promiſit ei, qui *optimam oſtenderet rationem, in prouincia ſtabiliendam, vt fructuum ruralium idem maneat pretium perpetuumque:* hoc vero deſtinatum eſt quaeſtioni, *quomodo in Haſſiae prouinciis emendari et augeri poſſit tum lini cultura cum praeparatio, vt ad fila varia ducenda*

cenda vel ad alias res inde conficiendas largius ſit aptiusque. Scripta ſuper his quaeſtionibus exſpectat Societas ante calendas menſis auguſti huius anni (1766). In quibus vero mittendis auctores easdem obſeruabunt leges, quas reliquae academiae et ſocietates in his rebus exigere ſolent.

Hamburgi etiam, celebri *Saxoniae inferioris* emporio, Societas quaedam ex aliquo tempore florere coepit, cuius Auctor et conditor eſt I. ULR. PAULI, I. U. D. vir nominis fama clarus. Hic enim mercatoribus et reliquis inclytae huius vrbis ciuibus in ſcripto quodam, eadem die vulgato, qua *Collegium* mercatorum, a *commercio* nomen gerens, memoriam ortus ſui et finiti ſeculi recoluit et celebrauit, exempla ſocietatum Londinenſis et Pariſinae, in incrementum artium, opificiorum, agriculturae et mercaturae conſtitutarum, ad imitationem propoſuerat, atque ſimul oſtenderat, quomodo et in hac vrbe ſimilis condi poſſit ſocietas, ad illamque grauiſſimis illos adhortatus erat rationibus. Cui conſilio tot, non ſolum ciuium, ſed etiam exterorum ſunt aſſenſi, vt breui temporis ſpatio eorum, qui conflandae huic ſocietati ſua conferre lubentiſſime promitterent, magnus eſſet numerus. Tam felici huius rei progreſſu excitatus Cl. PAULI, mox in alia ſchedula conditiones et leges, quibus ſocietas firmanda eſſet, promulgauit. Ex his autem cognouimus, hanc Societatem ſimiliter ac Londinenſem in eo a reliquis differre, vt ſocii, non quidem ipſi vel rebus inueniendis vel experimentis capiendis vel ſcriptis proponendis operam nauare coacti ſint, ſed tantummodo pro lubitu et viribus pecunias conferant ita impendendas, vt partim praemia vel rebus inueniendis et perficiendis, vel induſtriae artificum opificumque excitandae et ſuſti-

nendae

nendae proponerentur, partim nouae res, nouae inuentae machinae et inſtrumenta emerentur et conficerentur, partim etiam commercium literarium cum exteris ſocietatibus vel eruditis inſtitui poſſit. Quicunque igitur ſchedulae, a ſocietate oblatae, nomen ſuum apponit eoque promittit, ſe quotannis, niſi plures, certe binos Societatis Directoribus ſoluturum eſſe numos aureos Hollandicos, is in ſocietatem recipitur et fit *membrum ordinarium*. Idem ius acquirit et ſimul ab vlteriori collatione in omne tempus liber fit, qui horum ſemel atque ſimul ſoluit viginti. Si quis vero pauciores, quam viginti, eodem animo ſimul exhibeat, ille ius ordinarii membri non adipiſcitur. Hoc vero in eo conſiſtit, vt quilibet ordinarius ſocius, vel ipſe ad dignitatem directoris adſpirare poſſit, vel ſaltim ius habeat, in ſuffragiis ferendis ſuam libere dicendi ſententiam. Interim hoc ius non omnibus eſt idem, creſcit pro ratione pecuniarum collatitiarum ita, vt ei, qui ſoluit duos, ſemel, qui quatuor, bis, qui ſex, ter in vna eademque re, quae ad omnem ſocietatem delata eſt, ſententiam ſuam dicere liceat; ſiue ſententia illius, qui pendit ſex nummos aureos, idem valeat, ac ſi eandem tres ſocii tuliſſent. Exterorum vero, qui huic inſtituto fauent et in eius vſum ſuam conferunt ſymbolam, alia quaſi conſtituta eſt claſſis, a ſociis indigenis diuerſa. His autem id datum eſt, vt cum directoribus eas res atque quaeſtiones communicare poſſint, quas optant, ab iis vel vulgari, vel disquiſitioni earum praemia poni. Directorum e contrario officium eſt, vt qualibet menſe bis conueniant, acceptas res ac ſcripta perlegant atque disquirant, quid agendum ſit, definiant, pecunias collatitias accipiant colligantque, ex iis praemia diſtribuenda conſtituant, quaeſtiones vel res, quibus illa deſtinauerunt, vulgent, libros et inſtru-

inſtrumenta neceſſaria emant, litteras, ab aliis ſocietatibus vel viris in re phyſica, mathematica, et chemica peritis acceptas, vel ad illos datas, producant, ſingulis ſemeſtribus reliquos Societatis ſocios conuocent, iisque rerum actarum agendarumque rationem reddant, verbo, omne id agant, quod vllo modo ſocietatis incremento poſſit inſeruire. Ex quibus nunc finis, quem ſibi propoſuit ſocietas, liquet, qui quamquam latiſſime patet, in genere tamen is eſt, vt artes ad altiorem perfectionis gradum eueherentur, opificia eorumque officinae emendarentur fructuoſioresque fierent, mercaturae limites extenderentur et reliquarum quaeſtuoſarum rerum creſceret vbertas. Quoinde nomen ipſi datum eſt ſocietatis a bonis ciuibus in incrementum opificiorum, artium et reliquorum quaeſtus generum conſtitutae, (*die patriotiſche Geſellſchaft zur Beförderung der Manufacturen, Künſte und nützlichen Gewerbe*) quo nomine etiam epiſtolae ſunt inſigniendae, quae ad ſocietatem mittantur.

Praemia quidem Societas iam variis propoſuit quaeſtionibus, quas vero, cum a *Commentariorum noſtrorum* inſtituto latius recedant, ſilentio praeterimus. Vnius tamen non poſſumus, quin faciamus mentionem, cum eius explicatio ex chemicis doctrinis ſit repetenda. Menſe nouembri enim praecedentis anni Directores huius ſocietatis notum fecerunt, ſe deſiderare, vt inueniatur atque ſecum communicetur *res aliqua vel modus, cuius ope ſaccharum poſſet depurari.* Requiritur vero ſimul, vt haec res in magno officinarum apparatu idem praeſtet, quod huc vſque ouorum albumen vel ſanguinem praeſtitiſſe conſtat, vt ſaccharo nullum colorem nec malam ſanitatique hominum noxiam relinquat indolem, vt omni tempore et ſufficienti copia poſſit reperiri, vt non ſolum per ſe ſit vilior, ſed etiam eius

vſus

vſus et applicatio in officinis, non plures, quam ſanguis, requirat ſumtus vel labores; ceterum perinde eſſe, vtrum depuratio hoc, qui in vſu albuminis ouorum vel ſanguinis deprehenditur, an alio fiat modo. Conſtat enim ſanguinem et albumen, dum vtrumque cum ſaccharo coquitur, ſpiſſari et ſordes cum ſpuma ſurſum tolli. Societas huic quaeſtioni propoſuit centum numos imperiales, quibus alii ciues huius vrbis, cum haec res, ſi inueniretur, iis maxime lucroſa foret, numos imperiales addere promiſerunt quadringentos. Alterum praemium, centum numorum aureorum, eadem die propoſitum, cum conditionibus quibusdam coniunctum eſt, vt magis ad oeconomicam et politicam, quam phyſicam rem pertineat, hinc nihil de iis adferimus. Commentarii ſuper prima quaeſtione conſcripti mittendi ſunt NICOLAO ANT. IOANN. KIRCHHOF, his vero alia adiicienda ſchedula, ſigillo obſignata, quae nomen auctoris contineat.

Regia Societas *Pariſina*, in emolumentum et incrementum rei ruſticae conflata, praemium ſexcentorum pondo Gallicorum promiſerat ei, qui prae caeteris optime in commentario quodam exhiberet *deſcriptionem*, *cauſſas*, *effectus et curationem morborum epidemicorum contagioſorumque*, *quibus pecora obnoxia eſſe ſolent*, *remedia denique illos vel omnino praeuertendi*, *vel progreſſum eorum arcendi.* Retulerat vero Societas hoc praemium ad annum iam praegreſſum 1764, (quolibet enim anno ſingulum expoſituram eſſe praemium, ſupra indicauimus *) et illud nunc in conuentu publico, die 16 menſis maii anni praecedentis 1765, habito, legimus, reportaſſe Cl. BARBERET, Medicum Burgi Breſſiae, qui

*) in Vol. XII. p. 164.

qui ſtipendio publico vrbis alitur, antiquum Medicum Primarium militarem, Membrum academiae ſcientiarum Diuionenſis.

Alterius vero quaeſtionis, quam voluit Societas referri ad annum praecedentem 1765 et de qua hoc demum anno ſententiam latura eſt, mentionem eodem iam fecimus loco.

Eadem Societas nunc huic quoque anno, 1766, ſuam adſignauit quaeſtionem, et in eodem iam conuentu promulgauit, quo tempus haberent, qui ex mente Societatis laborem hunc ſint ſuſcepturi. Cum vero conſtet, in omni re phyſica disquirenda ſatius eſſe, incipere ab hiſtorica eius parte illamque praemittere theoriae, Societas, rei dignitate permota, conſilium cepit, priorem, praemio iam adfectam, iterum proponendi, ea tamen differentia, vt plenaria nunc deſcribatur *hiſtoria, tum omnium morborum epidemicorum contagioſorumque, quibus beſtiae et animalia omnis generis ſolent corripi, et qui in ſcriptoribus non ſolum recentioris aeui, ſed etiam antiquiſſimorum temporum deſcripti reperiuntur; cum cauſſarum, quae illos producunt et denique remediorum, quae in illis debellandis efficaciſſima fuerint deprehenſa.* Rogat vero Societas, vt non ſolum ea ſcripta euoluantur, quae preſſius hanc rem vel artem medicam attingunt, ſed vt omnia conquirantur, quae de hac re in aliis ſcriptoribus, hiſtoricis, quin etiam in poetis ſparſim proſtant; porro vt deſcriptiones in iis reperiundae disquirantur atque inter ſe inuicem comparentur; vt denique ſyſtema quoddam oriatur completum, quod inſigni huic rei ruſticae parti magnam adferre poſſet vtilitatem. Commentarii de hac re vel gallica vel latina conficiantur lingua, et inſcribantur nomini Ill. de SAUVIGNY, Conſiliarii ſtatus dicti et Praefecti primarii Circuli Pariſienſis; mittantur vero in primo anni ſequentis 1767, trime-

trimeſtri Cl. V. DE PALERNE, qui Societati eſt ab epiſtolis. Praemium, quod menſe iulio exhibebitur, conſtat mille et ducentis libris Gallicis (*Livres*). Reliquae conditiones, quoad auctoris nomen celandum, omnibus ſunt notae.

Regiae Scientiarum Academiae *Burdigalenſi* adhuc tria reſtare praemia diſtribuenda, ex praecedentibus voluminibus *) lectores neſcire nequeunt. Licet enim Illa varios de quaeſtionibus propoſitis conſcriptos acceperit commentarios, omnes tamen exſpectationi eius non ſatis fecerunt, vt itaque denuo iudicium de commentariis, qui quaeſtiones propoſitas ſunt ſoluturi, ferendum ad ſequentem annum, 1767, differre coacta ſit. Eorum itaque, quos iam accepit, commentariorum auctores humaniter inuitat atque rogat, velint hos commentarios retractare, quod iis deficiat, addere, res propoſitas penitius indagare, pluribus experimentis confirmare verbo perficere.

Praeterea *eadem* Academia nouas ex eius inſtituto in annum ſequentem, 1767, propoſuit quaeſtiones, diſquirendas et praemio ornandas. Prima eſt: *quae ſunt partes argillam conſtituentes? quibus mutationibus naturalibus obnoxia eſt? et quae ſunt remedia, vt fertilis fiat?* Altera poſtulat: *vt determinetur actio et vtilitas balneorum tum aquae dulcis cum marinae.*

Academiam Scientiarum *Lugdunenſem* opportunitate quoque caruiſſe, praemio adficiendi quaeſtionem de corio ita durando, vt impenetrabile globulo plumbeo ex ſclopeto exploſo et acutiſſimae ferri aciei

*) vid. Vol. IX. p. 697. Vol. XII. p. 165.

aciei reſiſtat, eandemque rerum phyſicarum peritis denuo propoſitam eſſe, nuper *) fuit narratum. Nunc addere poſſumus, eam vſque ad annum 1768 eſſe dilatam, eiusque optimam disquiſitionem duplicato praemio ornatum iri. Ante calendas aprilis commentarii ad Societatem ſunt mittendi, ea tamen conditione, vt Academia eos ſine impenſis accipere poſſit; quod ſecus ſi fieret, miſſus commentarius, etiamſi praeſtantiſſimus eſſet, iure priuabitur praemium adipiſcendi. Reliquas leges, quas obſeruare conuenit, vide ſuperius **).

Nec Academia Scientiarum *Diuionenſis* ſuper themate, anno 1765 deſtinato, eiusmodi accepit commentarios, quos promiſſo praemio potuiſſet ornare. Ex ſcriptis enim ei traditis apparuit, horum auctores vel veram Academiae mentem omnino non cepiſſe, vel problematis ſententiam paulo latius intellexiſſe, vel ſolummodo in tradendis ſententiis, cogitatione et cum aliqua veritatis ſpecie inuentis, acquieuiſſe, praeter quam quod additus fuiſſet ſufficiens allegatorum experimentorum numerus. Quum vero perſpicua et dilucida huius problematis explicatio certaque experientia maximae in agricultura ſit vtilitatis, atque vt tempus daretur experimentorum capiendorum, obſeruatarumque rerum notandarum, idem problema Academia ad annum 1768 differt, duplicato ſimul praemio. Agit vero illud de variis ſatus methodis. Harum in *Burgundia* tres in vſu ſunt; prima eſt, vt idem ager primo anno ſecali vel tritico (*du Bled*), altero anno frumento aeſtiuo, hordeo, auena et ſimilibus (*des Mars*), et ſequentibus annis alternis his

*) Vol. XII. p. 720.
**) Vol. X. p. 719.

his vicibus ſeminetur; ſecunda, vt in eodem agro binis prioribus annis modo dicta alternae ſeminationis methodus adhibeatur, idem vero ager tertio anno incultus requieſcat; tertia denique, vt ager vno anno cultus ſit et tritico ſecaliue (*du Bled*) ſatus, altero iamiam anno requieſcat incultusque maneat. Quaerit ita Academia, *quae ſint rationes phyſicae, quae pro diuerſa agrorum natura hanc vel illam methodum reliquis praeferre ſuadent?* Ex dictis itaque iam liquet, Academiam velle, vt, praemiſſis et breuiter tantummodo expoſitis foecundationis cauſſis, ſancirentur leges, ex diuerſis conditionibus ſuppoſitis definitae, quas agricultores, ſi eorum ingenio eſſent accommodatae, poſſent ſequi. Quum praeterea terminus, explicationi huius quaeſtionis conficiendae definitus, diu ſit protractus, et quum, quid in hac re certum eſt, ab experientia ſit repetendum, Academia merito magnam concepit ſpem, fore, vt, qui in hanc rem ſint inquiſituri, plura faciant experimenta, repetant, atque in commentariis adferant. Si quis ad ſuam ſententiam confirmandam ſingulis atque ſuis vti vellet obſeruationibus et experimentis, eum rogatum cupit Academia, velit nomini ſuo, in ſchedula, ſigillo obſignata, celato, teſtimonia experimentorum addere fide digna. Simplex praemium eſt moneta aurea, pretii trecentorum ponderum Gallicorum (*livres*). Quum vero duplex ſit propoſitum, Academia declarauit, arbitrio illius permiſſum iri, quem eo dignum illa iudicauerit vel eiusmodi monetarum duas, vel, ſi maluerit, vnam modo, alterius vero pretium in monetis vſualibus exigere. Commentarios, ſolutis antea curſus publici nomine pecuniis, accipiet Cl. MARET, Med. Doctor et Academiae ſcientiarum perpetuus Secretarius.

In

In annum vero proximum, 1767, *Eadem* Academia hoc propoſuit problema, vt nimirum *natura et indoles remediorum, latiori ſignificatione dictorum antiſepticorum determinetur, vt modus, quo vim ſuam exſerant, explicetur, vt diuerſae eorum ſpecies diſtinguantur eorumque vſus in morbis indicetur.* Praemium monetam eſſe auream, quae trecentas valet libras Gallicas (*livres*), ex modo dictis conſtat. Reliquae leges conueniunt cum iis, quas aliae Academiae obſeruari iubent.

Porro Electoralem *Bauaricam*, quae *Monachii* floret, Academiam ſingulis annis ex eius inſtituto bina exhibere problemata, ex quibus alterum ad hiſtoricam claſſem, alterum ad philoſophicam ſit referendum, optimasque eorum explicationes praemiis conſtitutis ſolere adficere, conſtat inter omnes. Hoc itaque conſilio Academia, praeter hiſtoricum quoddam problema, aliud e re oeconomica deſumtum in praecedentem annum propoſuerat, quod Bauariae incolis maximo fore vſui ſibi perſuaſerat. Quaeſtio enim haec erat: *Num ex rationibus, a phyſica doctrina repetendis, appareat, lanam vulgarem Bauaricam ſingulari modo poſſe ita mutari, vt, niſi aeque bona et tenera, ac Anglica eſſe ſolet, ſaltim ipſi quam ſimillima fiat; atque, ſi hoc fieri poſſet, quo modo haec praeparatio ſit inſtituenda.* Licet vero acceptorum commentariorum quidam, cui adiecta erat ſententia; *in labore paries filios*, Academiae adſenſum mereri viſus eſſet, et licet in eo vtilia quoque tradita eſſent conſilia lanae ouinae Bauaricae emendandae: cum tamen illius auctor propoſitum modum lanae eluendae et a ſordibus depurgandae nec ipſe tentauerit, nec aliorum exemplis comprobauerit; praeterea ille modus tantis cum difficultatibus coniunctus eſſe videatur, vt vix vllibi locum habere poſſit

adeoque Auctor ignotus exſpectationem Academiae non omni ex parte impleuerit: illa, quamuis aegre, inſtituti legibus coacta fuit, praemium huic commentario, ceterum praeſtanti, denegare.

Nunc vero *Eadem* Academia huic, quem agimus, anno, alia duo tradidit problemata disquirenda. En illud, quod ad claſſem philoſophicam pertinet. *Eſtne quidam facilior, breuior ac minus ſumtuoſus modus ſeparandi argentum a vilioribus, quamuis magna copia admixtis, metallis, praeſertim a cupro ſine magna vtriusque iactura, quam hactenus vſitata eliquatio* (Saygern), *et cupellatio? Poteſtne haec ſeparatio fieri per ſiccam praecipitationem, qua aurum ſeparatur ab argento? Et qua ratione eſt inſtituenda haec ſeparatio, ſiue ſicca praecipitatione, ſiue alio modo perficiatur?* Commentarii ante finem menſis auguſti, huius anni, ad HELEPHONEM KENNEDY, Academiae Secretarium ſunt mittendi, auctoris vero nomen in adiecta ſchedula obſignata celandum. Praemium moneta eſt aurea, pondere quinquaginta numorum aureorum Hollandicorum.

Regia etiam Societas ſcientiarum *Gottingenſis* in conuentu publico, quem die 18 menſis ianuarii huius anni celebrauit, disquiſitis antea commentariis, quorum ſuper themate oeconomico: *quo modo aluearia a nociuis defendi poſſent erucis*, tres acceperat, praemium tribuit BARTHOLDO BORNEMANN, mercatori Gottingenſi. Quum vero et reliquos commentarios Societas publicatione repererit dignos, declarauit, ſe breui eos cum orbe erudito in *promptuario Hannouerano* eſſe communicaturam.

Alterum vero *Eiusdem* Societatis problema, menſi iulio huius anni deſtinatum, alio iam tempore *) commemorauimus. Sufficiat addidiſſe,

praemii

*) Vol. XII. p. 563.

praemii loco promiſſam eſſe monetam auream, pretii duodecim numorum aureorum Hollandicorum.

Eadem denique Societas eodem die nouam ſimul promulgauit quaeſtionem, cuius ſolutionem iam hoc ipſo anno exſpectat. Iisdem verbis eam reddimus, quibus a ſocietate propoſitam accepimus: *Cum quasdam plantarum varietates credant botanici a diuerſorum generum commixtione (vt animalia hybrida) naſci: optat Societas, vt ea quaeſtio experimentis, non coniecturis, decidatur; et ſi confirmetur veritas ſuſpicionis huius, ad leges ſimul, quas ſequuntur illae varietates, attendatur.*

Academia denique ſcientiarum *Berolinenſis* ante aliquot annos problema exhibuerat, cuius optimae ſolutioni praemium quinquaginta numorum imperialium ſe exhibituram eſſe ſimul promiſerat. Quaerebatur vero: *quomodo exſtruendae eſſent fornaces tum figulinae, cum ad calcem vel lateres coquendos aptae, vt magno ligni compendio poſſent calefieri* *)? Praemio hoc dignum iudicatum fuiſſe Cl. virum, BAUSSAN DU BIGNON, auctoritate Regis Galliae ſcribam, et Formularium publicum, redituum regiorum in vrbe, *Suze* dicta, ducatus Cenomaniae Praefectum, nuper accepimus.

Nonnulli etiam Doctores ordinis medicorum *Pariſini*, quibus artis ſalutaris incrementum curae eſt cordique, ex ſuis opibus pecunias contulerunt eo conſilio, vt praemium ſtatueretur themati alicui, ex arte medica propoſito, enucleando. Monetam itaque auream, pretio centum numorum argenteorum vncialium, ſocii huius conſilii promiſerunt ei,

*) vid. Comment. hor. Vol. XI. p. 164.

ei, qui optime et dilucidiſſime ſit oſtenſurus: *quae fuerit artis medicae conditio ante* HIPPOCRATIS *tempora apud varias gentes ex hiſtoria notas.* Quicunque in hanc rem, ſpiſſis inuolutam tenebris, ſit inquiſiturus, rogatur ab auctoribus huius praemii, vt vel inprimis animum eo aduertat: 1) quibusnam hominum generibus praxis ſingularum ampliſſimae huius artis partium fuerit relicta? 2) quales hi homines habuerint idêas morborum, eorum progreſſus et finis? 3) qua methodo et 4) quibus auxiliis in morbis curandis fuerint vſi? Quum menſem aprilem proximi anni, 1767, Societas haec priuata ſententiae, de commentariis, ſuper hac re conſcriptis, ferendae, et praemio adiudicando conſtituerit, commentarii ante calendas martias eiusdem anni Cl. BOYER, ordinis medicorum Decano, ſolutis ante curſus publici nomine ſumtibus, ſunt tradendi.

Nuper nos narrare *) meminimus, IOANNEM DE DIEST, Med. Ordin. Pariſini Doctorem pecuniarum quandam ſummam Summo medicorum Ordini teſtamento legaſſe ea lege, vt quolibet biennio candidato cuidam licentiam exercendi artem et honores Doctoris Pariſini gratis imperti-ret; porro hunc Ordinem non ſolum hereditatem hanc adiiſſe, ſed etiam voluntatem teſtatoris expleturum candidatis iam facultatem dediſſe, hoc beneficium petendi. Nunc accepimus, Ordinis Socios diebus 10, 11, 12 et 14 menſis februarii huius anni conueniſſe, profectusque eorum, qui hoc beneficium petierant, tentaſſe atque palmam reliquis praeripuiſſe THOMAM LE VACHER, Doctorem medicinae Cadomenſem.

Quum

*) vid. Vol. XII. p. 722 ſqq.

Quum Collegium medicum *Ruſſicum*, ante aliquot annos conſtitutum *), adhuc caruerit viro, qui rerum agendarum vel actarum rationem literis demandaret, adeoque Secretarii munere fungeretur, etiam hunc defectum nunc Auguſtiſſimam Imperatricem expleuiſſe, nuper demum per literas accepimus. Etenim haec ſparta die 8 menſ. nouembris 1764 Viro Clar. CHRISTIANO PAECKEN, eiusdem Collegii iam antea adſcripto, Imperii tribunalium Conſiliario et Anatomiae Profeſſori demandata eſt, adiecto ſimul pro nouis his laboribus proprio ſtipendio et conſeruatis omnibus reliquis, quibus ille antea praefuerat, muneribus.

Eodem tempore in propenſi animi teſtimonium et meritorum gratiam Imperatrix Auguſtiſſima Viros Celebres, IOANNEM IACOBUM LERCHE, Conſiliarium aulicum et Poliatrum Petropolitanum, atque IOANNEM ANDREAM UNGEBAUER, itidem Conſiliarium aulicum et medicum Ordinarium legionis imperialis praetorianae, dignitate *Conſiliarii altiorum imperii tribunalium* ornauit.

THEODORO TRONCHIN, viro nominis fama claro et de arte medica bene merito, curam ſanitatis Sereniſſimi Principis *Aurelienſis* conſeruandae datam eſſe, relatum legimus.

Magno ſane animi moerore mortem accepimus viri, non ſolum de phyſica altiori et chemia meritiſſimi, ſed etiam morum integritate maxime conſpicui, quem nuper in his quoque commentariis cum laude commemorauimus. *Osnabrugae*

*) vid. Comment. hor. Vol. XI. p. 714.

brugae enim die 10 menſis nouembris anni praecedentis febri acuta extinctus eſt IOAN. FRIDERICUS MEYER, Pharmacopoeus in eadem vrbe dexterrimus. Inſignem nominis famam inter phyſicae peritos ſibi conciliauerat libro, *de calce viua* *), ſumma diligentia acutiſſimoque ingenio conſcripto, cuius iam alteram editionem meditabatur, poſtquam nuper Galli eam in ſuam linguam tradiderant. Natus erat in eadem vrbe die 14 menſis octobris anni 1705 et per omnem vitam debili vſus eſt valetudine, quum ex hypochondriis aegrotaret.

Praeterito etiam anno, die 30 menſis aprilis *Piſae* diem ſupremum obiit R. P. CLAUDIUS FROMOND, Phyſices in Academia Piſana Profeſſor Publ. Ordinarius, annum aetatis agens ſexageſimum.

Eſt ſane etiam, quod moereat Societas Regia Scientiarum *Londinenſis*. Magnam quippe fecit iacturam morte Viri S. R. THOMAE BIRCH, in aula Sereniſſimae Principis Regiae, AMALIAE, Concionatoris, in aede S. Margarithae rerum ſacrarum Praefecti, eiusdem Societatis membri et Secretarii. Is die 8 menſis ianuarii huius anni ex equo, quo vehebatur, tam grauiter humi proſtratus eſt, vt confeſtim ſenſuum vſu priuaretur, breuique poſt animam efflaret. Bene de Societate ſcientiarum eſſe meritum, quatuor teſtantur volumina, quae de illius hiſtoria edidit **).

Supple-

*) Vol. XII. p. 468 ſqq.
**) vid. Comment. hor. Vol. VI. p. 304 ſqq. et Vol. VII. p. 617 ſqq.

XXIX.

Supplementum alterum ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1761 prodierunt.

Voyages from Aſia to America, for completing the diſcoveries of the North Weſt Coaſt of America; to which is prefixed a ſummary of the Voyages, made by the Ruſſians on the Frozen Sea, in Search of a North Eaſt Paſſage, ſerving as an Explanation of a Map of the Ruſſian Diſcoveries, publiſhed by the Academy of Sciences of Petersburgh. With the Addition of three new Maps, 1) a copy of part of the Iapaneſe Map of the World; 2) a copy of the Liſle's and Buache's Fictions Map; and 3) a large Map of Canada, extending to the Pacific Ocean, containing the new Diſcoveries, made by the Ruſſians and French. London. 4.

Iournées phyſiques. a Lyon. Voll. 2.

De vtriusque analyſeos vſu in re phyſica. Volumina duo, etc. De analyſi vulgari in re phyſica. Vol. I. R. P. BELLEGARDE, e Soc. I. Parmae. 4.

PHIL. ADOLPH. BOEHMER, Diſſ. inaug. de cancro occulto et aperto. Reſp. *Dan. Gottl. Tenzer.* Halae. 4.

HERM. BOERHAAVE praelectiones academicae de morbis neruorum, quas ex auditorum manuſcriptis collectas edi curauit IAC. VAN EEMS. Lugd. Bat. 8. Voll. 2.

IOH. TAUFERS BOHADSCH *patriotiſcher Vorſchlag, wienach dem Königreich Böhmen ein ungemeiner Vortheil durch den Gebrauch des Acacienbaums zuwachſen möchte. Zweyte Aufl. Altſtadt Prag.* 4. *m. Kupf.*

IO. BONAE hiſtoria aliquot curationum mercurio ſublimato corrodenti perfectarum. Romae. 8.

IAC. BOOT. Diſp. inaug. de ileo. Edinburgi. 8.

Methode a ſuivre dans le traitement des differentes maladies epidemiques, qui regnent le plus ordinairement dans la generalité de Paris, par M. BOYER. a Paris. 12.

IO. ANDR. BOYMANNS Diſp. inaug. de angina inflammatoria. Lugd. Bat. 4.

GUIL. BUCHAN Diſp. inaug. de infantum vita conſeruanda. Edinburgi. 8.

GUIL. BUTTER Diſp. inaug. de arteriotomia. ibid. 8.

ANT. LE CAMUS Quaeſt. med. an a fluido electrico vita, motus et ſenſatio? Reſp. *Simon Vacher.* Pariſiis. 4.

CAR. CARNIER Diſp. inaug. de peripneumonia vera. Lugd. Bat. 4.

A Treatiſe on the Deluge, by CATCOTT. London.

IO. PET. EBERHARD Diſp. de neceſſario vſu veſicatoriorum in febre caſtrenſi. Reſp. *Car. Henr. Kriſch.* Halae. 4.

ADR. VAN EEPEN Diſp. inaug. de nephritide. Lugd. Bat. 4.

Diſſertazione epiſtolare de Sig. Abate FELICE FONTANA, in Bologna. 8.

(*Obſeruationes criticas de inſenſibilitate tendinum continet haec epiſtola, et Auctor* HALLERI *ſententiam de hac re defendit.*)

PAUL. FRANCOIS Diſp. inaug. de circumſtantiis generalibus, quatenus ſanitati aduerſantur. Lugd. Bat. 4.

Notionnaire ou Memorial raiſonné de ce, qu'il y a d' utile et d' intereſſant dans les connoiſſances acquiſes, depuis la creation du monde jusqu' a preſent; par. M. DE GARSAULT. Paris. av. fig. 8. (*continet definitiones ſimplices, inprimis medicinae, chirurgiae et pharmaciae.*)

E. G.

E. G. GLADBACH disquiſitio de medicamentorum abſorbentium in febribus continuis acutis praeſtantia. Francofurti.

D. IOACH. FRIDR. HENKELS *Abhandlung von den Wirkungen der äuſserlichen Arzeneyen. Berlin.* 8.

Difeſa del Dottor MASSAIOLI, medico di Forli, dalla cenſura fatta gli dal Dottore IGNACCHERA di detta Citta; in Urbino.

Traités des Depots dans le Sinus maxillaire, des Fractures, et des Caries de l'une et l'autre machoire; ſuivis de reflexions et d'obſervations ſur toutes les operations de l'art du dentiſte, par M. IOURDAIN. a Paris 12 mai. av. fig.

The Analyſis of Inoculation: comprizing the Hiſtory, Theory and Practice of it: with an occaſional conſideration of the moſt remarkable Appearances in the Small Pox; by I. KIRKPATRIK. the 2nd Edit. enlarged. London. 8.

I. CHRIST. GERHARD KNOLLENS XXVI *mediciniſche Ausarbeitungen. Halberſtadt.* 8.

IOH. MELCH. KÜHN *gründlich erprobte Anweiſung zur Holzcultur. Nürnberg.* 8.

IO. CLAUD. MERTRUD theſes anatomico chirurgicae. Reſp. *Leonh. Bonnaud.* Paris. 4.

Ejusd. theſes anatomico chirurgicae. Reſp. Nic. *Liger.* ibid. 4.

Ejusd. de fractura ſterni theſes anatomico chirurgicae. Reſp. *Franc. Bojace.* ibid. 4.

IO. BAPT. MORANDI hiſtoria botanica practica, ſeu plantarum, quae ad vſum medicinae pertinent, nomenclatura, deſcriptio et virtutes. Mediolani. fol. c. tab. aen. (*Priori editioni nouus praefixus titulus*)

PHIL IAC. NAGEL Diſp. de vitiis primarum viarum morbisque exinde oriundis. Argent. 4.

IO. FRANC. PARIS Quaeſt. med. an ſudare tutius, quam algere? Reſp. *Hugo Gauthier.* Paris. 4.

DAV. RATTRAY Diſp. inaug. de aquae communis viribus medicatis. Edinburgi. 8.

GUIL. SHIPPEN Diſp. inaug. de placentae cum vtero nexu. ibid. 8.

Eſſays phyſiological and practical on the nature and circulation of the Blood and the Effects and Uſes of blood letting; by SMITH. London. 8.

BENI. STILLINGFLEET'S Calendar of Flora for 1755. London. 8.

An Eſſay on the medicinal Nature of Hemlock: in which its extraordinary Virtue and Efficacy, as well internally as externally uſed in the Cure of Cancers, Scirrhous and oedematous Tumours, malignant and fiſtulous Ulcers and Cataracts, are demonſtrated and explained: The whole being founded on Obſervations made in a Variety of the reſpective Caſes, where this Remedy was adminiſtered by D. STOERCK, the Baron VAN SWIETEN, D. KOLLMANN, and others of the moſt eminent Phyſicians and Surgeons at Vienna. Translated from the latin Original, written by D. STOERCK. London. 8.

CAR. STRACK tentamen medicum de dyſenteria, et qua ratione eidem medendum ſit. Mogunt. 8.

LAUR. IOS. DAN. SUCKOWS *Entwurf einer Naturlehre. Leipzig.* 8 *mai.*

FRANC. GUIL. LE VACHER de variis patellae luxationibus, theſes anatomico chirurgicae. Reſp. *Io. Picquet.* Pariſiis. 4.

RUD. AUG. VOGEL. P. P. DESBANS ſpecimen practicum de hydrope peritonaei ſaccato, memorabili caſu confirmato. Goettingae. 4.

THOM. YOUNG, Diſp. inaug. de lacte. Edinburgi. 8.

Mercu-

Mercurii ſublimati vindiciae GERV. ERN. ZANNINI diſerta epiſtola ad Ill. GER. VAN SWIETEN. Romae. 4.

XXX.

Supplementum indicis ſcriptorum phyſico medicorum, quae anno 1762 prodierunt.

Abhandlungen und Beobachtungen durch die oekonomiſche Geſellſchaft zu Bern geſammlet, des 3ten Iahrganges 1762. *1ſtes und 2tes Stück. Bern.* 8. *mit Kupfern.*

Sammlung der ſchweizeriſchen Geſellſchaft von landwirthſchaftlichen Dingen. 2ten Theils 4tes Stück. Zürch. 8.

The general Contents of the Brittiſh Muſeum, with Remarks, ſerving as a directory in viewing that noble Cabinet; the 2nd Edit. with additions and improvements. London. 12 mai.

Oeconomiſcher Unterricht für Verwalter und Wirthſchafter. Berlin. 8.

Die ſchwäbiſche Köchin, welche alle Arten von Koch- u. Backwerk auf das ſchmackhafteſte zuzurichten lehrt.

Curieuſes und reales Natur- Kunſt- Berg- Gewerk- und Handlungslexicon, darinne nicht nur die in der Phyſic, Medicin, Botanic, Chymie, Anatomie. Chirurgie und Apothekerkunſt, wie auch in der Mathematic, Aſtronomie, Muſic, Mechanic etc. ſondern auch bey Bergwerken, Iägerey, Fiſcherey, Gärtnerey etc. vorfallende und aus allerhand Sprachen genommene unentbehrliche Wörter deutlich und gründlich erklärt werden etc. nebſt einem ausführlichen Vorbericht Hrn. IOH. HÜBNERS. *Neue Aufl. verbeſſert und mit einer Vorrede verſehen von* D. GEORG HEINR. ZINKEN. *Leipzig.* 8 *mai.*

Rules for the Preſervation of Health. London. 8.

Des alten Mannes Wegweiſer zur Geſundheit und längern Leben. Mit Regeln zur Diät, Leibesübungen und Arzney, nach der 3ten Londner Edit. von 1759; nebſt einem Anhange oder Anweiſungen zur Erhaltung der Geſundheit, überſetzt von THEOD. ARNOLD. *2te Aufl.*

Recherches ſur quelques points d'hiſtoire de la medecine, qui peuvent avoir rapport a l'arret de la Grande Chambre du Parlement de Paris, concernant l'inoculation, et qui paroiſſent favorables a la tolerance de cette operation; a Liege et a Paris. 12. Voll. 2.

Pharmacopoea pauperum in vſum Noſocomii Regii Edinburgenſis. Edit. 2da Edinburgi et Berol. 8.

Sendſchreiben an einen Durchlauchtigen Prinz eines Hochfürſtl. Hauſses des deutſchen Reichs, in welchen von dem groſsen hermetiſchen Geheimniſs, den Stein der Weiſen, gehandelt wird. Quedlinburg u. Leipz. 8.

10. LE BAS de femoris fractura theſes anatomicae et chirurgicae. Reſp. *Lud. Beni. Cervenon.* Paris. 4.

10. BERKELEY Diſp. inaug. de haemoptoe. Edinburgi. 8.

La Mineralogie; ou nouvelle expoſition du regne mineral: ouvrage dans lequel on a taché de rangér dans l'ordre le plus naturel les individus de ce regne, et ou l'on expoſe leurs proprietés et uſages mecaniques etc. par M. VALMONT DE BOMARE. Tome ſecond. a Paris. 8.

EDM. BUTTER Diſp. inaug. de diarrhoea. Edinburgi. 8.

RICH. HARRIS Diſp. inaug. de abortu. ibidem. 8.

Ouvrage touchant les Hernies ou Deſcentes, diviſé en deux parties, par M. DE IEAN. a Paris. 12 mai.

PET. ABR. DE IONGE Diſp. inaug. de calore febrili. Lugd. Bat. 4.

IO. LAW, Diſp. inaug. de aſthmate recidiuo ſpaſmodico. Edinburgi. 8.

Icones plantarum et analyſes partium aeri inciſae atque viuis coloribus inſignitae, adiectis indicibus nominum, neceſſariis figurarum explicationibus et breuibus animaduerſionibus, quas compoſuit D. CASIM. CHPH. SCHMIDEL, curante et edente IO. CHPH. KELLER, typis Chriſt. de Launoy. Fol.

DAN. SCHULZ *Abhandlung von der Einpfropfung der Pocken. Hamburg.* 8.

WILL. SMIBERT Diſp. inaug. de menſtruis retentis. Edinburgi. 8.

GUIL. STEVENSON Diſp. inaug. de diabete. ibid. 8.

Ectypa vegetabilium, vſibus medicis praecipue deſtinatorum et in pharmacopoliis obuiorum, variisque modis praeparatorum, ad naturae ſimilitudinem expreſſa, cet. moderante D. CHR. GOTTL. LUDWIG, impreſſit IO. GODOFR. TRAMPE. *Nach der Natur verfertigte Abdrücke der Gewächſe* etc. Faſc. VI. A S. No. 126 - 150. Halae. fol.

IAC. VAUGHAN Diſp. inaug. de polypo cordis. Edinburgi. 8.

Eſſay upon Oeconomy, by EDWARD WATKINSON. London. 8.

Contenta

Contenta in hac parte.

1. Philoſophical Transactions Vol. LII. P. II. - p. 3
2. FRISCH *Vorſtellung der Vögel Deutſchlandes und beyläuffig auch einiger Fremden.* - - 26
3. BONNET Conſiderations ſur les corps organiſés. - 29
4. HUNTER'S Supplement to the firſt part of medical Commentaries. - - 40
5. Expoſtulatory epiſtle to WILL. HUNTER. - 41
6. GARNER'S Obſervations on D. HUNTER'S Medical Commentaries. - - 41
7. KOELREUTERS 1 *u.* 2*te Fortſetzung der vorläuffigen Nachricht von einigen das Geſchlecht der Pflanzen betreffenden Verſuchen und Beobachtungen.* - - 43
8. KRAUSE Diſſ. de variolarum exſtirpatione inſitioni ſubſtituenda. - - 48
9. MEDICUS *von der Ausrottung derer Kinderblattern.* 50
10. RAST Reflexion ſur l'Inoculation de la petite Verole etc. 53
11. Nouveaux Eclairciſſemens ſur l'Inoculation de la petite Verole cet. - - 56
12. Obſervations ſur la Nature, les Cauſes et les Effets des Epidemies varioliques cet. - - 58
13. RICHARD de variolarum exſtirpatione quaerenda primum, illique ſubnectenda variolarum inſitione. 59
14. *Abhandlungen der Churf. Bayeriſchen Akademie der Wiſſenſchaften* 1 *u.* 2*ter Band.* - 60
15. ADANSON Familles des Plantes. - 73
16. AGUSTINI, ſtranguria, quae venerea dicitur, mercurii aliquando poteſt eſſe effectus, obſeruationes id probantes. 88
17. IENTY'S Courſe of anatomico phyſiological Lectures on the human ſtructure and animal Oeconomy. Vol. I. II. III. 90
18. v. HALLER Opera minora. Tom. I. Anatomica. 94
19. Eſſai hiſtorique ſur la Medecine en France. - 96
20. Acta Heluetica. Vol. V. - - 98
21. BONN, Diſſ. de continuationibus membranarum. 113
22. EDWARDS Gleanings of Natural Hiſtory. Tom. I. II. III. 116
23. WALTERS *Abhandlung von trocknen Knochen des menſchlichen Körpers.* - - 125
24. STOERCK libellus, quo demonſtratur: colchici autumnalis radicem non ſolum tuto poſſe exhiberi hominibus, ſed et eius vſu interno curari quandoque morbos difficillimos, cet. - - 127
25. KRATOCHVILL de radice colchici autumnalis. 130
26. TREW plantae ſelectae Decur. VI et VII. - 131
27. LUDWIG inſtitutiones chirurgiae. - 138
28. Noua phyſico medica. - - 150
29. Supplementum alterum indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1761 prodierunt. - 169
30. Supplementum indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1762 prodierunt. - 173

COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.



VOLVMINIS XIII. PARS II.

LIPSIAE MDCCLXVI.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH
Venduntur etiam
Amſtelodami apud I. Schreuder, Pariſiis apud Briaſſon, Patauii apud I. Manfré,
Holmiae apud L. Saluium.

I.

Hiſtoire naturelle générale et particuliére avec la deſcription du Cabinet du Roi. Tome Onziéme. A Paris, de l'imprimerie Royale. 1764. 4. Alph. 2. pl. 11. tab. aen. 43.

h. e.

Hiſtoria naturae vniuerſalis et particularis, cum deſcriptione muſei regii. Tom. XI. etc.

Inter quadrupeda, quae hic deſcribuntur, animalia, primum *Elephantus* eſt. Hoc animal, omnium maximum, in ſtatu naturali nec ſanguinolentum nec ferox eſt, natura mite, nec vnquam armis ſuis abutitur, niſi defendere ſe ipſum aut alia ex ſuis protegere cogitur. Sociabile animal eſt, raro ſolitarium apparet; plerumque gregatim ingrediuntur; natu maximum agmen ducit, aetate proximum idem cogit; hunc tamen ordinem non niſi in itinere periculoſo, cum terras cultas paſci tentant, obſeruant; minus cauta in ſyluis incedunt, nunquam tamen prorſus ſe ſeparant, nec nimis longe recedunt. Venatores integram gregem aggredi non audent; paruo enim exercitu opus eſſet. Periculoſum eſt, iniuria ea afficere; recto enim curſu offenſori obuiam eunt, tuncque dentibus ſuis ſeu armis eum perforant, aut proboſcide tenent et p. 1.

ſublatum vt lapidem in terram deiiciunt, pedibusque deculcant, ſicque conterunt. Nunquam tamen niſi prouocata ſic ſe gerunt. Elephanti fluuiorum ripas atque loca vmbroſa et humida amant. Saepe in aquam ſe immittunt, nec, licet corpus eorum enorme ſit, ſubmerguntur. Longitudo enim proboſcidis, quam in ſublime edunt, cuiusque ope reſpirant, a ſuffocatione eos defendit. Radicibus, herbis, foliis et ligno teneriori, etiam fructibus et ſeminibus viuunt; a carnibus vero et piſcibus abhorrent. Si vnus eorum paſcua larga reperit, gregales ſuas conuocat, et in communionem deducit. Difficile eſt metum eis iniicere; inter omnia tamen ignes artificiales eos terrent, et res igniuomae ex puluere pyrio paratae (*Petards*), quae eis obiiciuntur, quorum effectus ſubitus ſtatimque renouatus eos arcet, facitque, vt recurrant. Coituri ſolitudines petunt et in abdito coeunt. Mares triennio interpoſito coitum repetunt. Feminae vterum biennio gerunt, et ſingulos tantum pariunt. Statim cum natus eſt elephantus, dentes habet, licet eos non illico conſpicuos obtineat, ſexto tamen aetatis menſe aliquot pollices longi ſunt. Ipſe autem elephantus tunc boue maior eſt. Cicures facti nunquam coeunt. Semel cicur factus manſuetudine et obſequio omnia animalia ſuperat. Breui enim tempore vocem gubernatoris diſtinguere noſcit, et quae iſte imperat, exſequitur. Amicis ſuis proboſcide blanditur eademque homines, quos venerari debet, ſalutat. Admouendas moles ea vtitur, hasque ſibi imponere ſe ipſe iuuat. Virga ferrea regitur, ſaepeque ſoli inſidentis voci obſequitur. Interdum gubernatori adeo aſſueſcit, vt obſeruatum fuerit, quendam, cum iracundia permotus ſeſſorem ſuum occidiſſet, tam valde deſideraſſe, vt poenitudine et moerore confectus obiret.

Licet

Licet elephanti omni biennio aut triennio vnum tantum pullum parturiant, nihilo tamen minus numeroſi ſunt, ſiquidem vitae longaeuitas paruitatem numeri compenſat. Dicitur enim duo ſaecula viuere et ad annum centeſimum et vigeſimum ſoboles procreare. Elephanti reperiuntur in Africa et Aſia; in illa tamen numeroſiores ſunt et frequentiores; ſunt etiam minus diffitentes minusque feri. India orientalis et Africa eae ſunt regiones, vbi terra et coelum conuenientiſſimum eis eſt. In genere elephanti Aſiatici ratione corporis et virium Africanos ſuperant, et Ceylandici ratione animi et intellectus Aſiaticis praeſtant. Caeterum vires horum animalium magnitudini eorundem reſpondent. Elephanti domeſtici maiora officia dominis ſuis praeſtant, quam quinque vel ſex equi: abundanti tamen et exquiſito nutrimento opus eſt. Eis plerumque oryzam crudam aut coctam cum aqua mixtam praebent: dicuntque ad vigorem conſeruandum quotidie centum libris oryzae opus eſſe. Praebent eis etiam herbas pro refrigerio: exaeſtuationi enim obnoxii ſunt. Neceſſe etiam eſt, vt bis terue de die ad balneandum in aquam deducantur. Proboſcide aquam haurit, eamque bibendi cauſſa ori admouet, poſtea proboſcidem flectendo reliquam aquam ſuper omnes partes corporis manare curat. Elephantorum color communis ex gryſeo cinereus ſeu nigreſcens eſt; albi admodum rari ſunt; reperiuntur etiam rufi. Oculi eorum reſpectu voluminis corporis admodum parui ſunt, ſed fulgidi et viuaces. Aures valde magnae apparent, reſpectu corporis multo longiores, quam aures aſini, et planae, vt hominis. Plerumque pendulae ſunt; ſed animal eas tollit et magna cum facilitate mouet, eisque ad abſtergendos oculos et a puluere ac muſcis eos defendendos vtitur. Olfactus eius exquiſitus eſt, re-

 büsque

busque odoratis cuiuscunque generis, et inprimis floribus odoriferis delectatur, quos colligit ſingulos, odoreque ſaturatus, eosdem ori admouet et guſtare videtur. Quod ad ſenſum tactus attinet, proboſcide vtitur, quae admodum ſenſilis vt hominis manus eſt. Componitur ea ex membranis, neruis et muſculis; eſtque membrum motuum capax, inſimulque ſenſus organon. Eam animal non ſolum mouere et flectere, ſed etiam contrahere, extendere et vndiquaque volutare poteſt. Extremitas proboſcidis margine terminatur, qui antrorſum ſub digitorum forma elongatur, cuiusque ope hoc animal omnia praeſtat, quae homo digitis ſolet. Haec elephanti manus maiora commoda quam hominis habet; non ſolum enim flexilis eſt, ſed etiam ad apprehendendum ſingulaque tangenda idonea. Cuncta haec fiunt ope appendicis, quae ad ſuperiorem partem marginis, extremitatem proboſcidis cingentis, digitorum more ſitum occupat, et in cuius medio cauitas ſub cyathi forma relinquitur, ad cuius fundum duo orificia canalium communium olfactus et reſpirationis reperiuntur. Elephantus itaque naſum in manu habet, viresque pulmonum ſuorum actioni digitorum iungere et per fortem ſuctionem liquida attrahere, vel corpora ſolida admodum ponderoſa attollere valet, dum ſuperficiei eorum marginem proboſcidis applicat, et per inſpirationem cauum interius producit. In genere itaque notandum eſt, elephantum reſpectu corporis monſtrum eſſe; corpus enim admodum craſſum et absque mollitie eſt, collum breue fereque inflexile, caput paruum et difforme, aures enormes et naſus adhuc multo magis enormis, oculi admodum parui aeque ac gula, membrum genitale et cauda; crura craſſa, recta minusque flexilia, ac pedes tam breues tamque parui, vt fere nulli eſſe videantur, caeterum cutis dura,

dura, craſſa et calloſa. Ex his multa incommoda in animal redundant. Sic caput vix flectere, neque etiam ſe ipſum flectere, nec regredi poteſt, niſi circulum faciat. Crura lente et difficulter flectuntur; ſi tamen iuuenis eſt elephantus, ea flectit, quando ſomnum capere vult, aut onera ei imponuntur. In ſene autem vel aegroto motus iſte adeo difficilis fit, vt lubentius ſomnum capiat erectus, atque ſi procumbere cogitur, ad erigendum animal machinis poſthac opus eſt. Arma eius, puta dentes, aetate admodum ponderoſa euadunt, cumque non vt in aliis animalibus cornua verticaliter locentur, duos longos vectes formant, qui horizontaliter fere poſiti caput inſigniter fatigant et deorſum ducunt, adeo, vt animal ad tenendos eos murum excauare interdum cogatur. Cum olfactus organon a guſtus organo admodum remotum ſit, illud incommodum prouenit, quod ore nihil a terra ſuſcipere valeat, ſiquidem breue collum flectere nequeat. Alimenta itaque et potum ope naſi ſuſcipere eaque ad fauces vſque introducere cogitur; atque ſi proboſcis aquae plena eſt, extremitatem eiusdem ad radicem linguae vſque intromittit, eum forte in finem, vt epiglottidem deprimat et impediat, quo minus liquor in laryngem defluat. Aquam enim, quam inſpirationis ope hauſit, itidem per exſpirationem impellit. Pari quoque ratione mammas ſugit elephantus iunior, quod naſo, neque ore, vt veteres dixerunt, perficit; qua in re igitur ab aliis animalibus differt. Differunt etiam elephanti in eo, quod aliter coeant. Femina enim ſupina marem ſuſcipit. Sonus quoque, quem edit, admodum ſingularis eſt, et licet vltra milliare percipiatur, minime tamen adeo horribilis, vt tigridis rancor aut leonis rugitus eſt. Cute inſuper ſe diſtinguit elephantus; ea enim pilis tecta non eſt, ſed nonnullas tantum

 ſetas

ſetas in rimis habet, quae ſuper corpus tenuiter diſſeminatae, in palpebrarum autem ciliis, in occipite, in aurium orificiis et in parte interiore femorum crurumue numeroſae admodum ſunt. Epidermis dura, calloſa et rugoſa corticique quercus annoſae ſimilis eſt. Cuti non niſi nonnullarum fibrarum ope adhaeret. Sicca ea eſt et facillime craſſeſcit, ſaepeque tres quatuorue lineas craſſa fit; haec craſſities cauſſam ſic dictae elephantiaſis ſeu leprae ſiccae ſiſtit, cui homo, cuius cutis pilis denudata eſt, obnoxius eſſe ſolet. Hic morbus elephanto valde communis eſt; et ne iſte ſubueniat, Indiani animal ſaepe oleo inungunt, et cutis mollitiem per crebriora balnea conſeruant. Pedes et crura in elephanto aliter ac in aliis animalibus ſunt. Crura anteriora altiora quam poſteriora eſſe videntur, haec tamen paulo longiora ſunt, neque vt in equo aut boue conſtituta. Pes enim extremus admodum breuis eſt terraeque impoſitus; genu medio in crure vt in homine, neque ventri proximum eſt; pes in quinque digitos, totidem vnguibus armatos diuiditur, digitique omnes cute ita obteguntur, vt nulli fere appareant. Planta pedis duro corio, corneo quaſi obtegitur. Aures valde longae ſunt, iisque ceu flabello vtitur elephantus, iisdemque, prout placet, plangit. Cauda, aure paulo longior, plerumque duos pedes cum dimidio aut tres longa eſt. Admodum tenuis, acuminata et in extremitate craſſis pilis ſeu potius filamentis corneis, nigris, nitentibus et ſolidis criſpata eſt. Altitudo plerumque decem aut vndecim pedes eſt; maximi tredecim aut quatuordecim pedes alti valde rari ſunt, minimi nouem pedes altitudine aequant. Veloci curſu incedunt et bene etiam natant.

p. 94. In deſcriptione anatomica Cl. D'AUBENTON primo ad proboſcidem reſpicit. Haec in elephanto trede-

tredecim pedum cum dimidio octo pedes extra os longa, et quinque pedes cum dimidio ad os, vnum vero pedem cum dimidio ad extremitatem craſſa et ſecundum longitudinem caua eſt. Cauitas haec per ſeptum longitudinale in duos canales diuiditur, qui ſuper maxillam ſuperiorem ſe extendunt, poſthac ſe curuant et ad palatum deſcendunt, vbi quiuis orificio terminatur; duo alia orificia ad extremitatem proboſcidis ſunt. Proboſcidem hanc elephantus vndiquaque mouere, elongare et abbreuiare poteſt, neque tamen diametrum duorum illorum canalium mutat, huncque motum ope innumerorum muſculorum longitudinalium, qui inter membranam exteriorem et membranam canalium ſunt, perficit. Os valde paruum eſt, et ſub ebore et baſi proboſcidis fere abſconditum. Palpebrarum apertura admodum parua apparet, oculique bulbus magnitudine vix tertiam partem bulbi oculorum bouis aequat. Inter oculum et aurem orificium deprehenditur, ex quo tempore oeſtri venerei humor ſtillare dicitur. Colon tres pedes longum eiusque diameter duos pedes eſt. Ventriculi diameter in parte ampliore quatuordecim tantum pollices eſt, longitudo vero tres pedes cum dimidio. Lingua acuta eſt. In pectore duae mammae apparent. Partes generationis reſpectu corporis paruae ſunt. Penis membro genitali equi ſimilis eſt; ſcrotum nullum eſt. Vulua in medio ventris fere apparet. Oſſa capitis formam adeo peculiarem habent, vt cum nullo animalium comparari poſſint. Os frontis inſigniter craſſum eiusque craſſities ſex pollices et octo lineas eſt. Ex maxilla ſuperiore duo dentes praelongi, ſub eboris nomine noti, exeunt, quorum alter, qui hic deſcribitur, in conuexa parte pedes tres, pollices ſex et lineas nouem, in concaua vero tres pedes longus, et in extremitate poſte-

 riore

riore pollices decem, paulo vltra pollices decem cum dimidio, ex alueolo autem prodiens ſenſim decreſcens in extremitate anteriore quinque pollices cum dimidio fuit. Hi dentes in maxilla ſuperiore locum occupant, vbi in aliis animalibus dentes inciſiui ſunt; in inferiore autem inciſiui nulli ſunt; canini in vtraque deſunt. In ſuperiore maxilla dentes molares ſex, in inferiore autem quatuor ſunt. Vertebrae colli ſeptem, vertebrae dorſi viginti totidemque coſtae, ſeptem nimirum verae et tredecim ſpuriae numerantur. Vertebrae lumborum tres ſunt, os ſacrum vero ex vertebris ſpuriis tribus, et cauda ex triginta vna componitur.

p. 174. *Rhinoceros* omnium animalium quadrupedum potentiſſimum aeſtimatur; longitudo eius a fine roſtri ad ortum caudae vſque ad minimum duodecim pedes eſt, altitudo vero ſex vel ſeptem pedes eſt. Ratione voluminis et totius maſſae ad elephantum accedit; elephanto quidem multo minus apparet iſtud animal; ratio autem non niſi in breuitate crurum quaerenda eſt, quippe quae in eo multo breuiora quam in elephanto ſunt. Caeterum ratione facultatum naturalium multum ab hoc differt, et ab aliis quadrupedibus non niſi fortitudine, magnitudine et cornu, quod in naſo gerit, et quod ſolum huic animali proprium eſt, diuerſum aeſtimatur. Hoc cornu valde durum et ſecundum totam ſuam longitudinem ſolidum, et maiori cum emolumento, quam cornua ruminantium, locatum eſt. Omnes enim partes anteriores roſtri defenduntur, adeo, vt tigris elephantum potius quam rhinocerotem aggrediatur. Corpus praeterea inuolucro impenetrabili tectum eſt, hinc animal nec tigridis nec leonis vngues, nec ferrum ignemque venatorum metuit. Cutem contrahere nequit, eaque tantum in collo, ſcapulis et lumbis plicata eſt, et haec conformatio

eam

eam vtilitatem habet, vt caput et crura, quae craſſa admodum ſunt et in pedes, tribus vnguibus armatos, terminantur, facilius moueri poſſint. Caput reſpectu corporis maius quam in elephanto eſt, oculi vero minores ſunt, iique nunquam plenarie aperiuntur. Maxilla ſuperior ſuper inferiore producitur, labiumque ſuperius mobile eſt et ad ſex ſeptemue pollices elongari poteſt, atque in appendicem acutam terminatur, cuius ope animal hoc multo facilius, quam alia quadrupeda, plantas colligit easque in faſciculos conuoluit, eadem fere ratione, qua elephantus proboſcide ſua id perficit. Loco duorum illorum praegrandium dentium, qui in elephanto prominent, quiue arma eiusdem ſunt, rhinoceros cornu ſuum, et in quauis maxilla duos dentes inciſiuos fortes habet, qui in elephanto deſunt. Aures ſemper erectae ſunt et ratione formae auribus porcinis ſimiles, reſpectu corporis tamen minores; hae ſolae pilis ſeu potius ſetis obſitae ſunt, atque caudae extremitas faſciculo ſetarum craſſarum valdeque ſolidarum et durarum terminatur. Rhinoceros nec ferox nec carniuorum quidem animal eſt, effrenum tamen; paucis ſuum mores habet, in luto ſe volutat, loca humida et vdoſa amat, neque fluminum ripas lubenter deſerit. Reperitur in Aſia et Africa, numerus vero non ita magnus eſt. Vnum tantum pullum profert. Primo menſe poſt partum rhinoceros cane maiori vix maior eſt, nec in naſo cornu habet, licet rudimenta ſtatim in foetu dignoſcantur. Duobus annis praeterlapſis cornu vnum tantum pollicem magnitudine aequat. Rhinoceros tam vtilis vt elephantus non eſt. Indiani et Nigritae carne eius delectantur, et ex cute eiusdem corium egregium paratur et duriſſimum. Plantis vilioribus, carduis fruticibusque ſpinoſis, et arundine ſaccharifera et quocunque granorum genere

viuit.

viuit. Nullum animal metuit et cum omnibus etiam tigride vitam tranquillam agit. Gregatim non incedunt, ſed ſolitarii potius ſunt et elephantis magis feri. Homines non niſi irritati aggrediuntur. Senſus auditus et olfactus eminentiores ſunt, viſus vero debilis. Vox cum ſuum grunnitu conuenit, in irritato vero acuta eſt et eminus percipitur.

p. 211. *Camelus* et *Dromas* ſeu *Camelus Dromas* duo diuerſi generis animalia ſunt, quorum character diſtinctiuus in gibbo eſt, quippe qui in camelo duplex, in dromedario autem ſolitarius eſt. Hic praeterea camelo minor minusque fortis eſt. Vtrumque tamen animal inuicem coit, quaeque inde producitur ſoboles, maiorem vigorem habet, quam reliqua cuncta. Eadem haec pari ratione propagantur cumque prioribus coeunt. Dromedarii numeroſiores ſunt camelis: hi in nonnullis regionibus orientalibus, dromedarii vero in Arabia et Africa maxima in copia reperiuntur, et regiones aridas calidasue inhabitant, cameli vero regiones minus ſiccas magisque temperatas amant. Camelus omnium animalium maxime ſobrius eſt et plures dies absque potu viuit. Arabes lacte et carne camelorum veſcuntur, et ex pilis pannos conficiunt, magna onera iis imponunt cumque iisdem multa milliaria et ad quadraginta per vnum diem abſoluunt. Victum parciſſimum ſumunt cameli et plantis vilioribus, inprimis vegetabilibus ſpinoſis, e. g. carduis, vrticis, geniſta veſcuntur, et adeo ſitim tolerant, vt per plures dies potu abſtinere queant. Cauſſa huius abſtinentiae non in conſuetudine, ſed in ſtructura partium infimi ventris quaerenda eſt. Reperiuntur nimirum quatuor ventriculi, vt ruminantibus commune eſt, praeter hos autem alius ventriculus, qui quintus eſt, in camelis deprehenditur, in quo aqua aſſeruatur, quae absque corruptione ibi manet, nec

cum

cum alimentis in eodem miſceri poteſt. Quando autem ſitis vrget atque alimenta ſicca dilutione et maceratione opus habent; tunc ſola contractione muſculorum in omaſum ad oeſophagum vſque aquam ingredi cogit. Praeterea in inferiore parte pectoris et in crurum articulationibus inſignes calloſitates notandae ſunt, quas pari ratione ac gibbos, in dorſo conſpicuos, non ad ſtatum naturalem, ſed praeternaturalem Cl. BUFFON refert, et a nimio labore proferri putat. In camelis enim, ſi abſque hominibus viuant, eiusmodi calloſitates et gibbos non obſeruari, coniicit. Blandum iſtud animal multa perfert et ad nutum obedit. Ad faciendum iter nullo flabello nec etiam calcare opus eſt, ſique fatigatum iter continuare recuſat, cantus et inſtrumentorum muſicorum ope ad continuandum iter excitatur. Caſtrantur quoque cameli, et licet minus fortes tunc ſint, magis tamen obſequioſi et omni tempore ad labores apti ſunt. Non caſtrati enim tempore oeſtri venerei, quod tempore vernali obſeruatur, et ad quadraginta dies durat, furioſi ſunt, parum admodum comedunt, animalia et homines immo et dominos ſuos mordent, et ad labores minus idonei ſunt. Coeunt cameli non vt alia quadrupeda, ſed femina marem in eodem ſitu admittit, in quo ſe habet, quando quieſcit et ſomnum capit, aut onerari ſe patitur. Per annum fere femina vterum gerit, et vnum tantum pullum parit. Lac copioſum tunc craſſum beneque nutriens habet, eoque tempore omni labore ſolutas per loca ſylueſtria paſcentes vagari permittunt. Ex lacte enim multam vtilitatem capiunt. Gibbi non niſi ex abundantia nutritionis formati eſſe videntur. In camelis enim, qui longa itinera facere et ſitim famemque tolerare coguntur, gibbi inſigniter imminuuntur et praeter pilos vix eminentia in dorſo tunc apparet.

Cameli

Cameli iuniores vbera per annum ſugunt, ſique fortiores et robuſtiores deſiderantur, primis annis laboribus non ſubmittunt, ſed liberos vagari et paſci et vbera ſugere permittunt, et non niſi quarto aetatis anno onera imponere incipiunt.

p. 243. Ex deſcriptione Dromedarii anatomica notamus, animal hoc quinque ventriculos habere: proprie quidem quatuor tantum apparent, quorum quilibet duobus orificiis inſtructus eſt, primo tamen receptaculum adhaeret, vnico tantum orificio praeditum; in eo multae cauitates et ſepta deprehenduntur, ita formata, vt magnam copiam aquae, nihil autem alimenti ſolidi admittant. Collecta in his cauitatibus aqua diu retineri poteſt, quae demum vrgente neceſſitate ope muſculorum huius receptaculi aut muſculorum abdominis in primum ventriculum cogitur. Coecum inteſtinum vt in aliis ruminantibus eſt. Anterior pars linguae tenuis et rotunda deprehenditur, et paruis tuberculis et rigidis acutisque papillis obſita. In maxilla ſuperiore dentes inciſiui nulli, in inferiore autem ſex cernuntur; praeter hos in quauis maxilla vtrinque dentes vncinati tres, et in maxilla ſuperiore dentes molares decem, in inferiore autem quatuor numerantur. Vertebrae colli vt in aliis quadrupedibus ſeptem quidem, ſed admodum longae ſunt. Vertebrae dorſales duodecim totidemque coſtae, ſeptem nimirum verae, et quinque ſpuriae numerantur. Vertebrae lumborum ſeptem ſunt. Os ſacrum ex vertebris ſpuriis quatuor, et cauda, quae integra hic non fuit, ex quatuordecim componitur. Pedes extremi digitis duobus, vngue praeditis, inſtructi ſunt.

p. 426. Labia cameli ad tres pollices infra naſum extenduntur, quorum ſuperius ad pollicem vnum lineasque decem fiſſum eſt. Lingua cameli in anteriore parte amplior eſt, quam in dromedario, praeterea ad extremita-

tremitatem ſerrata et papillis magis conſpicuis donata. Caeterum multa cum dromedario communia habet, et in paucis tantum differt.

Buffelus, *Bonaſus*, *Vrus*, *Biſon* et *Zebu* ſeu Bos minor Africanus BELLONII quinque haec animalia ad boum genus pertinent. Inter haec Buffelus a reliquis differt; reliquae enim ſpecies non niſi varietates bouis communis a diuerſitate climatum et paſcuorum diuerſaque viuendi ratione productae eſſe videntur. Buffelum autem diuerſum eſſe, varia ſuadent. Buffeli nimirum nunquam cum vaccis vulgaribus coeunt: a natura duriores ſunt et minus manſueti. Excepto porco omnium animalium domeſticorum ſordidiſſimum eſt; figura praegrandis apparet et caput ſemper humi procumbit. Vox eius mugitus horribilis eſt. A boue inprimis externe ratione coloris cutis differt, quae nigra eſt paucisque pilis obſita. Corpus maius et breuius quam in boue cernitur; crura altiora ſunt et caput reſpectu corporis multo minus apparet; cornua minus rotunda, nigra et ex parte compreſſa ſunt. Cutis etiam craſſior et durior quam in boue eſt; caro nigra et dura deprehenditur, ſapore non ſolum minus grato eſt, ſed etiam odore diſplicet. Lac vaccino minus bonum maiori quantitate praebet femina. Ex eo in regionibus calidioribus omnia fere caſeorum genera parantur. Inter omnes huius animalis partes corium praeſtat et lingua tantum edulis eſt. Ad ſubeundos labores bobus aptiores ſunt; adhibentur inprimis ad trahendos currus, atque tunc ope annuli, quem in naſo gerunt, diriguntur. Duo buffeli idem praeſtant, quod quatuor equi validi praeſtare ſolent. Reſpectu magnitudinis ſeu potius maſſae et craſſitiei locum ſtatim poſt elephantum, rhinoceroten et hippopotamum occupat. Femina duodecim menſes vterum geſtat, et vnicum

p. 284.

cum tantum pullum edit. Buffeli feri magna in quantitate in regionibus Africae et Indiae vtriusque reperiuntur, inprimis vbi flumina et paſcua magna ſunt. Licet campos inſigniter deuaſtent, nunquam tamen niſi vulnerati homines inuadunt, et tunc hoſtem in terram proſternunt et pedibus interficiunt. Ignis aſpectum fugiunt; color ruber eis diſplicet. In aquam libenter ſe immergunt; bene natant et flumina rapidiſſima tranant; in terra continente facilius etiam incedunt quam bos. Nigritae et Indiani eos venantur magnamque vtilitatem ex cute eorum et cornubus capiunt.

p. 337. Omaſus buffeli inſignis eſt, et totam fere abdominis cauitatem occupat. Dentes cum taurinis conueniunt et in maxilla inferiore dentes inciſiui octo, in quauis vero maxilla duodecim molares reperiuntur. Multa caeteroquin cum tauro communia habet.

p. 352. *Muſmon* ſeu *Muſimon* ouis eſt, ex qua omnes, quotquot ſint, oues proueniſſe dicuntur. Tot enim diuerſasque diuerſarum regionum oues non niſi varietates, a diuerſitate climatum prouenientes, eſſe et ortum Musmoni debere, Cl. BUFFON autumat. Eſt autem Musmon ouis omnium viuidiſſima, fortiſſima et leuiſſima et arieti maxime ſimilis; ac, ſi discrimen inter muſmonem et ouem domeſticam admittendum, id ſane in pilis quaerendum eſt. Non enim lana ſed pilis dictum animal veſtitum eſt. Attamen lanam characterem eſſentialem ouium non eſſe, ſed productionem tantum climatis temperati, ouesque eiusdem ſpeciei in regionibus calidis pilis veſtitas apparere, Noſter aſſerit et muſmonem in montibus Graeciae, inſulis Cypriae, Sardiniae et Corſicae atque in deſertis Tartariae reperiri, perhibet.

p. 376. Ex deſcriptione anatomica, quam dedit Cl. D'AUBENTON, notamus, muſmonem maximam ſimili-

ſimilitudinem habere cum ariete, et reſpectu formae exterioris, et partium internarum. Monet p. 387.
etiam Noſter, arietem Islandicum ab ariete vulgari non niſi numero cornuum et longitudine caudae et qualitate lanae differre. Aries enim Islandicus tria habet cornua; vnum nimirum in vtroque frontis latere et tertium inter duo priora. Tan- p. 392.
dem arietem Indicum, notat, quoque cum ariete vulgari conuenire, praeter quam, quod caput admodum elongatum et ad latera roſtri compreſſum ſit, ſub gula duae glandulae, vt in capris, propendeant, et cauda ad terram vſque deſcendat.

Axis animal eſt, quod reſpectu cornuum cum p. 397.
ceruo et reſpectu formae et agilitatis cum dama conuenit, ab iis autem in eo differt, quod pellem maculis albis diſtinctam habeat et regiones calidas inhabitet. Quum nondum obſeruatum ſit, dictum animal cum ceruo aut dama coire, iſtud peculiarem ſpeciem, inter ceruum et damam mediam, conſtituere, Cl. BUFFON coniicit.

Ex deſcriptione anatomica apparet, animal p. 406.
hoc pellem habere, cuius pili in extremitate albi et ad radicem fului ſunt, caeterum maculis albis diſtinctam. Dentes vncinatos, vt ceruus, non habet, in inferiore autem maxilla octo dentes inciſiui et in quauis maxilla duodecim molares, vt in ceruo et dama, reperiuntur.

Zeba animal Africanum eſt, cuius mentionem p. 439.
ſuperius in deſcriptione buffeli Cl. BUFFON fecit. Ad boum genera pertinet. In Africa vocatur *Lant* vel *Dant*, quod nomen alii etiam animali Americano imponitur, quod itaque pro boue illo non habendum, ſed *Tapir* vocandum eſt, cuius hiſtoria mox a Noſtro dabitur.

In deſcriptione huius animalis notat Cl. DAU- p. 441.
BENTON, bouem hunc, licet adultus ſit, vitulo

quinque ſeptimanarum maiorem non eſſe, et cornua quinque pollices tresque lineas longa, in anteriore dorſi parte gibbum, quatuor pollices cum dimidio altum, habere, caeterum bouem ſimilitudine referre, crura tamen eius minora et aures longiores eſſe.

p. 444. *Tapir* ſeu *L'Anta*, animal Americanum, magnitudine paruae vaccae et omnium animalium Americae maximum eſt. Vocatur a Braſilienſibus *Tapiierete*, a Luſitanis *Anta*. Neque cornubus neque cauda inſtructum, crura breuia corpusque arcuatum, vt porcus, habet. Caput eius craſſum et roſtrum longum eſt. In qualibet maxilla dentes inciſiui decem totidemque molares reperiuntur. Animal noctu tantum e locis paluſtribus, quae inhabitat, egreditur, frequentiusque in aqua, quam in terra, commoratur. Plantis et radicibus veſcitur ac dentibus ad ſe defendendum non vtitur. Animal manſuetum et timidum eſt omniaque pericula fugit. Non feſtinanter currit, bene tamen natat et plerumque gregatim incedit. Corium eius tantae tenacitatis eſt, vt globulo ex ſclopeto expulſo reſiſtat. Caro ab Indianis quidem comeditur, ſed ingrati eſt ſaporis.

II.

Naturgeſchichte des Mineralreichs mit beſonderer Anwendung auf Thüringen, herausgegeben von D. IOH. WILHELM BAUMER, *Churfürſtl. Maynziſch Rath, der Acad. der Wiſſenſchaften, Medic. und Philoſ. Facultät zu Erfurt Beyſitzer, der Anatomie, ausübenden Arzneywiſſenſchaft und Naturlehre Profeſſor. Mit Kupfern. Gotha, verlegts Joh. Chriſtian Dietrich.* 1763. 8. Alph. 1. pl. 11. tab. aen. 11.

h. e.

Hiſtoria naturalis regni mineralis, Thuringiae inprimis inſeruiens. Auctore Cl. IOH. GUILIELMO BAUMER. etc.

Nouem ſunt partes, quae librum hunc conſtituunt. Prima de igne ſubterraneo, rebus inflammabilibus et aere; ſecunda de aqua; tertia de ſalibus; quarta de terris; quinta de lapidibus; ſexta de accidentali lapidum forma et petrefactis; ſeptima de mineris et metallis; octaua de ſemimetallis eorumque mineris; nona demum de montibus agit. Ex his generaliora quaedam adducere liceat. De igne ſubterraneo Noſter agens ignis, caloris, luminis, flammae et incandeſcentiae rationem et pyritarum exaeſtuationem inſimulque montium igniuomorum et terrae motuum cauſſam exponit. Ad inflammabilia corpora naphtham, petroleum, maltham, ſeuum minerale, balſamum minerale, ambram, ſuccinum, gummi copal, quod a ſucco indurato plantae, Rhus dictae, itidem Copal dicto, diſtinguit, porro aſphal- p. 11.

tum, gagaten, lithantraces, lignum foſſile ſeu bituminoſum, ceſpitem bituminoſum, terras bituminoſas, terram vmbriam, ſulphur natiuum et pyriten refert. Aerem ſubterraneum perpendens, iſtum variis vaporibus acidis, arſenicalibus mixtisque repletum et noxas inſignes inferre, et vtilitate quoque
p. 54. nequaquam deſtitutum eſſe, monet. Aquas in inſipidas et ſapidas diſtinguit; ad priores pluuialem et niueam, fontanam, fluuialem, aquas petrefacientes; ad poſteriores thermas, aquam alcalinam, amaram ſeu natroſam, muriaticam ſeu ſalſam, aluminoſam, martialem, ſulphuream, bituminoſam et aeroſam refert, inſimulque de motu aquae marinae
p. 110. agit. Salia in acida, alcalina, media et ſtyptica diui-
p. 136. dit. Terrarum quinque claſſes conſtituit et primo de calcareis, poſtea de gypſeis, tum de argilloſis, porro de vitreſcibilibus, tandem de compoſitis agit. Ad calcareas cretam, terram tophaceam et lac lunae; ad gypſeas nihil album foſſile; ad argillaceas argillam figulorum, terram porcellanam, molybdaenam et terras micaceas; ad vitreſcibiles arenam et terram tripolitanam; ad terras compoſitas lutum commune, margam, humum atram, arenam volatilem, terram ruralem, terras bolares, lithomargam
p. 167. variasque terras metallicas et veneratas refert. Lapides eadem ratione, vt terras, in calcareos, gypſeos, argillaceos, vitreſcibiles et compoſitos diuidit. Calcareis lapidem calcareum vulgarem, lapidem ſuillum, ſchiſtum calcareum, lapidem armenium, marmora, cretam, tophum, ſtalactitem, oolithos et piſolithos, oſteocollam et ſpatum calcareum; gypſeis lapidem gypſeum vulgarem, alabaſtrum, ſpathum gypſeum, glaciem Mariae ſeu lapidem ſpecularem, inolithum et litheoſphorum ſeu lapidem Bononienſem adnumerat. Inter argillaceos ſmectitem, rubricam, lapidem ollarem ſeu lebetum, ſteati-

ten,

ten, lapidem ſerpentinum, lapidem nephriticum, talcum, amiantum, aſbeſtum, alutam montanam, micam, argyrolithum ſeu vitrum ruthenicum, pro aphroſelenite non habendum, molybdaenam, ſchiſtum argilloſum, ſchiſtum friabilem, lapidem lydium et baſalten nominat. Vitreſcibilibus gemmas, adamantem nimirum, rubinum, ſapphirum, topaſium, ſmaragdum, chryſolithum, amethyſtum, hyacinthum, beryllum, opalum, turmalinum, granatum; reliquis vitreſcibilibus quarzum, cryſtallum montanam, quarzi colorati ſpecies, nonnullas ſpati ſpecies, ſilices, lapidem ſabuloſum, lapidem corneum, achaten, carneolum, corallachaten, chalcedonium, onychium, pyromachum, jaſpidem, lapidem lazuli, zeoliten et pumicem accenſet. Ad lapides compoſitos margoden, ſchiſtos margaceos, ſpatum vitreſcibile, lapides lutoſos, ſuber montanum, graniten, ſaxum, kneuſum, magneſiam vitriariorum, pſeudogalenam, lapides metalliferos et varia lapidum aggregata refert. Vltimo de litho- p. 273. morphis et petrefactis agit, atque haec in zoolithos, zoophytholithos et phytholithos diſtinguit. Inter zoolithos anthropoliti et theriolithi conſiderantur, hique rurſus in tetrapodolithos, ornitholithos, entomolithos, ichthyolithos, amphibiolithos et oſtracodermatolithos diuiduntur. His expoſitis ad mi- p. 364. neras et metalla progreditur Noſter, primoque de ſubſtantiis mineraliſantibus, matricibus, ortu et partibus conſtitutiuis metallorum, montibus metallicis et ſtratis mineralium agit. Poſthac metalla primoque aurum et platinam conſiderat. Ad mineras argenti, quod interdum natiuum reperitur, mineram argenti vitream, mineram argenti corneam, mineram argenti rubram, mineram argenti albam, argentum ferro et arſenico ſulphurato mineraliſatum (*weiſs Erz*) mineram argenti nigram, mine-

ram argenti griſeam et mineram argenti antimonialem capillarem refert. Mineris cupri, quod etiam interdum natiuum occurrit, mineram cupri vitream, mineram cupri rubram, mineram cupri griſeam, mineram cupri fuluam, lapidem lazuli, malachiten, mineram cupri nigram, chalcopyriten et mineram arſenici ex flauo rubram, accenſet. Stanni mineris, quod nunquam natiuum, et ſemper ferro nec aliis metallis mineraliſatum reperitur, cryſtallos minerales ſtanni, mineram cryſtallorum ſtanni, lapidem ſtanniferum, lapidem ſtanniferum ſpathaceum, et ſtannum calciforme adnumerat. Mineris plumbi, quod nunquam natiuum occurrit, plumbum argento ſulphurato mineraliſatum ſeu galenam, plumbum antimonio et argento ſulphurato mineraliſatum, mineram ſaturni nigram, quae deſtructa galena eſt, plumbum arſenico mineraliſatum ſeu mineram plumbi ſpathaceam, mineram plumbi viridem, mineram plumbi griſeam et ceruſſam natiuam accenſet. De ferro cum aliis notat, id vel in forma lapidum vel in forma minerarum reperiri. Ad mineras ferri lapidem ferri vulgarem, magnetem, mineram ferri albam, flauam, gryſeam, nigram, rubram, coeruleſcentem et virideſcentem, haematiten, mineram martis paluſtrem, ochram martis, micam ferream, ſmiritem, ſpumam lupi, ſchoerl, pſeudogalenam, pyriten album, cementum martiale et calcem martialem refert. Mineris mercurii, qui interdum natiuus, virgineus dictus, occurrit, cinnabarim natiuam adnumerat, eam autem mineram mercurii, quae ab aliis mercurius ſulphurato cupro mineraliſatus nuncupatur, cinnabarim cupro
p. 457. mineraliſatam vocat. Conſideratis metallis ad ſemimetalla progreditur Noſter, et primo de biſmutho agit. Hoc nunquam mineraliſatum occurrere cum aliis aſſerit, ſi tamen cum aliis mineralibus coniun-

iunctum reperiatur, ſubſtantias has mineras bismuthi vocari, monet. Inter has bismuthum ſulphure mineraliſatum, bismuthum ferro et ſulphure mineraliſatum, mineram bismuthi cineream, mineram bismuthi verſicolorem et florem bismuthi nominat. Ad mineras zinci, quod ſub forma calcis natiuum occurrit, lapis calaminaris, ſterile nigrum ſeu pſeudogalena et vitriolum zinci refertur. Mineris antimonii, quod etiam natiuum occurrit, minera antimonii ſolida et ſtriata ſeu antimonium ſulphure mineraliſatum, minera antimonii ſolaris ſeu antimonium auripigmento mineraliſatum et flores antimonii accenſentur. Mineris arſenici, quod in forma calcis cryſtallina et ſolida reperitur, variae cobalti ſpecies, auripigmentum et ſandaraca natiua ſeu arſenicum ſulphure mineraliſatum, arſenicum ferro ſulphurato mineraliſatum ſeu pyrites albus variaeque terrae arſenicales adnumerantur. Ad cobalti mineras minera cobalti cinerea ſeu cobaltum ferro et arſenico mineraliſatum, cobaltum ferro ſulphurato mineraliſatum, cobaltum ferro ſulphurato et arſenicato mineraliſatum, minera cobalti vitrea, terrae cobalti, flos cobalti et ochra cobalti ſeu minera cobalti calciformis calce arſenici mixta referuntur. Tandem de montibus agit Cl. Auctor, et primo p. 481.
montes originarios, deinde montes ex ſtratis ſibi inuicem impoſitis conſtantes, tandem montes accidentales conſiderat, atque ſimul oſtendit, qua ratione montes diiudicandi ſint, et quamnam vtilitatem afferre ſoleant.

III.

Parallèle de la petite vérole naturelle, avec l'artificielle, ou inoculée, avec un Traité intermediaire de la petite vérole, fauſſe, volante, ou adultérine. Par M. DE BAUX, Médecin aggregé au Collége de Médecine de Marſeille. Avignon. 1761. 8. pag. 129.

i. e.

Comparatio variolarum naturalium cum variolis artificialibus. Inſerta eſt diſſertatio de variolis ſpuriis. Auctore Cl. DE BAUX.

In tria capita tota haec tractatio a Cl. Auctore diuiſa eſt. Primo *hiſtoria variolarum* et *methodi eis medendi* exponuntur; commendatur autem a Noſtro potiſſimum illa methodus, quam antiphlogiſticam
p. 49. dicunt. Alterum caput *de variolis* ſic dictis *ſpuriis* inſcribitur, qui morbus ſaepius a medicis Gallicis cum veris variolis confundi ſolet. In tertio tandem capite ad *variolas artificiales* commendandas quinque potiſſimum argumentis Noſter vtitur. Primum eſt, praeparationem ad inoculationem non taediofam ſed iucundam eſſe, atque 2) ad ſanitatem in vniuerſum conſeruandam quam maxime prodeſſe; 3) ipſam operationem, qua varioloſum pus inſeritur, nullum plane dolorem excitare; 4) morbum varioloſum, inoculatione excitatum, nulla fere incommoda comitari, et tandem 5) variolas artificiales minime eſſe periculoſas, ſi modo inoculatio non temere, ſed debita cautione inſtituatur. Ad comprobandum hoc Cl. Autor catalogum decem et ſeptem hominum addit, in quibus ipſe inoculationem inſtituit. Ex his in femina vnius et viginti annorum inoculatio leuia tantum quaedam ſymptomata,

in

in duobus autem pueris nullum plane effectum produxit.

IV.

Diſſertation ſur la petite verole et l'inoculation. a Londres et ſe trouve a Paris chès Claud. J. B. Bauche. 1763. in 12. pag. 91.

i. e.

Diſſertatio de variolis earumque inoculatione.

Haec eſt altera editio *) huius libelli, cuius Auctor eſt Cl. PETRVS ABRAHAM PAJON DES MONCETS, Membrum Facultatis medicae Pariſienſis. Diuidit vero ille hanc tractationem in duas partes, in quarum prima conatur demonſtrare, variolas per ſe non periculoſas eſſe, ſed a nimio metu aegrotorum, vel a ſuperueniente morbo habituali aut accidentali, noxios tantum earum effectus produci; metum quippe imminuere tranſpirationem et turbare naturam in expulſione materiae varioloſae: quare pueros et ruſticos, qui variolas haud horreant, plerumque ab illis facilius ſanari; eſſe variolas criſin benignam ſalutarem et perfectam, neque hunc morbum a contagio, ſed a quadam epidemica aëris diſpoſitione oriri. Malignum eſſe variolarum morbum, pariter Cl. DES MONCETS negat. Nam, ſi malignae fiant variolae, hoc oriri credit ab aliis morbis et cauſis, quae tranſpirationem imminuant, reſorptionem puris adiuuent, et ita humores corrumpant. Nec concedit in regionibus calidioribus variolas periculoſiores eſſe. Quare autem veteres variolarum non meminerint, hanc putat eſſe cauſam, quod illas pro morbo minus graui habuerunt

*) Prior prodiit 1758.

runt attentione vix digno. Cum vero exemplis conſtet, variolas maximam in regionibus calidioribus cladem excitaſſe, Auctor aſſerit, illum non variolarum morbum, ſed peſtem fuiſſe, quae tantum ſpeciem variolarum mentita ſit. Symptomata, quae in aegris variolis laborantibus obſeruantur, morbo huic ex Auctoris ſententia non propria ſunt, ſed vel ex complicatione variorum aliorum morborum, vel ex tranſpiratione impedita oriuntur.

p. 61 In altera tractationis huius parte Cl. Auctor remedia proponit, quibus minui poſſit periculum, quod plerumque per variolas formae ac vultus pulchritudini imminere videtur. Aſſerit, pus varioloſum a nullo alio pure differre, et quemlibet humorem putrefactum, ſi inoculatione in aliud corpus defertur, euolutionis materiae varioloſae cauſam exiſtere poſſe, et hinc materiam varioloſam minime in pure contentam eſſe, etſi pus variolas producat. Tunc modum, quo puſtulae formantur, deſcribit et remedia, quibus nonnulli faciei pulchritudinem conſeruare ſtudent, dum ſcilicet materiam ad pedes deriuare annituntur, reiicit; nam fermentationem neceſſariam maxime turbari, et materiam morbi eorum intempeſtiuo uſu facile ad viſcera conuerti. Suadet potius, vt puſtulae, cum primum eruptio facta eſt, aperiantur, exſiccatioque earum non ſoli naturae relinquatur, ſed potius medicamentis exſiccantibus adiuuetur. Quod vt confirmet conſilium, iubet nos meminiſſe, profundiores cicatrices variolarum ortum trahere ex pure nimis diu ſub cuticula reſiduo. Neque veſicatoria, partibus capiti vicinis applicata, ſine fructu adhibenda eſſe putat.

V. Ob-

V.

Obſervation ſur la petite verole naturelle et artificielle. a la Haye et ſe trouve à Paris chès P. Fr. Didot. 1763. in 12. pag. 40.

i. e.

Obſeruationes ſuper variolis naturalibus et artificialibus.

Auctorem huius opuſculi dicunt eſſe Cl. MICH. LVDOV. VERNAGE, Doct. Facult. med. Pariſ. Ab initio variolarum morbum in genere, poſtea illam medendi methodum, quam optimam eſſe ipſe expertus eſt, deſcribit. Optimum vero remedium, quo damno a variolis metuendo facillime poſſit occurri, potiſſimum inoculationem eſſe aſſerit. p. 28. Conqueritur, nec vt putamus ſine cauſſa, de negligentia et nimia leuitate, qua Galli inoculationem adminiſtrant. Exprobrat inoculatoribus porro hoc, quod parum ſolliciti ſint in cauendo contagii progreſſu, quo fieri ſoleat, vt aegrotorum numerus quam maxime augeatur. Suadet, vt noſocomia erigantur, et aegroti, quantum fieri poſſit, a reliquorum hominum commercio ſecludantur. Videtur autem nobis in animo potiſſimum habuiſſe Cl. GATTI, celeberrimum illum inoculatorem, quamquam haud nominatim appellauit. In qua coniectura confirmati ſumus eo, quod Cl. GATTI ſe ſcripto aliquo inferius commemorando contra auctorem defenderit. Putat porro Cl. VERNAGE, vim vehementiſſimam veſicatoriorum, in initio morbi varioloſi applicatorum, parum numerum puſtularum erumpendarum diminuere, neque confluentes variolas in diſcretas mutare, aut ſuppurationem puſtularum cohibere. Deſcribit tandem methodum praeparationis ad inoculationem, et infantes

fantes ante dentitionem inoculari diſſuadet. Certiſſimum indicium, ex quo cognoſci poſſit, an vere fuerint variolae inoculatione ſuſceptae, in eo poſitum eſſe ait, ſi videamus, per pus, ex tali aegroto deſumtum, iterum variolas in alio excitari.

VI.

Reponſe a une des principales objections, qu'on oppoſe maintenant aux Partiſans de l'inoculation. (*ſ. l.*) 1763. in 12. pag. 12.

i. e.

Reſponſio ad praecipuam quandam dubitationem, quae hoc tempore ſolet maxime opponi inoculationis defenſoribus.

Eſt huius opuſculi auctor Ill. Eques DE CHASTELLUX, Praefectus legionis Aquitanicae, ſtrenuus inoculationis, quam ipſe expertus eſt, defenſor. Aliud enim ſcriptum, in quo inoculationis cauſam contra Cl. RAST defendit, iam a nobis indicatum eſt *). Dubium vero, ad quod Ill. DE CHASTELLUX reſpondere ſtudet, eſt, inoculationibus Lutetiae Pariſiorum inſtitutis, numerum aegrotorum variolis laborantium, in hac vrbe maxime auctum fuiſſe.

VII. Avis

*) vid. Comment. Volum. huius Part. I. p. 56.

VII.

Avis ſur l'inoculation de la petite verole. a Paris, chès Didot le jeune 1763. in 12. pag. 31.

i. e.

Quaedam de inoculatione variolarum.

Auctor huius libelli occultare nomen ſuum ficto nomine CANDIDE voluit. Eſt autem ille Cl. LVDOV. PETR. LE HOC, Doct. Facult. med Pariſ. et Medicus Noſocomii magni, quod *l'Hotel de Dieu* dicitur. Tractat autem ſeptem ſequentes in hoc opuſculo quaeſtiones, et ſaepe breuiſſimis tantum ad eas reſpondet: 1) *Suntne variolae morbus contagioſus?* Affirmat. 2) *Poteſtne quidam bis veris variolis laborare?* Concedit. 3) *Num tutos nos praeſtent variolae artificiales a veris?* Negat. 4) *An in periculum vitae artificiales variolae homines adducant?* Affirmat. 5) *Poteſtne inoculatio aliorum quoque morborum, praeter variolas, morbi cauſa eſſe?* Affirmat. 6) *An concedenda ſit, aut toleranda modo inoculatio?* Neutrum concedit. Nihil enim iniuſtius eſſe putat, quam ſub ſpecie praecauendi morbi excitare morbum, de quo conſtare non poſſit, vtrum ille nos aggreſſurus ſit, nec ne? Multi enim variolis per totam vitam non laborant, et ex iis, quos hic morbus inuadit, vix viceſima tantum pars vitae iacturam facit, et ne hi quidem omnes variolarum culpa pereunt, ſed aliis, qui accedunt, morbis. 7) *An in quaeſtione de inoculationis praeſtantia, ratio ſit habenda numeri aut dignitatis eorum, qui vel ſibi, vel ſuis variolas inoculari paſſi ſunt?* Quod ei ſecus videtur.

In vniuerſum Noſter iniquius de variolarum inoculatione ſentire videtur, etſi plurima, quae aduerſari putat, non rem ipſam attingere, ſed eorum

potius

potius incuriam ſpectare videntur, qui in hac re negligentius verſantur. Id tandem Noſter ſub fine libelli impenſius rogat, vt, etiamſi conceſſerit fortaſſe inoculationem Magiſtratus ſupremus, iubeat tamen, non intra ſpatium trium horarum ab vrbe fieri, et qui eam paſſi ſint, reduces in vrbem, a commercio cum aliis per quadraginta dies arceri.

VIII.

L'inoculation de la petite verole renvoyée a Londres. Par M. *** Docteur en Medecine etc. a la Haye. 1764. in 12. pag. 118.

i. e.

Inoculatio Londino reddita.

Hoc opuſculum eſt idem illud, quod modo indicauimus, ſed auctius. Ex iis vero, quae Cl. LE HOC in altera hac editione addidit, ſequentia
p. 8. annotaſſe ſufficiat. Aſſerit, ſe multos aegrotos vidiſſe variolis veris altera vice iterum laborantes,
p. 18. inter quos duos filios ſuos refert. Inſerta eſt porro epiſtola Cl. LE CAT ad Cl. POUTEAU, in qua hiſtoria aegri continetur, qui antea iam inoculationem paſſus, variolis inde excitatis feliciter ſuperatis, iterum per contagium naturalibus variolis infectus eſt. Praeter ſuperiores quaeſtiones, duas alias Cl. Auctor addidit, quarum prima disquirit: *in quantum fides poſſit haberi calculis inſeruientibus inoculationi, ab earum defenſoribus propoſitis*? Subſiſtit potiſſimum in examinandis Noſocomii variolarum (*Small Pox Hoſpital*) Londinenſis catalogis, in quibus numeri eorum referuntur, qui aut naturalibus, aut artificialibus variolis laborauerint, et ſanati ſint. Accuſat Londinenſes, quod videantur eos, qui ſint iniquiſſima valetudine, variolis naturalibus permit-

permittere, qui vero feliciōre fruantur, eos ad inoculationem eligere, quare ex indicibus eorum, nullum argumentum pro inoculatione deſumi poſſit. Tandem quaerit: *num penitus variolae extingui poſſint aut diminui?* quod affirmat.

IX.

L'inoculation terraſſée par le bon ſens. 1763. in 12. pag. 20.

i. e.

Inoculatio ratione victa.

Quemadmodum in vniuerſum diffiteri haud poſſumus, inter numerum ſatis inſignem ſcriptorum Gallicorum, de inoculatione, a Nobis commemoratorum aut poſthaec indicandorum, non pauca eſſe, quae memoria et attentione noſtra vix digna ſint; ita etiam de hoc libello ſentiendum videtur, quippe qui nihil niſi trita et vulgaria argumenta contra inoculationem continet, quae, cum ſine ordine et delectu permixta ſint, non optimam de auctoris ingenio opinionem nobis afferunt.

X.

Recherches ſur la nature de l'inoculation de la petite verole. Par M. ROBERT, Docteur Regent en la Faculté de Medecine de l'Univerſité de Paris. a la Haye. 1763. in 12. pag. 182.

i. e.

Diſquiſitio de natura et inoculatione variolarum, Auctore Cl. ROBERT.

Maxima pars rerum, quae in hoc opuſculo continentur, ad variolas in vniuerſum ſpectat. Totum vero libellum Cl. ROBERT in decem capita diuiſit.

diuiſit. Primo capite docet, variolarum germen aut ſtamen innatum nullum eſſe, neque tale ſtamen variolarum cauſſam eſſe poſſe. In duobus ſequentibus capitibus de conſenſu inter omnes partes corporis humani vniuerſali, et de mutuo conſenſu inter duo organa in ſpecie, v. c. inter mammas et vterum, agit, talemque harmoniam eſſe nonnullis obſeruationibus practicis omni attentione dignis confirmat. Quarto capite Noſter de conſenſu actionum viſcerum abdominalium cum reliquis corporis humani partibus exponit, et quinto capite horum viſcerum functiones turbatas, vt cauſam communem omnium morborum, perpendit. Conſenſum vero viſcerum abdominalium cum reliquis partibus, quae corpus noſtrum componunt, explicare annititur per telam celluloſam, quae per totum corpus diſtributa vbique inter ſe communicat, et quam ex neruis conſtare ideoque ſentire poſſe credit. Generalioribus tandem his praemiſſis, ſexto capite ad variolas in ſpecie accedit, et de earum natura cauſisque hypotheſin ſuam proponit. Scilicet putat, variolas eſſe effectum ſalutaris cuiusdam operationis, aut ſingularis ſpasmodici motus viſcerum abdominalium, quo ſe a morboſa quadam materia liberant. Materiam enim, quae actionem eorum turbauit, per conſenſum horum viſcerum cum tela celluloſa ſubcutanea, mutuoque niſu et reniſu harum partium, ad corporis ſuperficiem propellunt. Cauſam autem variolarum in primis viis haerere, Cl. ROBERT ex horrore, nauſea et vomitu probare vult, quae ſymptomata, ante eruptionem variolarum adeo moleſta, hac facta, iterum ceſſant. Septimo capite Cl. Auctor rationem, cur benignae ſiue diſcretae et malignae ſiue confluentes variolae oriantur, ita explicare tentat, vt doceat, nimiam materiae morboſae copiam motumque

tumque turbatum et irregularem, cauſſam eſſe primariam et eſſentialem variolarum confluentium: conferre autem etiam ad hanc ſpeciem producendam actionem et diſpoſitionem aëris, metumque aegrotantium. Pus in inoculatione inſitum fit cauſſa variolarum, quia telam celluloſam ſubcutaneam ad actionem, ſimulque viſcera abdominalia ad reactionem excitat. Octauo capite, quod de methodo medendi variolis inſcribitur, antiphlogiſticam potiſſimum Noſter commendat; ne vero viſcera nimium debilitentur, aegrum etiam nutrire ſuadet. Omnia, quae neruos irritant, vt purgantia et huius generis alia, reiicit, ne, motu ſalutari naturae inde turbato, confluentes variolae oriantur. Nono tandem capite inſitionem variolarum eatenus commendat, quatenus ea naturam ad materiem morboſam per cutem eiiciendam determinet, aegrotosque a metu, cuius adeo nociui effectus in varioloſis ſunt, liberet. Vltimo capite docet, criſi imperfecta facta, et ſalutari naturae operatione motuque turbato, variolas ſecunda quoque vice aegrum inuadere poſſe, cum reliquiae morbi poſt criſin etiam recidiuae cauſſa eſſe poſſint.

XI.

Examen de l'inoculation par un Medecin de la Faculté de Paris. a Londres et ſe trouve a Paris chès Deſſaint iun. in 12. pag. 340.

i. e.

Examen inoculationis. Auctore Medico Pariſino.

Auctor huius opuſculi eſt Cl. D'ORIGNY, Doct. Med. qui peculiari quadam ratione inoculationem impugnare ſuſtinet. Adſtringi enim vult iudicium de libertate inoculandi publica lege con-

 ceſſa

ceſſa tribus hiſce conditionibus. Primo, ſi ſine periculo ſit in iis, qui eandem patiuntur, cum ratione morbi ipſius, tum ratione eorum, quae ſequantur; ſecundo ſi conſtet, eos, qui ſemel experti ſint hunc morbum, denuo eum non timere; tandem ſi contagium per inoculationem haud diuulgetur. Quod cum vel ab acerrimis inoculationis defenſoribus indubitato affirmari haud poſſit, Cl. Auctor colligit, eam non concedendam eſſe.

XII.

Lettre de M. GATTI Med. Conſult. du Roi et Profeſſeur de Medecine en l'Univerſité de Piſe, a M. ROUX Doct. Regent de la Faculté de Medicine de Paris. Paris 1763. in 12. p. 36.

i. e.

Literae Cl. GATTI ad Cl. ROUX.

Cl. GATTI, celeberrimus ille inoculator, catalogum eorum, in quibus variolas per inſitionem Pariſiis excitauit, variasque adnotationes communicat, quibus methodum ſuam illuſtrat. Numerus vero eorum, in quibus inoculationem adminiſtrauit, ad centenarium adſcendit, quorum maxima pars eſt ex nobilioribus. De methodo ipſa ſequentia adnotaſſe ſufficiat. Magna cum cura dicit ſolere ſe examinare eos, qui inoculari ab ipſo poſcunt; in quibus ſi talem corporis diſpoſitionem non repererit, quali opus ſit ad variolas benignas producendas, id agit, vt eandem ipſis conciliet; qui ita diſpoſiti ſunt, nulla praeparatione egent. In vniuerſum variolas artificiales in corpore bene ad easdem diſpoſito leuiſſimi momenti morbum eſſe putat. In inoculatione adminiſtranda ſimpliciſſimam rationem

tionem ſequitur. Ad inſitionem adhibet vel pus recens, vel internam ſuperficiem cruſtarum in pulverem redactam. Impoſſibile eſſe putat, materiam varioloſam vlla arte ita mutari poſſe, vt variolae inde excitatae pauciores benigniorisque indolis ſint, negatque, ſe peculiari artificio id efficere poſſe aut effeciſſe, in cuius rei ſuſpicionem apud multos Cl. GATTI venerat. Ex eodem pure diuerſum in diuerſis corporibus pus pro varia corporum natura oritur. Quos inoculauit, ii leuiores morbi impetus experti ſunt, in multis plane nullae puſtulae prouenerunt. Praecipuam curam in eo ponendam dicit, vt caueatur, ne alius morbus inuadat aegrotantem, praeter variolas. In multis, in quibus nullae puſtulae eruperant, repetita inoculatio nullum tamen effectum habuit. Praeter glandulam quandam induratam et eryſipelas, nullum alium morbum in inoculatis ſuis Cl. GATTI animaduertit, cuius cauſſa in variolis eſſe potuerit. Duo, in quibus inoculatio ſine fructu fuit, poſtea naturali contagio variolis inuadebantur.

XIII.

Reflexions ſur les prejugés, qui s'oppoſent aux progrés et a la perfection de l'inoculation. Par Mr. GATTI. Bruxelles et ſe trouve a Paris chez Muſier. in 8. pag. 239.

i. e.

Sententia de opinionibus praeconceptis, aduerſis inoculationis progreſſui et perfectioni. Auctore Cl. GATTI.

Diuidit Cl. GATTI opiniones inoculationi contrarias, quae hoc tempore inualuerunt, in quatuor claſſes; *de natura variolarum, de methodo*

inoculandi, *de contagio variolarum artificialium*, *de reditu variolarum poſt inoculationem.* De ſingulis ſeparatim dicemus.

In primo capite Cl. Auctor de iis medicis conqueritur, qui, in declaranda varioloſi morbi hiſtoria, non eandem cum SYDENHAMO, BOERHAAVIO aliisque ſummis in arte ſalutari viris, rationem ingrediuntur, nec naturae viam eaque omnia, quae in aegro eveniunt, ſollicite obſeruant, ſed potius veritatem negligunt, fictisque de *fermentatione*, *ebullitione* aut *efferueſcentia aliqua* hypotheſibus inhaerent. Haec vero in variolis non locum habere, Cl. GATTI pluribus argumentis confirmat. In vniuerſum autem variolae naturales non ſponte, ſed ſemper per contagium oriuntur. Quod vt probet Noſter, effectum veneni varioloſi inſiti cum effectu aliorum contagiorum, v. c. peſtilentiali et venereo, comparat. Non quidem negat, eas aliquando ſponte ortas eſſe, ſed ita, vti nunc inter noſtros inueniuntur, ſemper ex contagio prouenire contendit. Subtilitas vero varioloſae materiae impedit, quo minus viam, qua contagium in corpus irrepit, inueſtigare poſſimus.

p. 51. In altero capite primum de praeiudiciis ratione praeparationis ad inoculationem Cl. Auctor diſputat. Praeparationem vero appellat eam curam, qua corpus ita diſponitur, vt aptum fiat ad variolas ſine vllo periculo ſuſcipiendas. Multi putant, praecipuam praeparantis operam eo eſſe dirigendam, vt, quantum fieri poſſit, inflammatio puſtularum impediatur. Cum autem in variolis feliciter ſuperandis ſemper certus inflammationis gradus neceſſarius ſit, hoc iure a Cl. GATTI negatur. Venaeſectio non tantopere, ac multi putant, variolis intra iuſtos limites coërcendis conducit, idemque de purgantibus inprimis fortioribus valet. Omnino

autem

autem non adeo temere, vt multi faciunt, regulae nimis vniuerſales conſtituendae ſunt in re, quae in ſingulis corporibus variat. Regulae enim iſtae non ſufficiunt, ſaepe nocent, et maximam partem magis ex hypotheſibus fictis, quam ex experientia ductae ſunt. Nec e contrario damnandi ſunt ii, qui, vbi neceſſitas requirit, regulas iſtas vniuerſales negligunt. In iſtis enim regionibus, in quibus inoculatio feliciſſimos ſemper ſucceſſus habet, vt in orientalibus, vix vlla praeparatio inſtituitur. Signa, quae felicem inoculationis euentum promittunt, ſunt ſpiritus non male olens (*haleine douce*) et cutis mollis, cuius parua vulnera facile ſanantur. In quibus autem haec ſigna deficiunt, ii praeparatione egent.

In ipſa inoculationis operatione praecipua cura eo dirigenda eſt, vt pus ſumatur ex corpore nulli alii contagioſo morbo obnoxio, neque adeo debilitatum ſit. Quantitas puſtularum non a quantitate puris pendet. Debilitari autem poſſe, putat Noſter, vim veneni varioloſi, ſi ab altero corpore, inoculationem experto, ad alterum transferatur, quoniam et tempore et propagatione magis magisque minuatur. Quod vt probet, ad exempla aliorum contagiorum prouocat. Dum autem de methodo variolas curandi diſputat, magnam partem eorum, qui variolis opprimuntur, medicorum culpa interire ait. Hinc non tantam cladem variolae inter ruſticos edunt, quantam inter nobiliores, qui medicorum praeceptis adſtricti ſunt. Optat, vt medicorum optimorum numerus ex multis iisque diligenter factis obſeruationibus codicem quendam legum conſtituat, in quibus modus variolas praecipue artificiales curandi praeſcribatur. Hunc codicem aegrotorumque ſimul curam tradi et commendari vult mulieribus, quarum opera melius profecto

conſultum foret aegrotantibus, quam medicorum, artis parum peritorum.

p. 105. In tertio capite potiſſimum demonſtrare annititur, per inoculationes Lutetiae Pariſiorum inſtitutas numerum aegrotorum varioloſorum ibi non auctum fuiſſe, nec commendata ad arctius coërcendam contagii propagationem remedia ſufficere.

p. 159. Quarto capite Cl. GATTI ea, quae nonnulli et Auctor inprimis *obſeruationum de variolis naturalibus et artificialibus*, ſupra a nobis commemoratarum *), de methodo eius obiecerant, refellere ſtudet, tandemque concludit: 1) *variolas, ſi quando redierint, adeo raro redire, vt eius rei nulla habenda ſit ratio.* 2) *Variolas non frequentius poſt inoculationem, quam poſt naturales ſponte redire.* 3) *Variolas non frequentius redire, ſi pauciores puſtulae obſeruatae ſunt, et ſuppuratio vulneris non adeo copioſa, quam vbi contraria euenerunt.* In varioloſis enim omnem ſalutis ſpem in exanthematum paucitate poſitam eſſe, SYDENHAMVS iam aſſeruit. Quapropter Cl. GATTI negat, per copioſiorem vulneris ſuppurationem puſtularum numerum minui, aut materiam varioloſam ad vulnus transferri, et in pure contentam eſſe. Praecipuum commodum, quo variolae artificiales naturalibus praeſtent, eſſe putat in delectu ſubiecti, materiae et loci, cui vulnus infligitur. In eum enim locum, ad quem primum contagium varioloſum peruenit, fortiſſime agit, quare ad pulmones aut ventriculum delatum, funeſtos effectus vt plurimum edit, non metuendos, ſi vulnus brachio infligitur. Tandem principium ponit hoc: *venenum varioloſum, ſi non variolas, nullum alium morbum in corpore noſtro producere.*

XIIII.

*) vid. ſupr. p. 203.

XIIII.

Lettre a Mr. BELLETÊTE, Doyen de la Faculté de Medecine de Paris etc. par Mr. RAZOUX, Docteur en Medecine de l'Univerſité de Montpellier etc. ſur les inoculations faites a Nismes. Nismes chès A. A. Belle. 1764. in 4. pag. 34.

i. e.

Literae ad Cl. BELLETÊTE de inoculationibus Nemauſii factis. Auctore Cl. RAZOUX.

Cum Facultas medica Pariſina a Montispeſſulana narrationem de inoculationibus Nemauſii inſtitutis petiiſſet, Cl. RAZOUX, qui plurimis aegrotis, artificialibus variolis laborantibus, adſtitit, operae pretium eſſe duxit, catalogum eorum, breuemque morbi hiſtoriam publicare. Numerus eorum, quibus intra octo annos variolae inſitae ſunt, continet 78. Ex his nullus interiit, aut iterum naturalibus laborauit, neque vllum exemplum exſtat, alium quendam morbum cum pure introductum fuiſſe. Sub finem Cl. Auctor haec ex hiſtoriis morborum enarratis colligit: *pus recens ſemper puri minus recenti praeferendum eſſe: vim febris plus minusue vehementiorem copioſioris aut parcioris eruptionis ſignum eſſe: ſuppurationem eo minorem eſſe in puſtulis, quo maior eſt in vulneribus et vice verſa: purgationes reiteratas, variolis feliciter ſuperatis, eo magis neceſſarias eſſe, quo grauius venenum varioloſum in ipſo morbo adparuit: ſucceſſum operationis ſuſpectum eſſe, vbi vulnus non ſuppurauit, neque cicatricem indelebilem reliquit: contra certos nos eſſe poſſe de felici operationis ſucceſſu, ſi poſt febrim vulnera ſuppurant, licet vna tamen aut plures puſtulae erupuerint, ſiue pus fuderint,*

nec ne: ſudores in artificialibus variolis ante eruptionem bonum eſſe ſignum: ſaepe duplicem eruptionem, ſpuriam alteram et incompletam, alteram veram et completam obſeruari: febrem ſcarlatinam et eryſipelas non mali ominis in inoculatis eſſe, cum eruptio febrem, ſuppuratio eryſipelas tollat, etc.

XV.

Lettres de M. DE LA CONDAMINE a M. le D. MATY ſur l'Etat preſent de l'inoculation en France. a Paris, chès Prault etc. 1764. in 8. pag. 207.

i. e.

Epiſtolae Cl. DE LA CONDAMINE ad Cl. MATY Med. Doct. de praeſenti ſtatu inoculationis in Gallia.

Cl. DE LA CONDAMINE, celeberrimus ille inoculationis defenſor, in quinque epiſtolis ad Cl. MATY, Socium Societatis Regiae Londinenſis et Cuſtodem Bibliothecae Britannicae, de praeſenti ſtatu inoculationis in Gallia refert. In prima de interdicto inoculationis, quod ſupremus Senatus Galliae d. 8. iun. 1763 ante propoſuerat, quam ſententia certa ab Ordine Medicorum et Theologorum ſummo ferretur. Praemittit breuem inoculationis in Gallia hiſtoriam, deinde id refellit, quod obiectum eſt inoculationi, quodque plurimum valuit ad Senatus ſupremi interdictum, ſcilicet per inoculationem auctum eſſe Lutetiae Pariſiorum contagium variolarum. Praecipuam cauſſam, cur adeo difficulter inoculatio in Gallia progrediatur, dicit eſſe in leuitate animi Gallorum, et in defectu cognitionis felicioris apud exteros eiusdem progreſſus. Nec medicos quidem ab hac accuſatione liberos vult, quorum maximum

maximum numerum vix quidquam praeter inoculationis nomen noſſe contendit.

In ſecunda epiſtola hac in re vlterius declaranda Noſter pergit, rationesque exponit, quibus perſuaſum ipſi ſit, ſententiam Facultatis Medicae et Theologicae cauſſae inoculationis non aduerſam fore. p. 33.

In tertia epiſtola cauſſas narrat, quare iudicium inoculationi aeque fauens a Senatu ſupremo exſpectet. p. 69.

In quarta tandem catalogum eorum ſcriptorum tradit, quae intra anni ſpatium partim ad defendendam partim ad impugnandam inoculationem prodierunt. Quorum cum maxima pars a nobis iam adducta ſit, eorum tantum indicamus nomina, quae nondum ad nos peruenerunt. p. 101.

1) *Commentarius de inoculatione, auctore Ill. Comite* DE LAURAGUAIS *praelectus Acad. Reg. Scient. d. 6. iulii* 1763, in quo inoculatio impugnatur.

2) *Le Conſeil de la raiſon, ou lettre de M.***, de l'Acad. de Danemark a M. E. M. ſur l'inoculation de la petite verole* in 12, pag. 24 i. e. Conſilium rationis, ſiue epiſtola M. *** ad M. E. M. de inoculatione variolarum, quod ſcriptum nihil plane noui continet.

3) *Lettre a M** contre l'inoculation*, *qui combat le Memoire hiſtorique de M.* DE LA CONDAMINE etc. a Nancy in 12. 132 pag. i. e. Epiſtola ad M. contra inoculationem, in qua commentarius hiſtoricus Cl. DE LA CONDAMINE impugnatur.

4) *Diſſert. neutre ſur l'inoculation de la petite verole.* Amſt. 1764. i. e. Diſſertatio de inoculatione variolarum, neutri parti fauens.

5) *Recherches ſur quelques points d'hiſtoire de la medecine, qui peuvent avoir rapport a l'arret de la grande Chambre du Parlement de Paris, concernant l'inocu-*

lation et qui paroiſſent favorables a la tolerance de cette operation. a Liege 1764. in 12. 2 Vol. i. e. Disquiſitiones ſuper nonnullis momentis hiſtoriae medicinae, quae nexum habent cum concluſo ſummi Senatus Pariſienſis de inoculatione, quaeque fauere videntur eidem: multa hic liber inutilia, et quae minime ad inoculationem pertinent, continere dicitur. Auctor eſt Cl. BORDEU, Membrum Facultatis medicae Pariſinae.

6) *Obſervations critiques ſur la lettre de M.* GATTI *a M.* ROUX, *avec un lettre a* IEROME CARRÉ. Amſt. pag. 63. i. e. Obſeruationes criticae in epiſtolam Cl. GATTI ad Cl. ROUX. etc.

p. 157. In quinta epiſtola Cl. DE LA CONDAMINE de iis exponit, quae in conuentubus tribus vltimis Facult. med. Pariſ. ante 15 ſept. 1764 acta fuerunt. Enarrat lites per occaſionem commentarii Cl. L'EPINE motas, qui contra inoculationem, et commentarii Cl. PETIT, qui pro inoculatione ſcripſerat. Hic putat, hanc operationem, extra vrbes maiores tamen, concedendam eſſe. In fine de ſorte ſua Cl. CONDAMINE conqueritur, quod, quamuis communis vtilitatis promouendae in ipſo ſit ſumma cupiditas et ſtudium, tamen a multis peſſime haberetur, ob defenſionem inoculationis optimo animo ſuſceptam.

XVI. Rap-

XVI.

Rapport ſur le Fait de l'Inoculation de la petite verole, lû en preſence de la Faculté de Medecine de Paris, et inprimé par ſon ordre, pour etre communiqué â tous ſes Docteurs, avant qu'elle donne ſur cette queſtion l'avis, que le Parlement lui a demandé par ſon Arrét du 8 Iuin. 1763. a Paris chès F. A. Quillau 1765. in 4. p. 125.

i. e.

Narratio de inoculatione variolarum, praelecta Facultati medicae Pariſinae, iuſſuque eius impreſſa, quo communicetur cum omnibus membris, antequam ſuam diceret ſententiam, quam ab ipſa poſtulauerat ſummus Senatus, d. 8. iunii 1763.

Notum eſt, ſummum Galliae Senatum Facultati medicae Pariſinae in mandatis dediſſe, vt libere ſententiam diceret de inoculatione, eius commodis et incommodis: vtrum conſultum videatur interdicere eam, an permittere, vel ſaltem ferre? et quid ſtatuendum ſit de cautionibus adhibendis, vbi vel feratur vel permittatur inoculatio in iis, qui inoculationi ſubiiciantur? Conſtituit ea propter Facultas medica duodecim viros, quibus commendauit totius cauſſae examen, vt deinde de ea ad Facultatem prius referrent, quam iudicium ſuum palam ederet. Verum inter hos diuiſae erant ſententiae. Sex enim ex iis, ſcilicet Cl. L'EPINE, ASTRUC, BOUVART, BARON, VERDELHAN DES MOLES, et MACQUART contra inoculationem pronunciarunt, quorum eſt haec, quam Lectoribus proponimus, ad Facultatem narratio. Auctor illius eſt Cl.

L'EPINE, qui eam d. 29 m. auguſti, et d. 20, 22 et 24 octobr. 1764 Facultati praelegit. Profitentur autem huius Auctores, ſe legiſſe pleraque ſcripta, quae de inoculatione diuerſis linguis edita ſunt; confirmatos ſe eſſe a reliquis Membris Facultatis; ſcripſiſſe ad celeberrimos medicos et inoculatores exteros pariter ac Gallos, iisque varias de hac re quaeſtiones propoſuiſſe; tandemque diligenter omnia, quae in inoculationibus Pariſiis factis euenerint, adnotaſſe. Ordine vtuntur hoc. Primo loco proponunt argumenta eorum, qui inoculationem defendunt; deinde recenſent obiectiones aduerſariorum, tandemque ſuam de ſingulis ſententiam addunt. Omnia magno teſtimoniorum ex variis ſcriptoribus collectorum numero, literarumque fragmentis probare et confirmare ſtuduerunt. Cum in tanta rerum multitudine et varietate, omnia hoc loco copioſius repetere non poſſimus, ſufficiat argumenta tantum praecipua enarraſſe.

p. 5. et 19. Primum, quo defenſores inoculationis vtuntur, argumentum eſt: variolas naturales adeo lethiferas eſſe, vt vnus fere ſemper ex ſex vel ſeptem, qui iis laborant, et ſi malignae fuerint, modo ex tribus moriatur. Ad hoc reſpondent: periculum variolarum naturalium nimis augeri: minus eſſe eas periculoſas in Gallia, quam in Anglia: ſaepe in noſocomiis ex 40 vel 60 vix vnum interire: in coenobio *St. Cyr* ex 102 vnam tantum periiſſe. Adducitur quoque
p. 111. teſtimonium Ill. VAN SWIETEN, qui in literis ad Facultatem medicam Pariſinam datis profitetur: *paucos perire ex variolis naturalibus, ſi debita adhibeatur cura.*

p. 9. et 23. Alterum argumentum pro inoculatione eſt: neminem aut vix quemquam eſſe, qui per omnem vitam liber ſit a variolarum naturalium periculo. Hoc ſimpli-

ſimpliciter negatur, atque experientiae aduerſari dicitur. Ipſi Arabes, ad quorum auctoritatem non raro inoculationis defenſores prouocant, negant, neceſſario omnes homines variolis inuadi debere. Multis deinde rationibus probare Cl. L'EPINE ſtudet, non omnibus hominibus variolas eſſe metuendas, numerumque eorum, qui nunquam variolis laborant, longe maiorem eſſe in Gallia, quam vulgo creditur. Imo eo procedit, vt dimidiam hominum partem, ſi omnes aetates ſimul ſumantur, ſine variolis e vita diſcedere aſſerat. Narrat, eſſe quoddam coenobium Pariſiis, in quo per ſpatium duorum et ſexaginta annorum vnica tantum monialis variolis laborauerit, quam rem plurium coenobiorum et conuentuum exemplo probatam eſſe confirmat. Addit, eos, in quibus inoculatio ſine fructu inſtituta fuit, minime liberos eſſe a periculo variolarum naturalium. Hinc concludit, rationi contrarium eſſe, periculum ſubire morbi, qui nobis fortaſſe timendus nunquam fuerat, et in quem poſt inoculationem tamen rurſus poſſumus incidere. p. 26.

Contra tertium momentum: neminem plus ſemel variolis affici, Cl. L'EPINE magna teſtimoniorum copia inſurgit. Exempla vero, quae ad refellendum hoc argumentum profert, in quatuor claſſes diuidit. Prima eſt recidiuarum poſt variolas naturales, ſecunda, naturalium poſt artificiales, tertia, artificialium cum eruptione poſt variolas naturales, et quarta tandem, naturalium poſt inſitiones aliquoties et tamen fruſtra ſuſceptas. p. 9. et 31.

Quartum argumentum ita ſe habet: quum in omnibus hominibus germen aliquod variolarum lateat, neceſſario omnia corpora, quibus variolae inſeruntur, eas accipiunt, et ſi quaedam tamen eas inſitione non accipiunt, germine illo carent, ideo- p. 10. et 48.

que

que nunquam experta eſſent variolas, quae omnia, vt quisque ſponte videt, refutari facile poterant.

p. 11. et 52. Quintum defenſorum inoculationis argumentum agit de praeſtantia variolarum artificialium prae naturalibus, ex eo ducenda, quod artificiales praeuideri corpusque ad easdem praeparari poſſit. Hoc Cl. L'EPINE concedi poſſe autumat, modo certum ſit, omnes homines neceſſario variolis naturalibus inuadi, neminem porro ex inoculatione aut eius ſequelis mortem contrahere, tandemque praeparationem tantopere iactatam multum prodeſſe; verum plane excludi ab inoculationis beneficio eos, qui praeparatione maxime opus habent, et inoculandorum delectum magis commodo eſſe inoculatori, quam inoculandis. Omnem tandem praeparationis vſum, ſi recte aeſtimetur, exiguum videri, nec raro eam potius nocere, quam prodeſſe.

p. 12. et 56. Sextum argumentum: fruſtraneum eſſe metum, poſſe vna cum pure, quod ad inſitionem adhibetur, etiam ſtamina aliorum morborum in corpus inferri, certe periculum caueri poſſe, ſi qua eius cauſſa ſubſit. Hoc pari modo et acriter quidem Noſter negat, variaque exempla venerei contagii etc. ſic in corpus introducti adducit. Imo eo vsque delabitur, vt ſuſtineat dicere, inoculationem prorſus eſſe exſtirpandam, quia hominum quorundam malitia poſſit fortaſſe ea vti, ad venenum vna cum pure varioloſo in corpora ingerendum.

p. 13. et 63. Septimum, quod de inoculatione praedicant: liberare eam homines a terrore, quem ſoleant incutere variolae naturales; ita refellit, vt dicat, iſtam quietem animi, qua videantur frui, qui artificioſas admittunt variolas, in mera opinione conſiſtere. Inprimis acriter aduerſus confectaria, quae vulgo ex indicibus noſocomii Londini in vſum eorum, qui variolis laborant, exſtructi ducuntur, pugnat.

Octa-

Octauum argumentum eſt: variolas artificiales multo minus eſſe periculoſas, quam naturales: nullam in iis febrim ſuppuratoriam incendi, neque poſt eas, vti poſt naturales, ophthalmias, vlcera etc. remanere. Ad hoc Noſter reſpondet: naturales ſaepe nullis incommodis ſtipari; contra artificiales ſaepe et mala dicta, et alia propria mala ſequi. p. 13. et 68.

Nonum argumentum, quod hucusque plurimum fecit ad inoculationem promouendam, eſt ſumtum a paucitate eorum, qui artificialibus variolis moriuntur, comparata cum multitudine eorum, quos naturales variolae opprimere ſolent. Reſpondet autem Noſter: ſaepe variolas inoculatione excitatas peſſimae eſſe indolis ac naturae, variolasque artificiales coniunctas eſſe cum grauiſſimis ſymptomatibus, quorum nonnulla artificialibus propria ſunt, vt vlcera, abſceſſus ſub alis etc. omnesque, qui inoculationem adminiſtrauerint, aliquos ex ſuis aegris amiſiſſe. p. 15. et 83.

Decimum tandem argumentum pro inoculatione inde deſumitur, quod artificiales variolae benignae ſint et parum contagioſae. In reſponſione Cl. L'EPINE docet, contagium vniuerſale per variolas inſitas omnino diuulgatum eſſe. p. 16. et 106.

Nouem tandem conſectaria ex exemplis in hac narratione allatis ducuntur, quae, quum ex prioribus facile intelligi poſſint, hic repetere nolumus. Hoc tamen adnotari meretur, Cl. L'EPINE, dum breuiter fata inoculationis colligit, docere, minime hanc methodum ab omnibus populis, vti vulgo iactatur, adſumtam eſſe, ſed in multis regionibus vel nunquam inualuiſſe, vel nunc ſuppreſſam iacere. Porro quam maxime vrget diſſenſum, qui inter inoculatores aut defenſores huius operationis in vniuerſum ratione theoriae et praxeos eius eſt, cum pauca omnino ſint momenta, de quibus conſentiant. p. 110.

tiant. Concluſum, vt et totius huius litis hiſtoriam, iam alio loco cum Lectoribus communicauimus *).

XVII.

Memoire ſur l'inoculation de la petite verole, addreſſé a Meſſ. les Commiſſaires, chargés par la Faculté de Médecine d'examiner les avantages et les déſavantages de cette pratique, en conſéquence de l'Arrêt du Parlement, qui enjoint à la Faculté de donner ſon avis à ſon Sujet. Par M. A. ROUX. Doct. Reg. de la Facult. Membre de l'Acad. de Bourdeaux et de la Societ. d'Agricult. à Amſterdam et ſe trouve a Paris chès P. Fr. Didot. 1765. in 4. p. 26.

i. e.

Commentarius de inoculatione variolarum, miſſus ad Facult. med. Pariſ. etc. Auctore Cl. A. ROUX Doct. Reg. Facult. med. Pariſ.

Quum narratio Cl. L'EPINE, quam modo recenſuimus, in Gallia, ſi non turbas, certe multas rixas et diſputationes mouerit, quibus accuſatus eſt Auctor illius, non modo, quod inter exempla, quae adduxit, falſa multa protulerit, verum etiam teſtimonia, quae ex aliorum ſcriptis et epiſtolis excerpſit, deprauauerit; hic Cl. ROUX ſuae ſententiae quoque, non bona ſatis fide in iſta narratione commemoratae, defenſionem ſuſcepit. Commentarium itaque, quem Facultati medicae tradiderat, hic in lucem edidit, in quo defenſionem inoculationis ſuſce-

*) vid. Vol. XII. P. IV. p. 726.

ſuſcepit. Cuius quidem argumenta partim a malignitate variolarum naturalium, partim a benignitate artificialium petita ſunt, quae exemplis inoculationum nonnullarum, quibus ipſe interfuit, probat. Vſitatas obiectiones, quae eidem ſolent opponi, refutat, ſententiamque tandem ſuam ita proponit: eandem non modo permittendam, ſed omni etiam cura propagandam eſſe. Hinc noſocomia erigere ſuadet, variasque proponit cautelas, quibus minui poſſit periculum contagii, per inoculationem ipſam latius propagati. p. 23.

XVIII.

De inſitione variolarum nonnulla momenta. Progr. inaugurale. Auctore HENRICO AUGUSTO WRISBERG, Doct. Med. Anat. et Art. obſt. Profeſſ. Gotting. 1765. 4. pag. 28. tab. aen. I.

Duo potiſſimum momenta in hoc libello de inſitione variolarum recenſentur. Primo Cl. Auctor de variolis naturalibus veris, quae poſt inſititias fictas acceſſerunt, exponit. B. ROEDERERUS ſcilicet in quinque infantibus anno 1758 Clausthalii inoculationem inſtituit, quos tamen omnes anno 1763 naturales variolae inuadebant. Oſtendit vero Noſter, inoculatione variolas artificiales minime ortas fuiſſe. Vberior autem huius hiſtoriae explanatio et dilucidatio ideo maxime neceſſaria erat, quia inoculationis aduerſarii firmiſſimum contra inoculationis praeſtantiam argumentum inde petebant. Rumore enim huius rei ad exteros delato, hiſtoria de reditu variolarum naturalium poſt inoculationem vt argumentum omnium grauiſſimum fallaciae huius operationis conſiderabatur *). Ex hiſtoria autem p. 1.

*) vid. Rapport ſur le fait de l' inoculation pag. 39. no. 8.

autem inoculationis, a ROEDERERO adminiſtratae, apparet; per inſitionem nullam plane febrim in quinque his infantibus excitatam fuiſſe, die ſeptimo maculas quidem hinc inde adparuiſſe, eas tamen neque eleuatas fuiſſe, neque pure plenas, brachiique vulnera exiguam tantum puris copiam dediſſe.
p. 17. Addit Noſter aliud exemplum variolarum naturalium in puero, in quo olim ROEDERERUS iam inoculationem inſtituerat, quamquam ſine effectu. Subiungit tandem Cl. WRISBERG breuem hiſtoriam motuum, quos inoculatio noſtris temporibus
p. 22. in Gallia dedit. Alterum, quod hoc libello continetur, momentum, eſt deſcriptio duorum inſtrumentorum ad inoculationem aptorum; quorum primo Cl. HOSTY, altero Cl. GATTI vtitur. Illud valde compoſitum, hoc magis ſimplex eſt. Interim videmur in operatione adeo ſimplici omnino iſtis inſtrumentis carere poſſe, cum lanceola aut cultellus ſufficiat.

XIX.

Das Zwiefalter oder Afterjüngferchen beſchrieben von IACOB CHRISTIAN SCHAEFFER *etc. Nebſt einer Kupfertafel mit ausgemahlten Abbildungen. Regensburg in der Montagiſchen Buchhandlung* 1763. 4. plag. 3 ½.

i. e.

Deſcriptio Libelloides, ſeu Libellulae ſpuriae, auctore IACOBO CHRISTIANO SCHAEFFERO: cum icone viuis coloribus picta.

Semper adhuc in diſquiſitione corporum naturalium occupatus Cl. SCHAEFFERUS, denuo nobiscum ſpecimen ſtudii ſui indefeſſi communicat.
Conti-

Continet haec tractatio tria, in quorum primo Auctor figuram inſecti, cuius nullum ſcriptorem mentionem feciſſe adfirmat, tum in genere, tum ſecundum ſingulas eius partes, deſcribit; in altero, quae ad hiſtoriam eius ſpectant, exponit; in tertio tandem comparationem huius inſecti cum aliis inſtituit, quo adpareat, vtrum hoc ad genus quoddam cognitum pertineat, an potius nouum et peculiare genus conſtituat. Eſt autem libelloides haec antennis longiſſimis, pedibus vero breuiſſimis inſtructa. Caput vndique pilis eſt obſitum, in thorace nonnullae deprehenduntur protuberantiae, et in his quaedam puncta lutea, foemellis tantum propria. Corpus ipſum tunc, quando animal non volat, ab alis prorſus obtegitur, et in ſexu maſculino in duas appendiculas breues et incuruatas terminatur. Reperitur animal mox ineunte vere in locis montoſis circa Ratisbonam, nec vnquam procul a montibus illud ſe vidiſſe Noſter adfirmat. Veſcitur aliis inſectis, ſatisque vorax eſt, quamdiu in libertate verſatur; quoniam vero, in hypocauſtum translatum, muſcas et alia inſecta ipſi oblata intacta reliquit, et fame periit, Auctori non contigit, de propagationis negotio quaedam obſeruare. Comparationem tandem huius inſecti cum aliis inſtituens Noſter, putat, hanc libelloidem neque ad papiliones pertinere, cum alae nullis ſquamis imbricatae, nec os proboſcide inſtructum ſit; neque ad claſſem libellularum referri poſſe, cum antennae nimis longae, et abſentia trium illorum oculorum paruorum et ſimplicium, qui libellulis competunt, illud diſſuadeant; neque cum phryganeis, aut hemerobiis coniungendam eſſe, vtpote a quibus ſolis antennis nimis longis differt, et licet in phryganeis antennae quoque longae, et in hemerobiis clauatae eae deprehendantur, in priori tamen inſecto ſetaceae, in poſteriori

vero multo breuiores ſunt, quam vt noſtra libelloides cum vno horum inſectorum poſſet combinari. Itaque Auctor minime dubitat, quin animalculum hoc nouum et peculiare genus conſtituat, illudque ea propter libelloidem dixit, cum ad libellulas proxime accedere videatur.

XX.

Der weichſchaalige Cronen-und Käulenkäfer beſchrieben von IACOB CHRISTIAN SCHAEFFER etc. *Nebſt einer Kupfertafel mit ausgemahlten Abbildungen. Regensburg, in der Montagiſchen Buchhandlung* 1763. 4. *pl.* 3.

i. e.

Deſcriptio Meloes SCHAEFFERI, Auctore IACOBO CHRISTIANO SCHAEFFERO, cum icone viuis coloribus picta.

Licet hoc animalculum in Cl. GEOFFROY hiſtoria inſectorum ſub nomine *Cerocomatis* deſcriptum iam et delineatum reperiatur *), Cl. Auctor tamen eius pleniorem deſcriptionem iconemque praecipue pictam dare non dubitauit, cum id ante aliquot annos iamiam ſpoponderit. Differentia antennarum diuerſum animalculo huic conciliauit nomen, cumque ex hac diſcrepantia mares a foeminis optime diſtinguantur: Cl. Auctor marem antennis coronatis, foeminam vero antennis clauatis inſtructam dicit. Animal ipſum, exceptis antennis pedibusque luteis, colore ex aureo viridi ſplendet, qui

*) vid. Hiſtoire abregée des Inſectes, qui ſe trouvent aux environs de Paris, Tom. I. p. 357.

qui tamen obſcurior in foemineo ſexu deprehenditur. In capite praecipue attendendae ſunt antennae ſingularis ſtructurae, hae enim in maribus longitudine caput ipſum ſuperant, et in tres peculiares appendices terminantur, ita vt caput corona quaſi ornatum videatur, cum in foeminis antennae ſimplices, clauiformes ſint. Tenacula (*die Freßſpitzen*) in vtroque ſexu circa os duplici ſerie poſita inueniuntur, ita vt duo ſuperius paullulum, duo inferius ſita videantur. Elytrae tactu molles et cedentes deprehenduntur, a quo Noſter nomen huic inſecto dedit. De propagatione et metamorphoſi eius nihil certi detegere potuit, quapropter tantum monet: inſecta haec frequentiſſime menſe iunio et iulio in pratis et campis, praecipue in floribus millefolii, chamomillae et dauci ſylueſtris reperiri, et puluere antherarum horum florum haud raro ita conſpergi, vt tota, quantacunque luteo polline obuoluta videantur. Cum haec animalcula eandem cum cantharidibus proprietatem habeant, vt, ſi tanguntur, pedes attrahant, caput vero et pectus deprimant, propter hunc characterem cum cantharidibus omnino combinanda eſſe videntur; LINNAEUS vero, in vltima ſyſtematis naturae editione, cantharides officinarum ex genere cantharidum remouit, nouumque, meloe dictum, conſtituit; cumque Cl. Auctor ante plures iamiam annos iconem praeſentis inſecti depictam LINNAEO miſerit, ille inde animalculum hoc Meloen SCHAEFFERI dixit.

XXI.

CAROLI LINNAEI Fil. in horto Acad. Vpſal. Demonſtratoris, Decas prima plantarum rariorum horti Vpſalienſis, ſiſtens deſcriptiones et figuras plantarum minus cognitarum. Stockholmiae ſumtu et litteris Laur. Saluii 1762. fol. pl. 7. tab. aen. 10. Decas ſecunda ibid. apud. eund. 1763. pl. 5. tab. aen. 10.

Ea ſemper fuit horti Vpſalienſis fortuna, vt a primo fere fundationis tempore et locupletiſſimo plantarum theſauro exornatus, et viris in arte botanica maxime exercitatis inſtructus fuerit, qui de cultura plantarum aeque ac de iisdem augendis ſolliciti, famam huius horti et apud exteros ita propagarunt, vt neminem fore arbitremur, quin ex RUDBECKII et LINNAEI, Patris, *enumerationibus plantarum horti Vpſalienſis*, ſatis ſuperque perſpexerit, haud vltimo loco inter hortos botanicos, qui publicis Principum ſumtibus in Academiis ſuſtinentur, Vpſalienſem eſſe nominandum. Laudamus ideo Cl. Auctoris inſtitutum, qui patris veſtigiis inſiſtens tanto iamiam cum ardore ad ſtudium botanicum ſeſe accingit, nobisque prouentus horti academici, cuius cura ei demandata eſt, refert. Non inutile ergo fore credimus, ſi eas plantas, quarum deſcriptiones, iconesque lineares, ſeu vt Auctor appellat, fundamentales, in his decuriis continentur, breuiter indicemus. Siſtitur nimirum Tab. I. *Ethulia conyzoides*. Planta ex claſſe ſyngeneſiarum, Zeylonae forte incola, annua, quoad habitum exacte cum *Conyza* conueniens, ab ea tamen, vt et ab *Eupatorio* et *Agerato* in eo differens, quod ſemina omni pappo ſint deſtituta. Singularis eſt conditio, quod caules huius plantae in terram reclinati radi-

ces

ces agant, rariſſimo in annua planta exemplo. Tab. II. *Nolana proſtrata*, ita appellauit LINNAEUS, Pater, plantam humifuſam annuam, calyce monophyllo quinquangulari, corolla monopetala rotata, ſtaminibus quinque, ſtylo vno, ſeminibus quinque in fundo calycis haerentibus inſignitam, quae cum *Atropa* et *Phyſalide* affinitatem quandam habet. Tab. III. *Aſtragalus chinenſis*. Perennis haec planta Chinam patriam agnoſcit, et maxime conuenit cum *Aſtragalo galegiformi*, niſi quod habeat legumina inflata, in apice ſtipite quodam calyce longiore praedita. Tab. IV. *Hedyſarum junceum*. Et haec planta, cuius patria India forte eſt, perennat, inferiora folia habet ſimplicia, ſuperiora ternata. Tab. V. *Senecio varicoſus*. Nomen ſuum ſpecificum mutuata eſt haec planta a foliis ſuis pneulato-varicoſis, humilis eſt, annua, ex Aegypto allata, longiſſimis pedunculis praedita, de reliquo in omnibus cum Senecione conuenit. Tab. VI. *Zygophyllum album*. Frutex in Aegypto creſcens, vndiquaque excepto caule, canitie quadam piloſa obtegitur, folia gerit coniugata, foliola diuaricata carnoſa. Tab. VII. *Lithoſpermum diſpermum*. Hiſpaniae incola annua, differt a reliquis huius generis ſpeciebus, quod duo tantum ſemina habeat, in calyce quinquangulari hiſpido patente. Tab. VIII. *Mercurialis ambigua*. In muris montibusque Hiſpaniae creſcit annua haec planta, quae mercuriali annuae ſimillima videtur, ab ea tamen floribus propriis pedunculis inſignitis, neque in racemum diſpoſitis, praeterea capſulis magis hiſpidis, in apice truncatis, differt. Tab. IX. *Tripſacum hermaphroditum*. Annuum hoc gramen in Iamaica ſponte creſcens a reliquis huius generis in eo differt, quod tria ſua filamenta ſtyloſque duos in vna corolla habeat, qua de cauſſa ſpecifico nomine hermaphroditi inſignitur. Tab. X. *Solanum*

P 4 *radicans*.

radicans. Peruuianus hicce frutex cum *Solano quercifolio* in plurimis conuenit, differt tamen ab eo caule radicante, foliis glabris, foliolis quinque ouatis, racemis ſimplicibus, paucifloris, floribus minoribus albis ſubtus purpuraſcentibus, baccis globoſis, didymis, flauis, ſub dio vndiquaque ramos caulesque diffundit, et ad omnes articulos radices fibroſas emittit, quibus ſeſe terrae affigit, ideoque nomen *Solani radicantis* optime promeretur. Tab. XI. *Kühnia Eupatorioides.* Ita nominauit LINNAEUS, Pater, plantam in honorem KÜHNII, natione Americani, qui hiſtoriae naturalis amore excitatus diſſitas regiones adiit, et ex Penſyluania ſemina huius plantae attulit. Ratione externi habitus proxime cum *Eupatorio* conuenit, PLUKNETIUS in Almageſto p. 140. tab. 87. eandem ſub *Eupatorii* nomine deſcripſit, atque delineauit; diſcrepat tamen ab omnibus floribus ſic dictis compoſitis antheris quinque diſtinctis, apice dehiſcentibus, ſtyloque ſupra medium bifido, ſtigmatibus duobus clauato linearibus. Tab. XII. *Zinnia multiflora.* Annua haec planta, quae nunc in hortis vbique colitur, differt praecipue ab altera peruuiana dicta, quod ſit magnitudine dimidia minor, habeatque calyces ex ſquamis non orbiculatis, ſed oblongis compoſitas, flores praeterea purpureos, longis pedunculis inſiſtentes. Tab. XIII. *Meſembryanthemum pomeridianum.* Vt omnes fere ſpecies huius generis Promontorii bonae ſpei incolae ſunt, ita et huius ſemina inde miſſa ſunt, differt a reliquis *Meſembryanthemis* maiori numero piſtillorum et loculamentorum fructuum, dicitur vero ſpecifico nomine pomeridianum, quoniam quotidie ab hora 1 - 6 flores ſuos, niſi pluuia impediat, expandit. Tab. XIV. *Saxifraga craſſifolia.* Sibirica planta, perennis, ex radice extus nigra, intus alba, ſaporis vehementer ſtiptici, emittit

caules,

caules, qui quotannis mutantur in radices, appropinquante enim hyeme rami folia amittunt, atque ad terram flectuntur, ibidemque radices agunt. Tab. XV. *Anemone dichotoma.* Canadenſis incola, perennis, ex radice ſua reptante hinc inde turiones protrudit, qui ſquamis gemmatis obteguntur, atque in gemmam maiorem terminantur, ex qua ſingulo anno nouus caulis erumpit. Folia gerit breuiſſimis petiolis inſiſtentia, lobata, vltra medium trifida, caules in dichotomia creſcunt. Tab. XVI. *Cheiranthus feneſtralis.* Frutex per tres, aut quatuor annos perdurans, caulem habet totum foliis tomentoſo-incanis obtectum, quoad reliqua cum Cheirantho conuenit. Feneſtralem dixit LINNAEUS, Pater, quoniam planta ob paruitatem, gratiſſimumque odorem, feneſtris ornandis optime adhiberi poteſt. Tab. XVII. *Xanthium orientale.* Licet MORISONUS in hiſtoria ſua plantarum huius iconem iamiam dederit, nihilo tamen ſecius, quoniam eandem minus aptam inuenerit Cl. LINNAEUS, meliorem *Xanthii* huius figuram exhibere voluit. Quoad faciem externam cum *Xanthio ſtrumario* maxime conuenit. Caulis tamen magis ſcaber eſt, immaculatus, folia cuneiformia, ouata, triloba, petioli ſcabri, non villoſi, fructusque triplo maior. Tab. XVIII. *Phalaris paradoxa.* Annuum hoc gramen in Natolia collegit, ſeminaque eius miſit Cl. FORSSKAEHL. Singularem habet fructificationem; in vna enim eademque ſpica flores adſunt et ſteriles, et fertiles, quorum vltimi in centro haerent, et a prioribus vtrinque circumdantur. Conueniunt ſteriles cum fertilibus quoad figuram, praeter id, quod corollis, ſtaminibus, atque piſtillis careant, et glumam tantum carnoſam, obtuſiſſimam, biualuem, ſuperius truncatam habeant. Tab. XIX. *Glycine ſubterranea.* In Braſilia et Surinam creſcens annua haec planta

peculiari ratione, pedunculo deflorato, terram penetrat, ibidemque ſemina matura perficit, more *Trifolii ſubterranei*, et *Arachis hypogaeae.* Tab. XX. *Lathyrus piſiformis*, ſub dio perennat Sibirica haec planta, quae *Piſi* formam repraeſentat, ſtipulis vero ſuis characterem proprium demonſtrat. Vtrinque enim ad exortum ramulorum binas ſtipulas accretas habet, ouatas, baſi acute ſerratas, ipſisque foliolis maiores.

XXII.

Iournal de Medecine, Chirurgie, Pharmacie etc. par M. A. ROUX, Medecin de la Faculté de Paris, Membre de l'Academie Royale des Belles Lettres, Sciences et Arts de Bordeaux, et de la Societé Royale d'Agriculture de la Generalité de Paris. Tome XVII. a Paris 1762. chez Vincent. 8. alph. 1. pl. 13. Tome XVIII. 1763. alph. 1. pl. 13. tab. aen. I.

h. e.

Diarium ad artem ſalutarem, chirurgiam, pharmaciam, etc. pertinens. Auctore Cl. A. ROUX. Tomus XVII et XVIII. etc.

Maxime profecto laudandum eſt ſtudium, quod impendit Cl. ROUX, ad continuandum hoc diarium, a Cl. VANDERMONDE inchoatum et eius obitu interceptum, inprimis, cum priſtini Auctoris ordinem inſtitutum non mutarit, et ſimili modo e pluribus vndique affluentibus obſeruationibus non niſi optimas, caute ſelectas, promulgarit.

In menſe iulio 1762 haec inprimis notatu digna videntur.

2) *Obſer-*

2) *Obſeruationes nonnullarum febrium verminoſarum cum ſymptomatibus ſingularibus coniunctarum*, a Cl. MARTEAU DE GRANDVILLIERS. *Obſeruatio* 1. Quadragenarius, inſultu apoplectico afflictus, ſumſit purgans vermifugum, quod partem taeniae expulit; denuo apoplexia et paralyſi brachii dextri affectus, vomitoria bis adhibuit, et reiecta iterum parte taeniae per aluum ſanitatem recuperauit. *Obſ.* 2. Femina ſubito correpta eſt horrore, dolore acuto lateris et ſudore enormi, expulſis vero vermibus melius ſe habuit; paulo poſt febre inſigni laborans ſine horrore a magna haemorrhagia, ob faſcias venae ſectae fortuito ſolutas exorta, in ſyncopen incidit et febris ceſſauit; ſumſit poſt aliquot dies vermifugum, reiecit 33 vermes craſſos, et celeriter refecta eſt. *Obſ.* 3. Alium vexarat febris verminoſa ſub ſpecie pleuritidis, attamen euacuatis vermibus ſeptimo die ceſſauit. *Obſ.* 4. Alius in febre verminoſa intra ſex dies 370 vermes reiecit. *Obſ.* 5. Feminae vermes, praeter febrem, abdominis tumorem doloroſum excitarant, quibus reiectis aegra conualuit. Tom. XVII. p. 24.

3) *Obſeruationes de vſu olei lini in haemoptoe*, a Cl. MICHEL. Quatuor enim obſeruationes declarant, oleum lini, ad 2 vel 3 cochlearia per aliquot dies exhibitum, optime cohibuiſſe haemoptoen. 1) Etenim in haemorrhoidario ſanguiſugae ano applicatae haemoptoen mitigarunt, quam vſus olei lini poſtea plane ſuperauit. 2) Femina, tempore catameniorum haemoptoe vexata oleo lini paucis tantum diebus reſtituta eſt. 3) Alia ſimili remedio haemoptoen ſibi ipſa ſedauit. 4) Puella phthiſi maxime confecta, hoc oleo ad 3 cochl. per diem ſumto, ſibi vitam ad menſem vſque prolongauit. p. 41.

4) *Obſeruatio hydropis aſcitis ſpontaneo vomitu et ſubitaneo curatae*, a Cl. MOUBLET. Tricenaria, p. 46.

ab

ab angina putrida modo refecta, refrigerio ſibi induxit hydropem aſcitem, quae quidem remediis paululum ceſſit, his tamen deinde neglectis morbus increuit, et aegra ſubito inſigni correpta febre cum doloribus colicis, tandem per 20 horas ore et aluo deiecit 18 circiter menſuras liquoris flaui bilioſi et aquae limpidae. Ceſſarunt poſtea dolores cum deiectionibus, ſed languor et laxitas cutis diu remanſit.

p. 67. 5) *Obſeruatio ſarcocelis, frictionibus mercurialibus ſublatae*, a Cl. YVON. Septuagenarius, febre acuta et tumore ſcroti inflammatorio laborans, venaeſectione, clyſmate et cataplaſmatibus bene tractatus eſt. Imminuta inflammatione teſticuli plane indurati inueniebantur, et ſola frictio mercurialis hanc ſarcocelen intra menſem diſſipare potuit.

Menſe auguſto.

p. 143. 4) *Obſeruationes et meditationes de ratione medendi variolis*, a Cl. GONTARD. Hunc morbum tempore euolutionis et eruptionis vti reliquos morbos inflammatorios tractat. Aer ſit temperatus, durante febre iuſculum carnis tantum exhibeatur; cardiacis non, niſi languentibus viribus, opus eſt. Si febris varioloſa irruit, vena ſecetur 1mo et 2ndo die, 3tio vomitorium ſumat aeger, quamuis leuis ſit eius indicatio. Eruptis variolis venaeſectio, 3 horas poſtea emeticum, adeoque ſaepe purgantium continuatio vſque ad finem ſuppurationis conuenit. Sic diu multos varioloſos proſpere tractauit Cl. Auctor, quod adiectae obſeruationes plane declarant.

p. 168. 6) *Obſeruatio de percuſſione capitis*, a Cl. HOIN. Femina, 24 annorum, poſt percuſſionem vehementem anterioris capitis partis, perpetuo dolore ac tremore capitis affecta, ob pedum debilitatem lecto ſe tenuit, acceſſit quotidie veſpertino tempore febris,

bris, et nocte vt plurimum delirium. Locus contuſus colorem non mutarat, attamen leui oedemate paululum eminebat, quo tandem inciſione cruciata, 2 pollices longa et lata, aperto, et pauco ſanguine effluxo, tremor et dolor capitis vna cum delirio mox ceſſarunt, et vulnus poſt 8 dies coaluit, ſalua aegrota, cui leuis tantum remanſit pedum imbecillitas.

7) *Obſeruatio multorum calculorum vrina et aluo reiectorum*, *communicata* a Cl. LE MAITRE. Virgo, 18 annorum, ex febre tertiana duplici continua incidit in malum hyſtericum vehementiſſimum, cum creberrimis conuulſionibus; acceſſit poſtea vrinae ſuppreſſio et colica nephritica; tandem Cl. Auctor detexit calculum in principio vrethrae, eoque forcipe educto, aegra 476 calculos magnitudine mediocri per vrethram, et dimidiam circiter copiam per anum intra 5 dies eiecit, praeter inſignem ſabuli copiam, cuius primo ¾ ℔ deinde ½ ℔ et ſenſim minorem quantitatem reddidit. Vſa eſt interea trochiſcis alkekengi ad ℥j pro doſi, et decocto ſeminum et olei lini cum nitro. Relicta renum obſtructio et dyſuria priora mala reuocarunt, et poſt 16 dies rurſus per vrethram exierunt 186 calculi et 79, aequali magnitudine, per aluum. Vſus aquarum mineralium quidem magnam ſabuli copiam vrina eduxit, attamen denuo rediit poſt aliquot menſes vrinae ſuppreſſio et calculorum atque ſabuli eiectio. Vix ſanitate recuperata, aegram rurſus prehenſerunt motus conuulſiui et paralyſis totius corporis, quos tamen morbos vomitoria et veſicatoria dorſi ſenſim plane ſuſtulerunt. p. 173.

8) *Obſeruatio de verruca praeputii inſignis magnitudinis*, a Cl. LEAUTAUD. Erat magnitudine nucis iuglandis, cum pluribus aliis piſi magnitudine a myaſmate venereo profecta, qua iuuenis 21 ann. p. 178.

per

per 10 menſes laborauerat. Cl. Auctor ligauit hanc excreſcentiam ope thymeleae, quae 5 die ſeceſſit cum inſigni haemorrhagia, quam agarico ſedauit et poſtea aegro frictionibus mercurialibus ſanitatem reddidit.

p 180. 9) *Obſeruatio de ſuppreſſione vrinae et doloribus nephriticis feminae per 7½ menſes grauidae, poſt lapſum accedentibus, quibus ſecutus eſt partus laborioſus infantis hydropici demortui*; a Cl. COSTES. Tricenaria enim haec, poſtquam lapſa erat in abdomen, ſtatim ſenſit dolores abdominis in dies creſcentes, poſtea retentionem vrinae et dolores nephriticos, et poſt 3 dies dolores ad partum, qui, cum ob nimis diſtentam veſicam peragi non poſſet, pupugit Cl. Auctor veſicam acu triquetra, ad pollicem ſupra os pubis, et 6 menſuras vrinae eduxit; quo facto tandem aegra, etſi magno cum labore, peperit infantem mortuum et ſenſim conualuit. Cauum abdominis et thoracis infantis continuit menſuram circiter vnam aquae et reliquae partes corporis aqua maxime repletae reperiebantur.

Menſe ſeptembri

p. 237. 4) *Obſeruationes quorundam effectuum ſingularium vaporis formicarum*, a Cl. ROUX. Aperiendo formicetum tam nauſeoſus vapor erumpit, vt eo rana intra 4 vel 5 minuta interfici poſſit. Cl. Auctor manibus tractando formicas ſenſit digitorum calorem, tumorem, ruborem, et altero die cuticula, quaſi a veſicatorio, deſquamata eſt. Alius formicetum deſtruere tentabat impoſita campana vitrea, qua paululum leuata ipſe vehementi vapore infeſtatus eſt atque inſignes percepit dolores capitis, corpus ſenſim intumuit, acceſſerunt anxietates et altero die cutis eruptio, quae poſt tres dies deſquamata eſt.

6) *De-*

6) *Deſcriptio abſceſſus renis dextri, qui tempore medelae non cognitus eſt;* a Cl. BILLEBAULT. Virgo ſenſu ponderis et doloris in regione hepatis grauata abſceſſu hepatis laborare omnibus viſa eſt, eius operationem vero repudiauit; acceſſit deinceps tuſſis ſicca cum ſputo cruento, febre lenta, vomitu et deiectione cruenta, tandemque mortua eſt. In ſectione cadaueris hepar ſanum fuit, praeter omnium exſpectationem, et ſub eius conuexa parte apparuit tumor cyſticus, 10 poll. longus totidemque latus et dimidia craſſitie, ſiſtens ſubſtantiam renis dextri plane in pus mutatam, quae decem calculos diuerſos continebat; principium vretheris obturauerat calculus duarum nucum auellanarum magnitudine; lobi pulmonis ſiniſtri purulenti, alterius maxime calculoſi erant, pericardium liquore vacuum cordi, nimis contracto, adhaeſit. p. 247.

7) *Obſeruationes de duobus magnis vulneribus abdominis ſine ſutura curatis*, a Cl. DE LA COMBE. Nauta 28 ann. a tauro vulneratus eſt in regione iliaca dextra, vt inteſtina cum epiploo e vulnere prodirent, quibus reductis, ligauit Cl. Auctor omentum et inferiorem partem laeſam abſcidit, ac vulnus linteis carptis repletum deligauit, quod obſeruata accurata diaeta facile coaluit. Femina a vacca ſimili vulnere regionis vmbilicalis ſiniſtrae afflicta eſt; reductis igitur inteſtinis praeſcidit chirurgus ſine ligatura inferiorem laeſam omenti partem, impoſuit turundam oleo roſato imbutam, et cauto regimine aegram intra 5 hebdomadas reſtituit. Hinc patet, nos ſaepe ſuturis carere poſſe in vulneribus abdominis cum inteſtinorum exitu coniunctis. p. 257.

8) *Obſeruatio aneuryſmatis arteriae cruralis*; a Cl. DE LA COMBE. Hic tumor parti mediae anteriori femoris militis adhaeſit et a nimia femoris extenſione, miaſmate venereo et pulſu ſemper accelerato p. 262.

ortus,

ortus, in dies increuit, donec ruptus effuſo latice vitali aegrum interemit. In ſectione femoris vidit Cl. Auctor, arteriam 2 poll. ſub inferiore parte cyſtidis in naturali dimenſione ſe cum trunco venae cruralis coniungere, eamque paulo inferius curſum vlterius continuare. Rariſſimum profecto, ſi qua vere fuit, anaſtomoſeos exemplum.

p. 268. 9) *Obſeruatio de hernia crurali cum incarceratione, quam ſecuta eſt gangraena, cum iactura partis inteſtini et omenti, curata* a Cl. BERTRAND. Ad aegram 42 ann. 8uo demum morbi die accerſitus eſt Cl. Auctor, cum iam materia foecalis efflueret; dilatata apertura vidit partem inteſtini et omenti magnitudine oui gallinacei putridam, vtraque vero extremitas ſana adhaeſit; eduxit partem gangraenoſam omenti, quae, adhibitis digeſtiuis, cardiacis et cauta diaeta, 14mo die ſe ſeparauit, et 16mo portio inteſtini corrupti 3 poll. longitudine ſponte ſeceſſit; foeces vsque ad 20 diem e vulnere emanabant, poſtea partim e vulnere partim via naturali; tandem 50 die apertura inteſtini plane coaluit et poſt 20 dies, totius vulneris cicatrice facta, tota haec cura abſoluta eſt.

Menſe octobri.

p. 327. 2) *Commentarius de gangraena epidemica in vicinia Inſulae in Flandria ſaeuiente anno* 1749 *et* 1750, a Cl. BOUCHER. Nimia viciſſitudo aeris et clima nimis humidum ſubito in hac regione produxit anginam, dyſenteriam et morbos extremitatum, quos
p. 331. omnes comitata eſt gangraena. Sectio prima deſcribit morbum, a quo Inſula ipſa non tacta eſt, potius oppida vicina in paludoſis locis ſita, et inprimis pauperes affligebantur. Pauci quidem hinc moriebantur, plurimi tamen perdiderunt membrum, vel ſponte ſecedens, vel amputatum. Morbus, vt plurimum ſpontaneus, interdum coniunctus erat

erat cum febre continua remittente, interdum ſympathicus, ſaepiſſime poſt morbum acutum accedens, et crebrius inferiores quam ſuperiores petens extremitates, in puella quadam muſculos faciei deſtruens. Praeceſſit plerumque contractio ſpaſmodica muſculorum cruris vel brachii, in hoc primo ſtadio morbi per 2 vel 3 hebdomadas continuata, interdum dolor vagus dorſi, lumborum, cet. in extremitatibus poſtea perſiſtens; ſecutus eſt ſtupor vel ſenſus horroris membri affecti, ſenſu et motu mox deſtituti, palleſcentis, frigeſcentis, marceſcentis; in hoc tamen 2ndo ſtadio, quod decem dies durabat, functiones animales fuerunt integrae. In pauperioribus ſaepe in primo et ſecundo ſtadio ſenſus et motus membri affecti ſine dolore ſublatus erat, et plurimi tertium ſtadium non attigerunt. Cognoſcebatur hoc inprimis ex liuore partis laeſae et nigritie cutis poſt rubedinem atro-purpuream. Atque tum oriebantur in pede vel manu nonnullae puſtulae, acri ſero plenae, interdum gangraenam indicantes, interdum criſin. Si rubedo partis affectae non praegrediebatur, puſtulae non oriebantur, potius membrum ſubito nigreſcebat, acceſſit pulſus debilis, facies hippocratica, ſyncope, mors. In plurimis gangraena non vltra articulum tarſi vel carpi, rarius vltra genu adſcendit. Varius fuit morbi progreſſus, cum in aliis pedes ſphacelo poſt atrociſſimos dolores deciderent, in aliis duo priora morbi ſtadia, in aliis omnia confunderentur, et febris, poſt dolorum ſtuporisque viciſſitudinem accedens, in multis continua, nonnullis funeſta eſſet, in aliis febris continua, iam in principio irruens, ad morbi finem vſque perſiſteret. Viribus refocillatis, gangraena ceſſabat; in plurimis, adeoque ſenioribus, membra corrupta ſponte decidebant, in aliis

in mumiae ſpeciem mutabantur, et oſſa quaſi in carbonem transmutata videbantur.

p. 346. 3) *Duae obſeruationes proſperi effectus cicutae in tumoribus cancroſis*, a Cl. PORTÉ. Extractum enim cicutae, a grano dimidio ad quatuor pro doſi per aliquot menſes ſumtum, plane diſſipauit tumorem cancroſum mammae monialis, oui anſerini magnitudine. In alia poſt exſtirpatos duos tumores cancroſos mammae vulnus curari non potuit, perpetuo materiam ichoroſam fundens. Hunc effluxum idem extractum, ad 3 grana pro doſi ſumtum, primo auxit, poſtea imminuit, tandem longus vſus, ad 5 et 8 grana, vlceris cicatricem induxit. Attamen eadem aegra paulo poſt periit ventriculi inflammatione.

p. 355. 4) *Literae ab obſtetrice quadam*, REFFATIN *dicta*, ad Cl. LEVRET. Haec obſtetrix putat, obliquum vteri ſitum pendere a loco, cui adhaeret placenta, quae ſaepe partibus lateralibus, interdum ipſi orificio vteri adhaeret, quod duabus obſeruationibus declarat: 1) Etenim in partu puellae, praecedente inſigni haemorrhagia, caput cum funiculo ſe oſtendit, et placenta ipſi orificio vteri, parum dilatato, adhaerebat; aucta haemorrhagia, haec obſtetrix inuertit infantem, eumque viuum, ſed debilem, ex vtero eduxit, ſoluit placentam et matrem ſeruauit. 2) In alio partu caput infantis obliquum haeſit inter os pubis et os ſacrum, et vterque humerus a ſymphyſi oſſis pubis et protuberantia oſſis ſacri retardabatur, tandem maximo cum labore forcipum ope infans viuus extrahebatur.

Menſe nouembri.

p. 396. 2) *Continuatio commentarii de gangraena epidemica, in vicinia Inſulae in Flandria ſaeuiente, anno* 1749 *et* 1750 a Cl. BOUCHER. Sectio ſecunda deſcribit

ſcribit *cauſſam morbi.* Praecipua eſt viciſſitudo tempeſtatum, cum calor nimius et aeris humiditas putredini faueat, quam athmoſphaerae varietas euoluit, inprimis in membris huic maxime expoſitis. Etenim ruſticorum manus et pedes, vt plurimum nudi, valde ab athmoſphaera afficiuntur, praeſertim in locis vliginoſis; vnde affectus ſcorbutici ad gangraenam praediſponentes. Non vero in his ſolum partibus, ſed in tota etiam humorum maſſa hunc morbum euolui, febris continua vel tertiana duplicata oſtendit, quae morbum vel praeceſſit vel comitata eſt, et naturae indicat conamina eiiciendi miaſmatis per metaſtaſes in iis partibus, vbi haeret morbus. Erumpunt itaque interdum puſtulae criticae, ſaepius, ſi metaſtaſis interiora membri petit, neruorum et arteriarum actio interrumpitur, quod ſtupor declarat, gangraenam praecedens. Syſtemate arterioſo prius affecto, inflammatio vehemens orta eſt, cum ſpaſmis neruorum, ſyncope, conuulſionibus, adeoque morte. Si miaſma neruos partis affectae petiit, gangraena acceſſit ſine dolore.

Sectio tertia indicat *medelam morbi.* Stadia p. 403.
morbi diuerſa, eiusque progreſſus vel celeris vel tardus, indicationes curatorias diuerſas reddit. In celeri progreſſu 1) ſpaſmi ſedentur, 2) humorum putredo praecaueatur, quod difficillime efficitur, cum ſalia volatilia inflammationem augeant. Vena igitur ſecetur, antequam febris euoluitur; proſunt in primo ſtadio morbi antiſpasmodica temperantia, inciſiua et cardiaca, regimen diapnoicum, cordiale, antiſepticum, potus vini cum ſucco citri vel aceto mixtus. Topica, fomenta emollientia, inunctiones oleoſae tum nocuerunt; frictiones et balnea calida in ſecundo inprimis ſtadio morbi profuerunt, vt et olea, partibus volatilibus plantarum aromaticarum et ſalibus volatilibus impraegnata; interne exhibean-

hibeantur antiſeptica, praecipue cortex peruuianus. In tertio ſtadio requiruntur extracta fructuum acidorum cum cardiacis coniuncta, et ſubſiſtente gangraena, ſola analeptica. Corticem peruuianum nec cuilibet aegro, nec omni tempore morbi conuenire, potius, neglecto regimine, ad gangraenam diſponere, ex obſeruatione hic enarrata Cl. Auctor declarare annititur. In lento morbi progreſſu vires vitales depreſſae incitentur cardiacis fortiſſimis et analepticis; reſtituatur calor partium frictione, balneis aromaticis, topicis oleoſis et balſamicis. Rubedo vrens cutis membri affecti in tertio morbi ſtadio indicat venaeſectionem; nocent fomenta repercutientia; iuuant infuſa emollientia, anodina, reſoluentia. Si cutis fuſca eſt et puſtulis plena, ſcarificetur pars gangraenoſa; vulnera hinc facta deligentur digeſtiuis, balſamicis, antiſepticis, minime ſpirituoſis topicis.

p. 421. 3) *Obſeruatio vomicae inſignis cum ſymptomatibus minus conſuetis, ope corticis peruuiani curatae;* a Cl. BORNAINVILLE. Vir, 35 annorum, erupta vomica magnam puris copiam eiecit, tandemque materia purulenta viam ſibi parauit inter 5 et 6 coſtam veram, vbi pus, ſimulac tuſſiret, e duobus foraminibus emanabat. In hac calamitate adhibuit per aliquot dies decocta vulneraria cum cortice peruuiano, ac ſenſim excretio purulenta ceſſauit. Eundem morbum, vitiis diaetae reſuſcitatum, continuatus corticis peruuiani vſus iterum vicit. Alius, poſt febrem putridam vomica critica ſubito rumpente afflictus, etiam corticis peruuiani vſu curatus eſt.

p. 432. 4) *Obſeruatio abſtinentiae* 33 *dierum, cum ſymptomatibus peculiaribus*, a Cl. ALLIET. Puella decennis poſt terrorem incidit per horae ſpatium in ſoporem periodicum, cum conuulſionibus et febre intermittente coniunctum; 3tio menſe periit viſus et auditus,

tus, acceſſit abſtinentia cuiuslibet alimenti per 33 dies, nec inde emaciata eſt; catarrhus tandem cum febre ſenſus et ſanitatem reſtituit; poſt tres menſes rurſus hoc morbo periodico correpta, ſuperato eius duodecimo paroxysmo vehementi, conualuit.

5) *Obſeruatio infantis, qui iam per duos annos ſine cibo et potu vixit*, a Cl. CALIXTE GAUTIER. Vt veritatem rei detegeret Cl. Auctor, hunc puerum, 13 annorum, per quinque dies cuſtodiuit, et 1mo die obſeruauit, illum, capitis ac ventris dolore grauatum, parum dormiuiſſe, 2ndo die verſus veſperam magno frigore a ſomno impeditum, 3tio capitis dolore et anxietate vexatum, 4to et 5to ſomno refectum melius ſe habuiſſe. Abdominis muſculi valde emaciati erant, ſplen et hepar vix tactu ſentiebantur; ſcrotum teſticulis et funiculo ſpermatico vacuum erat; impoſita abdomini manus ſenſit pulſum aortae. Temperamentum aegri melancholicum eſt, ſtatura aetati conueniens, et poſt anginam ac variolas ſine remedio curatas haec abſtinentia accidit. Valde debilis eſt puer, nec niſi incuruus incedit. p. 438.

6) *Deſcriptio erucae vomitu reiectae; communicata* a Cl. VETILLART DU RIBERT. Hanc Cl. Auctor per 15 dies carne vitulina cocta et maſticata nutriuit, cum omnia folia, carnes, cet. repudiaret, tandem vero fortuito periit. Putat igitur, hanc in ventriculo ex ouo excluſam ibique ab alimentis ingeſtis nutritam eſſe. p. 443.

7) *Obſeruatio abſceſſus interni cranii, per aures et naſum euacuati;* a Cl. LE BLANC. Vt in officina monetaria flammulas variegatas melius obſeruaret Cl. Auctor, quae adſcendunt, ſi argentum formis infunditur, caput ſuper eiusmodi formam tenuit, ſed ſtatim ictum vehementem, quaſi electricum, inde ſenſit, cum capitis dolore, intra 14 dies ad ſummum gradum aucto, poſtea pondus in latere ſiniſtro capitis percepit; redierunt dolores vehementiſſimi, p. 455.

quibus ſedatis, emanarunt ex aure ſiniſtra puris bonae indolis 20 circiter guttae per horam. Dolores deinde verticis vsque ad aurem dextram deſcenderunt, e qua poſt 20 dies pus effluebat. A 6to ad 90mum morbi diem ſurdus fuit, capitis peripheria quindecim lineas aucta erat; ſi veheretur in rheda vel equitaret, puris effluxus per aurem facilitabatur, motus nimius grauiſſimos capitis dolores excitabat; tandem ſubito reiecit magnam copiam puris ſpiſſi foetidiſſimi, quod ex foſſis naſalibus in fauces deſcenderat, atque ſic morbus finiebatur.

Menſe decembri.

p. 504. 3) *Continuatio commentarii de gangraena epidemica, in vicinia Inſulae in Flandria, annis* 1749 *et* 1750 *graſſante;* a Cl. BOUCHER. Sectio IV deſcribit *tempus amputationis in ſphacelo conſummato.* Cum amputatio non tollere poſſet cauſſam, quae functiones neruorum vel arteriarum membri ſphacelo tacti impediebat: haec differenda erat, donec linea ſeparationis partis mortuae a viua exoriebatur. Nec incommodum ab hac cunctatione timendum erat, cum membrum gangraenoſum vt plurimum ſponte ſiccesſceret, nec malum, vt in gangraena humida, propagaretur. Porro differebatur amputatio, ſiue morbus eſſet idiopathicus, ſiue ſympathicus, ſiue criticus. In critico enim morbo materia poſt amputationem vel ad partem truncatam, vel ad aliam partem deducebatur. Si gangraena erat ſymptoma v. c. febris continuae, potius morbi cauſſa deſtruenda, quam amputatio peragenda erat, quam febris ſemper diſſuadebat. Morbus idiopathicus et ſimplex membri affecti amputationem non requirebat, cum eſſet ſupra locum corruptum 1) vel in ſtatu irritationis (*d'eretiſme*,) vbi diſſectae partes neruoſae gangraenam mutilatae partis excitaſſent; vel

ſtupore

ſtupore afficeretur, et amputatio in his truncatis vaſis paralyticis potius gangraenam induxiſſet, quam eorum actionem ſyſtalticam reſtituiſſet, non niſi limitato ſphacelo recuperandam; 2) cum, quam diu gangraena ſe expandebat, bona ſuppuratio vix ſperanda eſſet. Nunquam igitur bonus erat euentus amputationis in gangraena hic deſcripta, niſi linea ſeparationis, in qua ipſa amputatio ſemper ſuſciperetur, ſeparationem mortui a viuo iam ſponte fecerit.

4) *Obſeruatio ſingularis de tumore carcinomatico, et eius medela ope cicutae, cum euentu et diiudicatione rationis medendi;* a Cl. HAZON. Hic tumor haeſit in latere medio ſiniſtro maxillae inferioris, et, adhibito electuario cicutae ad ʒj vsque pro doſi, et in qualibet hebdomade purgante 12 granorum paſtae alexiteriae de Rotrou dictae, in dies volumine auctus eſt, accedente tandem febre continua per 40 dies, tumor ſine vllo remedio diſſipatus eſt, aegra vero paulo poſt maraſmo et furunculis obiit. p. 533.

5) *Obſeruatio metaſtaſis arthriticae, cum ſingularibus phaenomenis, ex literis* Cl. STRACK *excerpta.* In viro, arthriticis doloribus vagis vexato, materia in magnum collecta eſt abſceſſum ad 5, 6 et 7 coſtam veram dextram, indeque orta eſt fiſtula inter coſtas et pleuram; poſt 5 menſes materiae foetor coſtarum cariem prodidit, et inciſione inter 5 et 6tam coſtam facta, ad exitum puris leuandum, aditus ad ſaccum ab exoſtoſi vtriusque coſtae impediebatur, et pus, donec vulnus cicatrice clauſum eſt, foetuit, quod Cl. Auctor miaſmati arthritico adſcribit. p. 540.

8) *Obſeruatio tumoris duri, non dolentis, vermibus pleni, inſigni magnitudine;* a Cl. LEAUTAUD. Hic adhaeſit coxae dextrae tricenarii, cui impoſuit Cl. Auctor cataplaſmata emollientia, eoque aperto egreſſi ſunt circiter 4000 vermium viuorum variae magnitudinis, et aeger ſanatus eſt. p. 550.

p. 552. 9) *Obſeruatio hydroceles cum calculo perinaei, alioque maiori veſicae;* a Cl. TERLIER. Ruſticus laborauit infiltratione vrinae in ſcrotum, tumore perinaei duro, et dolente, ac dyſuria; impoſuit per tres dies emollientia, quarto die hydrocelen cauſticis tractauit, et ex aperto tumore calculum drachmae dimidiae pondere exemit; in collo veſicae magnus calculus firmiter haeſit, qui apparatu magno eductus eſt.

Tom. XVIII. Tomus XVIII. in menſe ianuario 1763 haec continet.

p. 42. 3) *Hiſtoria dyſenteriae epidemicae, quae ſaeuiit anno 1750 in nonnullis Picardiae locis, et Albamalae;* a Cl. MARTEAU DE GRANDVILLIERS. Poſt hyemem ſiccam, ver pluuioſum, et iunium calidiſſimum prorumpebant menſe ſeptembri et octobri tres dyſenteriae ſpecies, benignae, millioſae et putridae. *Benigna* vomitu mucoſo, et crebra deiectione viſcida ſanguinolenta incipiens, leuia tormina, ac febrem exiguam exhibebat, per 8 vel 10 dies obſeruatam. *Biliosa* cum doloribus colicis maximis, vomitu bilioſo et deiectionibus ſanguineis irruens, teneſmum, dyſuriam, ſitim enormem, inſomnia et febrem magnam induxit. *Putrida* febrem leuem, tormina maxima, vomitus et deiectiones creberrimas foetidiſſimas, tandem ſanioſas cum pulſu intermittente ſecum habuit, ſaepe acceſſit ſingultus, et aegri peſſimis ſymptomatibus afflicti perierunt.

p. 59. 4) *Obſeruatio et meditationes de vſu ſulphuris in phthiſi pulmonum;* a Cl. CLAPIER. Phthiſicus enim, variis fruſtra tentatis, tandem ingreſſus eſt fodinam lithanthracum, a cuius aere ſulphureo eius expectoratio augebatur, ipſeque ſenſim ſanitatem recuperauit.

5) *De-*

5) *Deſcriptio foetus monſtroſi*, a Cl. BRISEBARRE et Cl. DUVOLLIER. Femina peperit gemellos perfecte formatos vsque ad vmbilicum, vbi recta linea coniungebantur, et eorum corpora e diametro ſibi oppoſita erant, eaque vt et capita ſurſum ſpectabant; in vno latere aderant duo femora et crura bene formata, in altero vnum femur reliquis longius, cum crure ac pede deformi, qui duplicem pedem et ſex digitos in duplici ſerie ita poſitos habuit, vt cuiuslibet pars interna verſus alterius partem internam ſpectaret, quaſi manus plicari ſolent. Caput et thorax in vtroque gemello nihil praeter naturam habuit, hepata inaequali magnitudine inferius expanſione ligamentoſa coniungebantur; vena porta ad maius hepar progrediebatur. Vterque foetus ventriculum, pancreas, lien et renes habuit, inteſtina ad finem ilei ſe coniungebant, et craſſa vtrique communia erant, ſed iuſto ampliora; aderat corpus prolongatum vteri ſimile, vagina valde longa, ſepto in duas diuiſa. Peluis e duobus conſtabat oſſibus pubis, duobus iſchiis, et duobus ileis irregulari ſitu; extremitates inferiores ligamento tantum adhaerebant; in altero latere aderant duo oſſa ilea, deerant os pubis et iſchium, et ad articulationem oſſium ilei cartilago prominebat conica pollicis dimidii magnitudine; femoris caput planum erat. Adiecta eſt icon huius monſtri. p. 66.

6) *Obſeruatio oſſificationis ſingularis in tuba dextra vteri feminae in partu mortuae repertae*, a Cl. CHAMBRY DE LA BOULAYE. Sectione cadaueris apparuit vterus liuidus, niger, digiti craſſitie, et in tuba dextra latuit corpus peregrinum, membranis incluſum, ambitu 9 pollicum et 17 vnciarum pondere; cocta hac maſſa vidit Cl. Auctor, eam veram oſſificationem ſiſtere, cuius laminae laminis cranii vbique ſimiles erant, et in loco fracto ſubſtantia cellu- p. 69.

laris conſpiciebatur. Adiecta icon rem melius declarat.

Menſe februario.

p. 112. 2) *Tractatus de catarrhis epidemicis, Nemauſi aeſtate anni 1762 ſaeuientibus*, a Cl. RAZOUX. Hic morbus triplex fuit; prior catarrhus cerebri, (*coryza veterum*,) cum dolore capitis, oculis lacrymantibus, effluxu muci narium et febre; in 2do iam dictis ſe adiunxit difficultas deglutiendi, tuſſis, ſiccitas linguae, febris ardens; 3tius addidit difficilem reſpirationem, dolorem grauatiuum pectoris, tuſſim cum ſibilo et eiulatu, febrem vehementiſſimam, inſomniam, cet. Calor aeſtatis inſignis eiusque viciſſitudo cum frigore cauſſa fuit huius morbi, quem exhalatio ſulphurea, calore excitata, et materia ſubtilis cauſtica, qua aer ſcatuit, a naribus, oeſophago, bronchiis reſorpta auxit. Prior plerumque naturae viribus ceſſit, 2da et 3tia ſpecies venaeſectioni, ptiſanis pectoralibus, infuſis theiformibus, purgantibus, diaetae.

p. 127. 3) *Obſeruatio effectus extracti cicutae*, a Cl. AGASSON. Infans ab eſu cicutae praeter conſueta ſymptomata, in partibus ſuperioribus rigidus factus eſt, in inferioribus plane paralyticus, cum conuulſionibus et deliriis. Sumto ſyrupo GLAUBERI euomuit, et ſymptomata ceſſarunt. In cancro aperto labii oris extractum cicutae a granis 2bus ad drachmam dimidiam ſumtum bonos quidem effectus producere viſum erat, attamen ex haemorrhagia partis affectae ſecuta eſt aegri mors.

p. 144. 4) *Obſeruatio de infelici effectu fructuum belladonnae*, a Cl. SAINT MARTIN. Infans comedit aliquot fructus belladonnae, et ſtatim incidit in riſum ſic dictum ſardonium, conuulſiones et febrem acutam, balneo autem et vomitu excitato mox reſtitutus eſt.

5) *Obſer-*

5) *Obſeruationes vſus alcalium volatilium in morſu viperae, quibus oſtenditur, omnia alcalia volatilia, ex animalibus educta, ſimili modo vt aqua* de Luce *dicta, aegros morſu viperae laborantes ſanare poſſe;* a Cl. LE BRUN. Aqua enim de *Luce* dicta, ſpiritu volatili viperarum, et ſpiritu cornu cerui ſuccinato quatuor homines, morſu viperae afflictos, ſanitati reſtituit. p. 150.

6) *Obſeruatio abſceſſus inſignis lobi ſiniſtri pulmonis, cum magna imminutione cauitatis pectoris in hoc latere,* a Cl. CELLIEZ. Puer 16 annorum, poſt febrem inflammatoriam, querebatur de tumore ad 2dam et 3tiam coſtam ſpuriam, ſenſim ita aucto, vt vix reſpirare poſſet, quo aperto et puris effluxu per 8 menſes continuato, tandem vulnus coaluit. p. 161.

7) *Obſeruatio noxarum a ſcabie ſuppreſſa oriundarum;* a Cl. BARATTE, *filio.* Excitauit enim parotidis tumorem lethalem; abſceſſum mammae; decubitum eryſipelatoſum nuchae et ſcapulae lethiferum; metaſtaſin cruris, et quae ſunt reliqua. p. 169.

8) *Literae* Cl. LEAUTAUD, *de vulnere magno abdominis, ſine ſutura curato.* Infans a vitro fracto, in quod incidit, laeſus eſt ſupra vmbilicum vulnere, quatuor pollicum longitudine eademque latitudine, prolabente omento dilacerato, ventriculo et colo. Quibus reductis Cl. Auctor vulnus turundis, vino calido imbutis, apte ſine ſutura deligauit; aeger per tres dies foeces vomitu reiecit, 4to autem aluo reddidit. Oriebantur quidem varii abſceſſus, tabem minitantes, 4to tamen menſe vulnus plane coaluit. p. 174.

Menſe martio.

2) *Continuatio tractatus de catarrhis epidemicis, qui Nemauſi praeterita aeſtate* (1762) *ſaeuierunt;* a Cl. RAZOUX. Nunc ipſis exemplis ea confirmat, quae in priore tractatu expoſuit. Feminae, 31 ann. catarrho p. 215.

tarrho

tarrho ſecundae ſpeciei correptae, poſt tres venaeſectiones, dedit 2ndo et 4to die *dilutum caſſiae* cum ſyrupo ſtibiato et manna, incidit tandem in ſudorem criticum, et decocto foliorum borraginis cum manna 7mo die largiter euacuata, a febre plane liberata eſt. Alia 18 ann. negligens catarrhum primae ſpeciei, ſenſit dolorem grauatiuum pectoris cum difficultate deglutiendi; vena ter ſecta et catamenia morbum ſuſtulerunt. Iuuenis 22 annorum, catarrho ſecundae ſpeciei laborans, cum dolore grauatiuo pectoris, tuſſi ferina, virium proſtratione, et febre inſigni, duplici venaeſectione ſomnum, et purgante ſanitatem recuperauit. Obſeruauit Cl. Auctor, dolores capitis magnos ſemper leuem tuſſim, leues maiorem ſecutam eſſe; narium haemorrhagias catarrhum leuaſſe; ab aucta perſpiratione et expectoratione morbum citius depulſum eſſe; in 3tia catarrhi ſpecie venaeſectionem ſemper neceſſariam fuiſſe; purgantia leuia conduxiſſe; tuſſim nunquam a ventriculo ortam eſſe.

p. 236. 4) *Obſeruationes de oenanthe* a Cl. VACHER: quarum iam alias mentionem fecimus *).

p. 254. 5) *Hiſtoria grauiditatis cum peſſimis ſymptomatibus coniunctae;* a Cl. SOUQUET. Femina, 34 annorum, in quintae grauiditatis menſe primo catamenia alba habuit, in ſequente incidit in ſtuporem, quarto menſe in hydropem pectoris et totius corporis; ſetacea pedis multum aquae euacuarunt. Partui proxima dolorem acutum ad ſinum frontalem perpeſſa eſt, memoria deſtituebatur, decies in vehementes conuulſiones deiecta eſt, donec partum peregit, poſtea rediit viſus ſenſimque perfecta ſanitas. Infans ſimili oculorum ſpaſmo laborabat, quo mater tempore partus affligebatur, ceſſauit tamen, quo magis adoleuit infans.

6) *Obſer-*

*) vid. Commentar. noſtror. Vol. XI. P. II. p. 317.

6) *Obſeruationes effectus tincturae caſtorei cum aethere vitriolico praeparatae* a Cl. SOUQUET; haec enim expuliſſe dicitur ex duabus feminis ſecundinas in vtero relictas. p. 361.

7) *Obſeruationes duarum herniarum ventralium;* a Cl. STRACK. Viri, cuius ſuperius *) mentionem fecimus, ob tumorem ad 5, 6 et 7mam coſtam veram muſculus rectus abdominis lateris affecti loco motus eſt, vt egrederetur portio ventriculi ſub cartilagine xiphoidea, oui gallinacei magnitudine, imminuta vero coſtarum intumeſcentia, haec hernia ſenſim diſparuit. Femina quaedam, poſt quintum partum, ob relaxationem muſculorum rectorum abdominis et lineae albae, hernia ventrali laborauit, quae conſtricto abdomine ope thoracis intra ſex menſes ſublata eſt. p. 263.

Menſe aprili.

2) *Obſeruatio febris cachecticae;* a Cl. GODART. Vir, vino deditus, diarrhoea et febre lenta mortuus eſt. Secto cadauere hepar, iuſto minus, pallidum fuit, veſicula fellea bile ſeroſa pallida repleta, quae viſcidum ſedimentum deponebat; veſica vrina nigra extenſa; cerebri ſubſtantia copioſo ſero ſcatebat. p. 324.

4) *Epiſtola* Cl. MAILHOS ad Cl. ALEXANDRUM, *continens hiſtoriam ſuppreſſionis menſium, per quatuor annos peſſimis ſymptomatibus coniunctae.* Virgo enim 21 anni, cui ex ſubitaneo pedum refrigerio catamenia ſupprimebantur, ſtatim ſenſit ſtuporem omnium membrorum, cum paralyſi brachii dextri, et coecitate oculi dextri. Venaeſectiones, euacuantia et veſicatoria diu continuata aegrae tandem viſum, catamenia et valetudinem perfectam reddiderunt. p. 350.

5) *Obſeruatio inuerſi vteri;* a Cl. SONYER DU LAC. Ex imperitia chirurgus poſt partum inuerterat p. 357.

vterum,

*) vid. pag. 247.

vterum, quem prominentem lauit Cl. Auctor decocto radicis bugulae, biſtortae et vini rubri, eumque reduxit, poſtea aegram electuario adſtringente cum iuſculo et radice ſymphyti refecit.

Menſe maio.

p. 407. 2) *Obſeruatio febris tertianae duplicatae intermittentis, poſt febrem putridam exortae et cum obſtructione alui pertinaci coniunctae;* a Cl. PLANCHON. Iuueni 23 annorum, a febre putrida hemitritea reſtituto, relicta eſt obſtructio alui pertinax, ac poſtea ille rurſus incidit in febrem tertianam duplicatam intermittentem cum ſpasmis abdominis et copioſa ſaliuatione. Cl. Auctor ſanguiſugis excitauit haemorrhoides, clyſmatibus et cortice peruuiano cum rhabarbaro primas vias purgauit, et aeger ſenſim conualuit.

p. 416. 3) *Obſeruationes taeniae ſiue vermis ſolitarii,* a Cl. POSTEL DE FRANCIERE. Obſeruauit VALISNERUS, corpora cucumerina, quae alii pro excrementis taeniae habuerunt, veros eius embryones eſſe, quos vidit ope mucilaginis ſe coniungere et ſiſtere catenam nodoſam, qua taenia componitur. Eiectio vermium cucurbitaceorum per anum certiſſimum exhibet ſignum taeniae, quam interdum excrementa mollia, ſtercori bouino ſimilia, indicant, reliqua ſigna minus certa ſunt. Symptomata vix periculoſa eſſe, declarat Cl. Auctor ex taeniae natura et eius ſede, quam occupat. Plurimi ſolis purgantibus et vermifugis, alii ſolius naturae beneficio conualuerunt. Saburra euacuetur, necentur hi vermes nouaque eorum generatio ſtomachicis amaris praecaueatur. Vomitoriis non ſemper opus eſt, purgantia ſint amara et reſinoſa; mercurius eiusque praeparata, vt aquila alba et aethiops, optime conuenit. Infantibus prodeſt decoctum mercurii vel

puluis vermifugus Cl. GEOFFROY cum ſtimulo laxante; in ſtatu putrido acida et temperantia antiſeptica ſuadenda ſunt. Ad curam prophylacticam potum coffeae et vini boni dulcis commendat Cl. Auctor. Oleum juglandium recentium cum vino alicantico vt ſpecificum contra taeniam praedicatur *).

4) *Obſeruationes choreae S. Viti*; a Cl. ALLIET. p. 432. Tres obſeruationes hic oſtendunt, cauſſam proximam huius morbi eſſe celeritatem et imperfectam elaborationem ſeri et lymphae in vaſis ſtagnantis, vnde progreſſus fluidi neruei irregularis redditur. Venaeſectio et purgantia **) non vnica ſunt eius remedia, potius perſpiratio ad ſudorem vſque aucta, exercitatio corporis, ſudorifera apta et ſtomachica neruina hunc morbum radicitus tollunt. Vt plurimum puellae accedente pubertate hoc morbo corripiuntur.

5) *Obſeruatio nonnullorum morborum verminoſorum*; a Cl. COULANVOUX. p. 441. Tricenarius, poſt tuſſim febre tertiana vexatus, ſumſit vomitorium, et deiecta taenia, conualuit. Alius 14 annorum in febre putrida continua tetano corripitur, attamen mixtura caſtoreata et anthelmintica, depulſis vermibus, hunc ſanum reddiderunt.

7) *Obſeruatio hydropis pectoris in empyema mutati*; p. 451. a Cl. FOUET. Tricenarius hydrope pectoris affectus paracentheſin ſuſtinuit inter 3 et 4 coſtam ſpuriam, et egreſſa aqua ſanioſa foetida, aeger per ſex dies bene ſe habuit. Cum vero poſtea emanaret materia ſpiſſa, et anxietas aucta mortem minaretur: ſuſcepta eſt operatio empyematis, cuius ope libra vna

*) vid. Commentar. hor. Vol. XII. P. IV. p. 646.

**) vid. Comment. hor. Vol. VIII. P. III. pag. 468. et Vol. XI. P. IV. pag. 653.

vna et dimidia puris ſpiſſi educta eſt, et vulnus tandem poſt tres menſes coaluit.

8) *Obſeruatio exſtirpati tumoris cancroſi linguae, et boni effectus pillularum cicutae in ſymptomatibus poſtea accedentibus;* a Cl. BIESHAAR. Ex ore, per ſpeculum oris diducto, protracta eſt lingua ope forcipis, et inciſione ſemicirculari tumor exſtirpatus; haemorrhagia aqua aluminis ſedabatur. Quamquam hac operatione omnis tumor ſublatus erat: vulnus tamen, accedente febre et oris inflammatione non prius claudebatur, quam cicuta in pillulis et gargariſmatibus adhibita eſt.

Menſe iunio.

p. 496. 3) *Hiſtoria anginae gangraenoſae epidemicae, quae graſſata eſt Charonae, tempore aeſtiuo anni* 1762; a Cl. DUPUY DE LA PORCHERIE. Pulſus omnium aegrorum erat paruus, frequens, cum calore et ſiccitate cutis, dolore capitis, vomitu billioſo, difficultate deglutiendi, febre plerumque continua coniunctus. Cauſſa proxima latuit in bile plus minusue euoluta, quae celeriter e primis ad ſecundas vias deducta caput et fauces affecit, ibique inflammationem lethalem excitauit. Venaeſectio ſemper nocuit, aqua mineralis cum nitro, ptiſana hordei cum aceto et nitro, purgantia lenia, gargaryſmata ex aqua hordei cum melle, ſpiritu ſulphuris et camphora plurimos ſanauit.

p. 509. 4) *Obſeruatio febris ſcarlatinae cum ſcabie retropreſſa et variis congeſtionibus externis complicatae;* a Cl. LANDEUTTE. Miles vicenarius, laborans ſcabie inueterata ſicca ſuppreſſa, ſubito incidit in febrem inflammatoriam, vt totum corpus rubore ſcarlatino obtegeretur, cum doloribus neruinis maximis; venaeſectiones vero et medicamenta temperantia morbum 17mo die ſuſtulerunt. Paulo poſt aeger in ſimilem

ſimilem febrem ſcarlatinam et delirium incidit; vndecimo die varii oriebantur abſceſſus in inguine, ad vmbilicum, ſub axillis, ad carpum, ſponteque rupti ſunt, tandem vſu abſorbentium et lactis haec difficilis cura finiebatur.

6) *Obſeruatio tumoris enormis in latere dextro cranii;* a Cl. VIELLARD. Vir, 34 annorum, nouem menſes poſt lapſum ſenſit, mediam partem oſſis parietalis dextri mollem eſſe ac preſſioni cedere; acceſſit tumor oui gallinacei magnitudine, mollis et preſſus ſub cranium deſcendens. Varia quidem remedia ſed fruſtra tentabantur, et aeger moriebatur. In ſectione cadaueris ſubſtantia vtriusque lobi cerebri naturali ſimilis apparuit, pars lobi ſub oſſe parietali dextro, cuius ambitus erat decem pollices, 4 vel 5 lineas depreſſa erat, quae cauitas baſin tumoris recepit. Detracto epicranio liquor ſanguinolentus emanauit, et tumoris ſubſtantia fuit ſpongioſa, membranoſa et fruſtulis oſſeis repleta, qua ſublata in cranio foramen remanſit, quod 9 pollices ambitu aequauit; ſubſtantia baſeos magis compacta durae matri arcte adhaeſit. p. 533.

7) *Obſeruatio noua, quae confirmat, nigrum colorem, quo interdum imbuuntur turundae et emplaſtra, non ſemper cariem indicare;* a Cl. STRACK. Femina laborabat abſceſſu inſigni ſub axilla dextra, a decubitu materiae arthriticae exorto; dilatatis ſinubus effluxit quotidie copioſa materia, et quarta vel quinta hebdomade pus foetidum, emplaſtra colore nigro inquinans, quamquam coſtarum caries non aderat; ſexta hebdomade diſparuit foetor, et nona abſceſſus coaluit. p. 546.

8) *Epiſtola* Cl. MARTIN ad Cl. ROUX, *continens obſeruationem vulneris tracheae.* Quadragenario vulnus quatuor pollicum cultri ope ad cartilaginem thyroideam et os hyoideum inflictum eſt; Cl. Au- p. 549

ctor vniit cutem in tribus punctis vulneris per ſuturam nodoſam, et balſamum ARCAEI applicauit; aucta febre altero die nodos ſuturae diſſoluit, atque vulnus 17mo die plane ſanatum eſt.

XXIII.

Theory and Practice of Chirurgical Pharmacy: comprehending a complete Diſpenſatory for the uſe of Surgeons; with explanatory and critical notes on each compoſition; and an introductory inquiry concerning the particular intentions of cure, in which remedies are applied, or adminiſtred; and the nature, and medicinal efficacy, of the ſeveral ſimples ſubſervient to them. London, printed for I. Nourſe. 1761. 8 mai. Alph. 1. pl. 9.

i. e.

Theoria et praxis pharmaciae chirurgicae; ſiſtens diſpenſatorium completum, uſui chirurgorum inſerviens, etc.

Cum Cl. Auctor, qui DOSSY dicitur, videret, adhuc deeſſe opus perfectum pharmaciae chirurgicae, atque inſtitutionem ſimplicium, a quorum vera cognitione ſelectus ac vſus medicamentorum pendet: ſcripſit hunc librum, in quo medicamentorum formulas iam cognitas, et rationales, et empiricas, ad claſſes redegit, iisque proprias adiunxit. Diuidit vero hanc pharmaciam chirurgicam in partem theoreticam et in partem practicam. Prior continet octo capita, in quorum 1mo definitio ac ſubiectum pharmaciae chirurgicae traditur; 2ndum examinat naturam corporis humani et diuerſorum ſymptomatum, quibus variae partes obnoxiae ſunt, vna cum indicationibus

curatoriis praecipuis; 3tium conſiderat naturam medicamentorum in praxi chirurgica adhibendorum, ſecundum praecipuas indicationes curatorias diſpoſitorum; 4tum de materia chirurgo-medica in genere differit; 5tum offert deſcriptionem et hiſtoriam medicam ſimplicium variorum, ad ordinem alphabeticum; 6tum indicat formulas peculiares medicamentorum et externorum et internorum, in praxi chirurgica occurrentium; 7mum tractat inſtrumenta et vtenſilia, quae ad pharmaciam chirurgicam pertinent; 8uum docet operationes chirurgicas, quae in pharmacia chirurgica requiruntur.

Pars ſecunda practica in tres libros diſpeſcitur, p. 185. quorum *primus* praeparationem et compoſitionem medicamentorum, vſui externo deſtinatorum, explicat, quas formulas Cl. Auctor excerpſit e Pharmacopoea Londinenſi et Edinburgenſi, nec non ex catalogo medicamentorum, quae Londini in Noſocomiis S. Thomae et S. Bartholomei in vſu ſunt, et ex pluribus aliis; attamen, non niſi eas elegit, quae maxime neceſſariae vel nonnullis morbis valde conuenientes ipſi viſae ſunt. Differit itaque capite 1mo de formulis ſiccis medicamentorum externorum, partim de corporibus plane ſiccis, partim de pulueribus; caput 2ndum conſiderat vnctuoſa medicamenta externa, emplaſtra, cerata, vnguenta, linimenta, cataplaſmata, epithemata; caput 3tium proponit fluida medicamenta externa, fomenta, clyſmata, embrocationes, collyria, gargaryſmata, tincturas, iniectiones, olea, balſama. Liber *ſecundus* p. 338. praeparationem et compoſitionem medicamentorum, vſu interno exhibendorum, docet, quae ex iisdem fontibus hauſit Cl. Auctor; et capite 1mo praeſcribit formulas ſolidorum ſic dictorum medicamentorum interne ſumendorum, nimirum pulueres, pillulas, bolos, electuaria; capite 2ndo formulas flui-

dorum medicamentorum internorum exponit, hau-
ſtus, iulapia, infuſa, decocta, tincturas, linctus et
p. 469. looch, emulſiones, mixturas. Liber *tertius* ordinat
varia medicamenta, et ſimplicia, et compoſita, ſe-
cundum eorum vires medicas, vel certas, vel puta-
tas, quibus inſeruiunt variis indicationibus curato-
riis, et quidem capite 1mo enarrat medicamenta
ad vſum externum apta; adſtringentia, quae in ſti-
ptica externa, repellentia et roborantia diuiduntur;
discutientia; agglutinantia; emollientia, quae vel
relaxando, vel anodyna vi, aut narcotica virtute,
aut refrigerio agunt; ſuppurantia; digeſtiua; deter-
gentia; defenſiua; incarnatiua; epulotica vel cica-
triſantia; cauſtica; antiſpasmodica; epiſpaſtica vel
veſicatoria; vulneraria; ſpecifica contra luem vene-
ream, ſcabiem, haemorrhoides, lepram et cancrum;
capite 2ndo medicamenta vſui interno conſentanea
refert, quae ſunt cathartica vel draſtica, ſ. purgan-
tia fortiora, vel eccoprotica et purgantia mitiora;
ſudorifera; diuretica; emetica; emmenagoga; cardi-
aca; alterantia, quae ſunt vel diſſoluentia, vel ſti-
mulo quodam reſoluentia, vel antiputredinoſa, vel
antacida ſ. abſorbentia; analeptica; adſtringentia;
antiſpasmodica, vel ſtimulantia, vel narcotica; dis-
cutientia; balſamica aut vulneraria; ſpecifica contra
luem veneream, podagram, ſcabiem, rabiem a morſu
canis rabidi, cancrum, gangraenam, ſtrumas, hae-
morrhoides, lepram.

Liceat nobis nonnullas proferre obſeruationes
ac formulas Cl. Auctoris, vt ratio huius libri magis
p. 186. conſpiciatur. Experientia edoctus eſt, *agaricum*
quercinum non ſemper ſedaſſe vulnerum haemorrha-
gias. *Amalgama mercurii* e raſura plumbi vel ſtanni
vt ſpecificum in cancro mammarum commendat.
p. 191. Similem naturam acquirunt *laminae plumbi cum mer-*
curio perfricatae, et ad glandularum tumores chro-
nicos

nicos diſcutiendos recte quidem adhibentur, certius autem id praeſtat vnguentum mercuriale. *Puluerem* p. 195.
myrrhae in acceleranda exfoliatione oſſium carioſorum maxime laudat. Pulv. talci, aqua cocti et ſo- p. 201.
luti ℥iv. cum ℥j. *balſami traumatici* mixtae, bonum conſtituunt *emplaſtrum agglutinans*. *Cereolos reſol-* p. 233.
uentes et emollientes compendioſius praeparare docet, quam Cl. DARAN; etenim ſumit cerae pur. ℥viij. ſperm. ceti ℥iij. pingu. porc. ℥ij. ol. oliu. ℥j. ceruſſ. ʒvj. Ceruſſam cum oleo et aqua coquit, reliqua ſoluta addit, et linteum, hoc liquore imbutum, in cereolos mutat, qui ſi cauſtici eſſe debent, ad ℥j. compoſitionis modo praeſcriptae addit ʒj. merc. praecipit. rubri, et ſextam pollicis partem tenuis extremitatis cereoli immergit. *Linimentum mercu-* p. 265.
riale pſoricum componit ex ol. oliv. ℥iij. cer. alb. ℥j. quo liquefacto, addit ʒij. merc. praecipit. albi, idque in ſcabie praeſtantiſſimum inuenit. *Cataplaſma* p. 278.
commune emolliens, ex lact. ℥vj. ol. oliv. ℥j. mic. panis q. ſ. factum, in tumoribus inflammatis maxime conuenire dicit. *Cataplaſma ad ecchymoſin* ex rad. ſigilli p. 280.
Salom. ℥iß. conſeru. roſar. et acet. aa ℥ß paratur.
Cataplaſma reſoluens, ex foec. vini et aceto vini aa p. 281.
℔ß. ſalis ammoniaci crudi ℥j. auen. excortic. q. ſ. compoſitum, optime reſoluit ſanguinem extrauaſatum. *Fotum emollientem* praedicat Cl. Auctor ex p. 300.
rad. althaeae, flor. ſambuci aa ℥j. ſem. lini ℥ß. coquatur in ℔iv aquae, donec ℔ij remaneant, quae colentur, et ℔j. decocti addantur ʒij. ſpir. ſalis ammoniaci; conuenit inprimis in magna inflammatione.
Embrocatio adſtringens ex ſach. ſaturni ʒj. alum. et p. 312.
vitrioli alb. aa. ʒß. ſoluantur in ℥j. tinct. roſar. ſoluantur porro ʒij terrae Iaponicae in ℥iß ſpir. vini rectif. vtraque ſolutio miſceatur, decantetur, et caute adhibeatur in eruptione aut congeſtione catarrhali. *Puluis diaphoreticus* DOVERI ex opio pu- p. 344.

 rificato,

rificato, rad. ipecacuanhae pulueriſ. glyzyrrhizae aa. ℥j. nitri et tart. vitriol. ana ℥iv, mixtus, certiſſime ſudorem mouere putatur, ſi a ℈j ad ℈ij. pro doſi
p. 348. exhibetur. *Mercurius alcaliſatus* fit ex mercurii purific. ℥iij. et pulv. lap. cancrorum ℥v. trituretur in mortario vitreo, atque doſis a gr. v. ad ℈j. in ſcorbuto
p. 366. commendatur. *Pillulas lithontripticas* praeparat Cl. Auctor ex ſapon. Alicant. ℥viij. calcis viuae pulueriſ. ʒj. ſalis lixiu. vegetab. ʒj. formetur paſta et pillulae ad ℈j. pondere, quarum 18 ad 24. vel 3 aut
p. 384. 4 ℥. pro doſi exhibere ſolet. *Bolum ecphracticum*, ex aloes ſuccotr. pulueriſ. gr. iv. vitrioli martis gr. iij. conſeru. abſinth. maritimi et ſyrup. cort. aurantiorum ana ℈j. certiſſimum eſſe emmenagogum, ſibi
p. 418. perſuadet. *Infuſum paralyticum* ex rad. armorac. et ſem. ſinap. aa. ℥j. canell. alb. ʒiij. aquae fontan. feruent. ℔jß. colatur. add. aquae ſem. carui ℥ij. in morbis neruorum ad ℥iv. pro doſi bis in die exhi-
p. 430. beri cupit. *Decoctum ſarſaparillae* in aqua ſimplici parum adiuuare ait in lue venerea, niſi cum tinct. ſublimati coniungatur; melius conuenire putat in
p. 438. podagra, rheumatiſmo, ſcorbuto. *Tinctura mercurii corroſiui ſublimati*, ex mercurii ſublim. pulueriſ. gr. x. ſpir. vini rectif. ℔j. conquaſſata in phiola, ſoluta, decantata, ſaepe miaſma venereum non radicitus tollit, interdum tormina, non raro aluum ſan-
p. 456. guinolentam producit. *Mixturam alcalino ſalinam* praeparat ex aquae fontan. ℔iß. ſalis tartari ℥ß. colaturae addit ℔ß. aquae menthae piperit. eamque praedicat in oedemate, vlceribus, hydrope, ſtrumis, podagra vaga, nephritide, cet. Si additur ʒj. nitri,
p. 458. appellatur *mixtura alcalino ſalina compoſita*, quae magis efficax eſt in oedemate, vlceribus et anaſarca.
p. 463. In diarrhoeis commendatur *mixtura contra diarrhoeam*, ex aqu. cinnam. ℥viij. gum. Arab. aut gum. Senegal. ʒiij. addantur cretae pptae ʒvj. aqu. menth. piperit.

piperit. ℥iv. ſpir. volat. aromat. ʒij. ſyrup. e maeconio ℥iij. Adiecit praeterea Cl. Auctor iudicium de vnaquaque formula, eius commodo ac incommodo, doſes atque cautelas praeſcripſit, omniaque ſuis obſeruationibus illuſtrauit.

XXIV.

De l'Air, de la Terre et des Eaux de Boulogne ſur Mer et des environs; nouvelle Edition, corrigée et conſidérablement augmentée, a la quelle on a joint Conſtitution epidémique, obſervée ſuivant les principes d'Hippocrate, a Boulogne ſur Mer, en l'année 1759; avec des Diſſertations ſur la maladie noire, les Eaux du Mont-Lambert et l'origine des Fontaines en général. Par M. DESMARS, Médecin, Penſionnaire de la Ville. a Paris, chez la Veuve de Denis-Antoine Pierres. 1761. 8. pl. 14.

h. e.

De aere, ſolo et aquis Bononiae in comitatu Picardienſi; editio noua, correcta et multum aucta; cui ſubnexa eſt conſtitutio epidemica, ſecundum principia Hippocratis anno 1759 Bononiae obſeruata; vna cum diſſertationibus de morbo nigro, aquis montis Lamberti et origine fontium in genere. Auctore Cl. DESMARS etc.

Bononia ſitum habet ad latus occidentale collis, montis Lamberti dicti, ad cuius radices ampla vallis eſt, quae a flumine, *Liannes* dicto, humectatur, atque bis de die per aquas maris inundatur.

 Supe-

Superior huius vrbis pars verſus regionem orientalem et auſtralem ſita eſt, et a vulturno inprimis perflatur, boreas autem et zephyrus minorem vim habent. Inferior vrbis pars in valle inprimis ſita eſt, et vix vllum ventum praeter eurum et euro-aquilonem admittit. Superioris partis ſolum ex ſtratis argillaceis et arenoſis formatur, in inferiore autem parte inſignis copia arenae ſolum format. Dum terra effoditur, fruſta cochlearum et lignum foſſile et ſilices ſingulares reperiuntur, quorum diameter pedem vnum vel ſesqui pedem aequat. Iidem interius excauati ſunt et cryſtallos continent, quae plerumque flauae et interdum albae ſunt, et in cuſpidem adamantinae ſimilem deſinunt. Praeter has autem ſaepe in cauitate horum lapidum parua fruſta ligni deſtructi ſeu lapilli incluſi reperiuntur. Tandem quoque arena marina petrefacta ſeu lapides arenoſi effodiuntur, quos ad conſtruendas cellas et
p. 11. culinas adhibent. Aqua putealis dura et impura eſt, magnamque copiam partium terreſtrium continet. Aqua fontana limpida eſt, ſaeuiente tamen tempeſtate et tempore pluuioſo turbida et albicans euadit. Fluuialis demum aqua turbida, craſſa terrisque calcareis et diſſoluta argilla referta deprehenditur.
p. 14. Aer magis humidus, quam ſiccus eſt, et quod ad calorem ac frigus ſpectat, vtrumque moderatum eſſe ſolet, ſi quidem inſignis copia aquarum tum frigus tum calorem moderatur. Inter ventos vulturnus inprimis et eurus vrbem perflant, iique interdum circa aequinoctium impetuoſi ſunt. Aeris conſtitutioni tribuit, quod animalia inprimis quadrupeda, reſpectu adiacentium prouinciarum minora ſint, et fructus obſcuriorem colorem, craſſioremque corticem habeant et parui ſint. Ex his autem organa firma et diutius aeris iniuriis reſiſtentia incolarum
p. 22. oriri coniicit. Illos bellicoſos et feroces eſſe, perhi-

perhibet, cauſſamque in eo, quod locum monteſum inhabitent, quaerit; ex magno autem ſenum numero et raritate morborum et foecunditate matrimoniorum ſalubritatem aeris huius vrbis elucere putat, ſimulque puellarum numerum puerorum numero ſuperiorem eſſe narrat. Inter quadrupeda inprimis pulli equini, vaccae, verueces, porci, apri, lepores, cuniculi, muſtelae et mures auellanarum minores praeter vulgaria copioſiores ſunt. Inter aues gallinaginum magna hic deprehenditur copia. Inter reptilia vipera nulla, coluber vero, lacertus vulgaris, ſalamandra, rana et bufo frequentes ſunt. Piſcibus tum marinis tum fluuiatilibus haec regio abundat. Inſecta e. g. papiliones, muſcae, cicadae paucae, cimices nulli, apes vero numeroſae ſunt; inprimis ſcarabaei, ceruus volans, ſcarabaeus rhinoceros dictus, ſcarabaeus paruus et ſcarabaeus maialis. Inter cruſtacea cancri et gammari et ſquilla, inter vermes lumbrici, et inter zoophyta ſepia et echinus marinus, ſtellae marinae et vrticae marinae eminent. Inter cochleas pectines inprimis praecipui ſunt. Inter vegetabilia indigena, variae arbores, plantae et fructus tum cereales, tum horaei, tum leguminoſi hic enumerantur. Victum incolarum, qui ruri viuunt, lacticinia et praecipue carnem porcinam ſalitam, potum vero vel aquam ſimplicem vel cum furfuribus coctam, poſtmodum fermentatam, conſtituere, et tabacum etiam et ſpiritus ardentes copioſe vſurpari, Noſter perhibet; de moribus eorum autem notat, eos non adeo laborioſos eſſe, eosdemque etiam ob domorum diſtantiam a ſocialitate, ſimulque etiam a vitiis, quae inde proueniunt, remotos eſſe. Remigum vitae genus a praecedenti valde differt. Plerumque piſcibus marinis viuunt, ſpiritum ardentem copioſe bibunt, et indeſinenter tabaci fumo vtuntur. Magnitudine et

p. 26.
p. 34.
p. 46.

firmitate corporis praeſtant. Fides morumque integritas multum laudatur. Morbis non adeo obnoxii ſunt; ſenes tamen plerumque coecitate et
p. 52. herniis laborant. Aliud eſt vitae genus et mores incolarum vrbis. Potus theae cum lacte ſemel, bis, immo ſaepius de die ingeritur; caeterum potus ordinarius cereuiſia tenuis eſt; vinum aqua dilutum a paucis tantum bibitur. Inter victum carnoſum praeter vaccinam, vitulinam et veruecinam, nulla alia caro in vſu eſt. Inter vina Burdegalenſe et Languedocenſe praecipua ſunt. Morbi endemici ab intemperantia vini et potulentorum fortiorum et abuſu potus calidi proueniunt. An autem ſalina aeris humiditas, quae ibi obſeruatur, incolas ad haec potuum genera inuitet, Noſter quaerit. Praeterea permultos aegrotantes, hydrope pectoris et aſcite, nec non phthiſi laborantes, et inter plebem inprimis morbos cutaneos et ſudorem foetidum obſeruauit.
p. 58. Anno 1750 dyſenteria, 1754 variolae, 1756 febres miliares, 1757 febres putridae malignae et 1759 anginae et morbilli praecipui morbi epidemici fuerunt, quos Noſter ab initio anni 1750 adnotauit. Hyemali autem tempore, inprimis ſi humiditas regnauit, fluxiones catarrhoſae, tuſſes et anginae, ſi autem gelida hyems feruentem aeſtatem exceperit, febres continuae apparuerunt. Quod ad curationem ſpectat, venaeſectiones minus frequentes inſtitui, veſicatoria contra et vomitoria crebrius vſurpari, et plurimas pleuritides tum veras tum ſpurias praecipue horum remediorum vſu debellari, curationem autem antiphlogiſticam SYDENHAMI moderamen ibi requirere, Noſter notat.
p. 63. Transeamus ad conſtitutionem epidemicam anno 1759 Bononiae obſeruatam. Praegreſſa hyeme leni et aeſtate humida tempore autumnali anni 1758 coelum nubilum, pluuia copioſa, interpoſitis nonnul-

nonnullis diebus ſerenis venti auſtrales, hyems admodum lenis, veri pene ſimilis, tumque itidem venti auſtrales, multa pruina, pauca pluuia, ver frigidum et ſiccum tumque venti copioſi, caurus nimirum et vulturnus, aeſtatis ſubſequentis calor inſignis et initium menſis auguſti pluuioſum, reliquum tempus minus conſtans obſeruatum eſt. Varii tunc morbi ſub diuerſis tamen temporibus epidemice graſſati ſunt, inprimis tuſſis conuulſiua, febres catarrhales, tumores glandularum colli, maxillarium et parotidum, in nonnullis teſticuli tumefacti, et tuſſis ſicca tempore autumnali obſeruata eſt. Durante hyeme in partibus corporis ſuperioribus eryſipelas et ſcabies ſicca, et vomitus fluxusque bilioſi homines infeſtarunt. Tempore vernali pleuritides et peripneumoniae et a menſe ianuario ad ſolſtitium aeſtiuum vsque morbilli inſimulque febres anginoſae, eryſipelaceae et miliares copioſae, nec non febres intermittentes tertianae regnarunt. Durante aeſtate et autumno dolores abdominales, morbi atrabilarii et nonnullae dyſenteriae homines excruciarunt. Tandem ſub initium autumni variolae in conſpectum venerunt, non adeo diu durantes.

Praemiſſa epidemiarum hiſtoria cauſſas horum morborum perpendit, et hic ad indolem regionis, anni tempora, ſiccitatem et humiditatem, ventos auſtrales et ſeptentrionales, tanquam ad cauſſas praecipuas, inſimul autem ad temperiem, aetatem et regimen aegrotantium attendit. His expoſitis comparationem Noſter inter febrem hanc anginoſam epidemicam et inter epidemias, quae ab HIPPOCRATE, et anno 1734 Plymuthi a Cl. HUXHAM, et anno 1759 Pariſiis eodemque anno Inſulae a Cl. BOUCHER, Albamalae a Cl. MARTEAU, et in locis vicinis vrbis Ham a Cl. DE BERGES obſeruatae ſunt, p. 81.

inſtituit.

inſtituit. De curatione praeſeruatiua poſthaec notat, domicilia, quae regionem auſtralem reſpiciunt, cum iis mutanda eſſe, quae verſus ſeptentrionem ſita ſunt. Dein munditiem commendat, potum calidum vero et ſomnum diu protractum et omne id vetat, quod humiditatem cerebri auget. Inter remedia, quae praeſeruant, exhibito prius leni purgante ad veſicatoria, inprimis nuchae aut collo applicanda, nec non ad cauteria reſpicit. Remedia autem, quae curationem abſoluant, vomitoria itidemque veſicatoria et pannorum laneorum, oleo et ſpiritu cornu cerui imbutorum, applicationem circa collum, praecipue profuiſſe notat.

p. 113. Deſcripta epidemia obſeruationem de morbo nigro communicat, et hunc morbum, qui vomitu inprimis ſtipatus eſt, et in quo materies nigricans, cruenta et foetens reiicitur, non a colore materiei per vomitum reiectae, ſed a colore cutis et oculorum liuido nomen accepiſſe, putat. Cauſſam huius morbi in materia atrabilaria indolis acidae, non vero alcalinae, quaerit, et curationem ſero lactis et abſtinentia alimentorum dulcium, pinguium et oleoſorum, vſu vero eorum, quae refrigerent et aluum laxent, abſolui perhibet. Praeterea purgationem capitis pauloque poſt inſtituendam venaeſectionem in brachio commendat, vini vero abuſum, concubitum, exercitia valida, ambulationem diu protractam, inſolationem, balnea calida et alimenta ſalſa et aromatibus condita prorſus interdicit.

p. 125. Vltimo diſſertationem de aquis montis Lamberti et de origine fontium in genere ſubnectit. Vt ex his perſpicimus, fontium aquae ſecundum Noſtri ſententiam a vaporibus ſubterraneis condenſatis oriuntur, hi autem per inſpirationem continuam, exſpirationi aequalem, perpetuo reſarciuntur. Quod ad aquas Bononienſes ſpectat, ſecundum

HIPPO-

HIPPOCRATIS ſententiam duas claſſes aquarum admittit. Aquae enim, eo opinante, vel ſunt durae, crudae et difficulter coquendae; huc etiam aquae minerales, ſalſae et eae pertinent, quae ex lapidum ſtratis oriuntur; vel aquae molles, dulces, tenues, limpidae et facile digerendae ſunt, quorſum ſpectant aquae pluuiae, et quae a collibus terreſtribus proueniunt. Ad priorum claſſem aquas montis Lamberti Noſter refert. Cum autem aquae durae et crudae temperamentis debilibus et delicatioribus noxiae ſint, eaedemque difficilius digerantur atque ventrem obſtipando et exſiccando, ſuperioribus partibus reſiſtentiam pariant, et verſus has partes maiorem humorum affluxum alliciant, expectorationem copioſam, catarrhos, aſthma, hydropem pectoris et affectus hypochondriacos incolis Bononienſibus ob memoratam aquarum indolem morbos familiares eſſe, Noſter colligit. E contrario fluorem album, fluxum hepaticum et lienteriam, ob eandem aquarum naturam raro ibi obſeruari, immo gonorrhoeas inueteratas vſu harum aquarum cito curari, perhibet. Albedinem porro dentium oſſiumque, vnguium magnitudinem et pilorum copiam pariter quoque inde deriuat; cumque ob eandem cauſſam tunicae vaſorum denſiores et rigidiores euadant, organa ſenſoria minus ſenſilia, hinc etiam imaginationem minus viuidam ibi deprehendi, ob id vero iudicium magis valere, notat. Cauſſam tandem, cur caput Bononienſium rotundum, collum breue, ſcapulae amplae et crura femoraue craſſa ſint, non in aere, ſed itidem in aquis quaerit. A duris enim crudis ſalſisue aquis duritiem, rigiditatem et reſiſtentiam viſcerum abdominalium aeque ac vteri prouenire, hinc foetum fortius retineri magisque comprimi et formam corporis deſcriptam acquirere, Noſter arbitratur.

XXV. PE-

XXV.

PETRI CAMPER Demonſtrationum anatomico pathologicarum Liber ſecundus, continens peluis humanae fabricam et morbos. Amſtelaedami apud Ioannem Schreuder et Petr. Mortier. 1762. Fol. imper. pl. 14. tab. aen. 3. cum duab. tab. aen. linear.

Cum iam eo loco, quo primum huius elegantiſſimi operis librum indicauimus, de conſilio ſcribendi Cel. Auctoris ſatis a nobis expoſitum ſit *), hoc nunc ſilentio praeterire nobis liceat. Sufficiat itaque monere, id agere potiſſimum Noſtrum in altera hac demonſtrationum parte, vt peluim humanam, plurimorum certe morborum ac vitiorum ſedem, quoad fabricam et morbos deſcribat. Dicit autem Cel. CAMPER potiſſimum de virili pelui, pauca enim ſunt in hoc opere, quae ad foeminarum peluim eiusque morbos pertinent. Tota vero tractatio in ſex capita ab Auctore diuiſa eſt, atque in
p. 1. eorum primo *de ligamentis, cartilaginibus, oſſibus et muſculis circa peluim poſitis eorumque affectibus* agitur. Synchondroſin oſſium pubis in partu mobilem eſſe confirmatur. Non modo iunioribus, vti HIPPOCRATES aſſeruit, quibus cyphoſis in dorſo infra ſeptum exiſtit, ſed et iis, quibus gibbus ſupra ſeptum accidit, abſceſſus ad ilia et inguina proueniunt, non ex conſenſu quodam inter has partes, ſed propter aponeuroſes ex ligamento vertebrarum communi anteriore prouenientes, quorum ductum pus deſcendens ſequitur. Coccygei muſculi vſum in eo potiſſimum conſiſtere Cel. CAMPER autumat, vt is ligamento ſacro-iſchiadico robur addat, quo illud valen-

*) vid. Comment. Vol. X. P. III. p. 503.

valentius contractioni et vi muſculorum abdominalium et ſepti transuerſi reſiſtere poſſit. Ligamentum urethrae triangulare mediam quaſi inter muſculum atque ligamentum naturam habet, atque cum in ſectione calculi magni momenti ſit, a Noſtro accurate hic deſcribitur et delineatur. Fibras eius radiatim diſpoſitas vere muſculares eſſe, Cel. CAMPER adfirmare non audet, vidit tamen hoc ligamentum in cadauere aliquo fere totum muſculare.

Caput ſecundum *de arteriis venisque peluis et perinaei* inſcribitur. De arteria pudenda interna Cel. CAMPER monet, omnes fere anatomicos eam in figuris ſuis obſcure admodum exhibuiſſe, ne HALLERO quidem excepto, de cuius quinque tabulis vaſis ſanguiferis peluis deſtinatis conqueritur, in iis fere omnia extra ſitum picta eſſe, vaſaque cera turgida et a vicinis ſeparata exſiccataque mirum in modum *capreolizantia* delineari. Plexus et circuli venarum hypogaſtricarum, qui a pudenda proueniunt, egregie deſcribuntur. p. 5.

Capite tertio Cel. Auctor *de neruis intra peluim et in perinaeo conſpicuis* exponit. De neruo obturatore notat, ob eius compreſſionem ex diuerſo foetus ſitu in vtero incluſi, grauidas de ſtupore ac dolore femoris ſaepe conqueri, quae tamen ſymptomata mutato foetus ſitu breui ceſſant. Iſchiadicum plexum, et nerui intercoſtalis in pelui fines inprimis accurate deſcribit, et ſymptomatum quorundam, ex neruorum variorum inter ſe coniunctione, explicationem, huic neruorum deſcriptioni adnectit. Sunt vero ea: pedum tremor in hyſtericis, in quibus omnia ſymptomata ex acrimonia putrida in primis viis praeſente prouenire putat; nonnulla ſymptomata colicae pictonum, ſymptomata, quae gibboſis ex compreſſione partis inferioris medullae ſpinalis et neruorum extremitatum inferio- p. 6.

rum

rum ſuperueniunt, et alia, quae in expulſione foecum in partu et in calculoſis obſeruantur. Colicus dolor et diarrhoea a pedum refrigerio explicantur, per ramos nerui iſchiadici in planta pedis diſtributos, horumque ramorum cum neruo intercoſtali coniunctione.

p. 9. Capite quarto *de figura et ſitu partium, in calculoſorum curatione ſcitu neceſſariis, et de inciſione veſicae ſecundum* RAUIUM, CHESELDENUM *aliosque* diſputatur. Multas easque egregias obſeruationes hoc caput continet; ex quibus pauca ſpeciminis loco adducamus. Pertinent vero omnia, quae hic dicta ſunt, ad explicationem tabulae ſecundae et tertiae. Atque in earum priore potiſſimum Noſter partes, in perinaeo ſitas, prout eae ſe ſcalpello in ſectione calculi offerunt, in diuerſa ſpatia diſtinctas, delineari curauit. Inprimis vero damna, quae ſcalpello non rite ducto, ſed aberrante, ex laeſione vaſorum aliarumque partium oriri poſſunt, indicat. Glandulas a COWPERO dictas Noſter, cum rariſſime reperiantur, ſemel tantum vidit, et depingi curauit. Veſicam vrinariam pauci, forſan nulli in vero ſitu exhibuerunt. Hinc Cel. CAMPER ſynchondroſin oſſium pubis, et os ilium pone acetabulum ſerra diuiſit, muſculosque abſtulit, vnde effectum eſſe putat, vt in figura adiecta omnia in ſitu, maxime naturali ſimillimo, delineata ſint. Veſicam homo in dorſo cubans totam euacuare nequit. Hinc diuturnus in dorſo decubitus in adultis, non tamen vti LEEUVENHOECKIUS aſſeruit in pueris, calculi generandi cauſſa exiſtere poteſt. Contra Cel. LIEUTAUD, qui circa locum, vbi oſtium veſicae cum vrethra committitur, eminentiam aliquam et corpuſculum deſcripſit, quod *vuulam corpusque trigonum* dixit *), Noſter monet, eſſe eminentiam hanc in

*) vid. Memoir. de l'Acad. des Scienc. a. 1753.

in paucis alicuius momenti, minime tamen negari poſſe, eam aliquando in tumorem eleuari. Credibile interim CAMPERO videtur, caput gallinaginis frequentius, quam vuulam modo deſcriptam vrinae iter obſtruere, cauſſamque eſſe, cur catheter in veſicam compelli non poſſit, cum oſtium capitis gallinaginis aliquando tam amplum ſit, vt ſpecilli apicem recipiat. De hac aliisque cauſſis, quae impedire ſolent, quo minus catheter veſicam ingrediatur, egregia multa Noſter monet. Quae Cl. POUTEAU de proſtata adfirmauit, eam ſcilicet facile digitis lacerari poſſe in calculi ſectione, et quidem in illa directione, qua inciſa eſt, per CAMPERI obſeruationes magis adhuc confirmantur. Aliquoties vidit veſicam vrinariam ſcirrhoſam ac circa calculum ita conſtrictam, vt is omnem vrinae per vreteres acceſſum plane impediret. Hinc vreter maxime dilatatus, peluisque renalis valde expanſa erat. De catheteribus porro Noſter agit, Rauianum, Cheſeldenianum et Sharpianum deſcribit, atque putat, omnes fiſtulas mediae curuaturae, ſi tantum aliquo modo incuruae ſint, catheterum loco adhiberi poſſe. Catheteres ſigmoideae figurae, quales veteres adhibuerunt, facillime, vbi obſtaculum in vrethra eſt, quia non dirigi poſſunt, haerent. Caeteris vero omnibus, ſi via libera eſt, vrgente neceſſitate diutius intra veſicam relinquendi ſunt. Apices vero horum trium catheterum, quos deſcripſit, monet, nimis longos eſſe. Addit de exploratione per catheterem in vniuerſum quaedam, iubetque, curuaturam catheterum pro varia aetate eorum, qui explorandi ſunt, ita aptari, vt RAUII catheter in infantibus trium vel quatuor annorum, CHESELDENII, quo cum catheteres, quos in Gallia nunc adhibent, conueniunt, in hominibus mediae aetatis, SHARPII vero catheter in reliquis adhibea-

hibeatur. Reiteratam explorationem ante calculi ſectionem ipſam reiicit. Methodum ſectionis calculi ſecundum RAUIUM inprimis deſcribit Cl. Auctor, nam in aliis lithotomiae methodis explicandis nimis forte breuis eſt. Confirmat, impoſſibile eſſe, veſicam, non vero ceruicem eius, cum RAUII inſtrumentis incidi cum tamen Ill. ALBINUS contrarium a RAUIO factum eſſe dixerit. Addit, RAUIUM non ſemper eo cum ſucceſſu calculoſos ſecaſſe, vti ille ipſe gloriatus eſt, ſed ex diario, quod Amſtelaedami iuſſu magiſtratus in collegio chirurgico de ſectis a calculo ſeruatur, probat, ex 22, in quibus RAUIUS operationem inſtituerit, quatuor demortuos eſſe. De directione inſtrumentorum in calculi ſectione in vniuerſum monet, ſemper ea ita eſſe adigenda, vt axis eorum peluis axi parallela ſit. Hinc iubet, aegros in tabula alta ita collocari, vt chirurgus ſectionem in eadem directione, qua incepit, abſoluere poſſit. Addit quaedam de calculi curatione in foeminis et punctura veſicae. Laudat potiſſimum in punctura veſicae inſtituenda acum triquetram et methodum, qua Cl. FLURANT *) pro hoc ſcopo vtitur. Cannulam vero magis incuruam et breuiorem parare iubet.

In capite quinto *de veſicae, inteſtini recti, aliisque fiſtulis in perinaeo et circa anum ſitis, ſeu inter veſicam et*

*) vid. Cl. POUTEAU *Melanges de Chirurgie* p. 500. Comment. horum Dec. I. Suppl. I. p. 157. Vtitur Cl. FLURANT acu triquetra incurua, quae apud Cl. POUTEAU l. c. et apud CAMPERUM picta eſt. Punctionem vero per inteſtinum rectum retro veſiculas ſeminales eo in loco inſtituit, vbi digitus index ſiniſtrae manus fluctuationem aquae in veſica haerentis percipit. Mox inſtrumentum cuſpide intra cannulam latente manu dextra ſecundum ſiniſtrae manus indicem applicat, et acum in veſicam compellit.

et inteſtinum hiantibus, diſputatur. Vidit Noſter fiſtulam, ab ea parte, qua inteſtinum ileum cum coeco committitur, ad veſicam vsque penetrantem, vnde aeger cum vrina ſaepe varia ex adſumtis eiiceret. Orta autem haec fiſtula erat poſt colicam inflammationem. Alia eſt obſeruatio de oſſiculis foetus extrauterini per inteſtinum rectum excretis, ex quo inteſtino contra fiſtula in vuluam patebat. Videtur tempore partus poſt conamina irrita foetus ex tuba in abdomen transiiſſe, ibique in putredinem abiiſſe. Addit Cl. CAMPER alia de fiſtulis poſt ſectionem calculi aut ex venerea labe oriundis. Credit, in curatione fiſtularum ani inciſionem ſolam integrae fiſtulae ſufficere, forfice vel ſcalpello vtcunque formato factam. Vulnera, quae cum forfice facta ſunt, aeque facilius ac alia, quae cum inſtrumento minus obtuſo fiunt, ſanantur. Circa methodum, qua Galli vulgo nunc in curatione fiſtularum ani vtuntur, dum ſcilicet ſpecillum argenteum, longum vel latum flexileque, in fiſtulam demittunt, et extremis foras ductis totam partem callo obſeſſam attrahunt et ita abſcindunt, monet, eam optimam fore, ſi ad finem curationis pars vitiata retineri poſſit. Sed extenuatur primum, deinde ſpecillum prolabitur, ita vt propter carnis laxitatem ſcalpellum non admittat.

Caput ſextum *de veſicae herniis, atque de inteſtinis in perinaeum et in foramen oſſis pubis ouale prolapſis* tractat. Variae hoc loco obſeruationes notatu dignae adducuntur, vt duplicis herniae circa vaſa obturantia in ſenili cadauere obſeruatae; herniae iuxta neruum iſchiadicum, inter ligamentum ſacro-iſchiadicum, os ilium et os latum, in foeminino cadauere viſae, quam herniam dextrum ouarium praeter naturam magnum ingrediebatur; et herniae veſicae inguinalis in canibus duobus. p. 17.

 Super-

Supereſt, vt ad Lectores de tabulis aeneis a Cel. CAMPER huic ſecundo demonſtrationum anatomico-pathologicarum libro additis referamus. Prima tabula figuras duas continet, in quarum priore peluis virilis ita delineata eſt, vt vertebrae lumborum et ſynchondroſis oſſium pubis diſſectae ſint, quo inprimis ſanguifera in pelui diſtributa vaſa in vero ſitu conſpici poſſint. Inprimis vero lineam propenſionis peluis et axin eius indicauit. In poſteriore tabulae primae figura plexus nerui iſchiadici, coniunctionesque intercoſtalis nerui cum ſacro exhibentur. Secunda tabula figuras continet inferioris partis peluis, partiumque in perinaeo ſitarum, quae eo ordine, quo ſe ſcalpello in ſectione calculi offerunt, per ſtrata quaſi effictae ſunt. Loca inciſionis vbique indicantur, additaeque ſunt figurae muſculi transuerſi perinaei alterius, acceleratoris, et glandularum COWPERI. Prima tabulae tertiae figura lateralem virilis peluis ſectionem oſtendit, quo omnes partes, ad quas in calculi ſectione attendendum eſt, in naturali ſitu appareant. In ſecunda veſicae cauum internum et vrethrae iter ſimili ſectione adhibita exhibentur. Reliquae figurae ad catheterum varias ſpecies, eorum applicationem, vniusque ſpeciei prae altera praeſtantiam declarandam, tandemque ad acum tricuſpidem FLURANTII in vſum punctionis veſicae per inteſtinum rectum pertinent.

XXVI.

Phyſiological Eſſays, containing: I. an Inquiry into the Cauſes, which promote the Circulation of the Fluids in the very Small Veſſels of Animals. II. Obſeruations on the Senſibility and Irritability of the Parts of Men, and other Animals, occaſioned by M. DE HALLER's late Treatiſe on thoſe Subjects. The ſecond Edition corrected and enlarged. With an Appendix, containing an Anſwer to M. DE HALLER's Remarks in the IV Volume of the *Memoires ſur les parties ſenſibles et irritables.* By ROBERT WHYTT. M. D. F. R. S. Phyſician to his Majeſty, Fellow of the Royal College of Phyſicians, and Profeſſor of Medicine in the Uniuerſity of Edinburgh. Edinburgh, printed by Hamilton, Balfour and Neill. 1761. 8. 1 Alph. 4. pl.

i. e.

Tentamina phyſiologica, quae continent: I. Disquiſitionem cauſſarum, quae circulationem fluidorum in vaſis animalium minimis promouent. II. Obſeruationes de ſenſibilitate et irritabilitate partium corporis humani, aliorumque animalium, occaſione nuperi ſcripti Cl. DE HALLER circa hanc rem. Altera editio aucta et correcta. Cum appendice, in qua reſpondetur ad animaduerſiones Cl. DE HALLER in Vol. IV. Commentariorum de partibus ſenſibilibus et irritabilibus. Auctore ROBERTO WHYTT.

In tanto librorum numero, quantus a nobis perquirendus, et in hos commentarios transferendus eſt, cum facile fieri poſſit, vt effugiat aliquis oculos noſtros: veniam ſperamus facilius nobis eſſe conceſſuros, qui tum priorem tum nouam hanc tentaminum phyſiologicorum Cl. WHYTT editionem per aliquot annos deſiderauerint, quorum quidem tentaminum notitiam tam ſero ad lectores perferri poſſe omnino dolemus. Eſt autem libri, cuius titulum hic dedimus, altera haec editio, cum prima anno 1754 prodierit. Vt ex titulo iam intelligitur, duos libellos continet, quorum primo *de motu humorum per vaſa minora*, altero *de ſenſibilitate et irritabilitate* Cl. Auctor diſputat.

Priorem libellum iam anno 1745 et 1746 in Societate medica Edinburgenſi WHYTTIUS praelegit. Agit vero in eo de cauſſis, quae motum humorum per vaſa minora efficiunt, cumque putet, cauſſas huius motus, quae vulgo proponuntur, non ſufficere, confirmat ſententiam iam olim ab Ill. DE GORTER propoſitam, atque motum oſcillatorium vaſorum minimorum tanquam cauſſam mo-
p. 5. tus humorum per ea ipſa vaſa conſiderat. In huius autem argumenti tractatione ita verſatur, vt primo oſtendat, vim cordis, contractionem arteriarum, grauitatem humorum et attractionem vaſorum minimorum, quae omnia ab aliis pro cauſſis motus humorum per minima vaſa habentur, hunc humorum tranſitum neutiquam efficere poſſe. Quamquam enim cordis vis humores vsque ad vaſorum minimorum initia propellere poteſt, vis tamen a corde accepta liquores per vaſa omnium minima, v. c. per illa, ex quibus nerui oriuntur, vrgere haud valet, cum omnis fere ea vis in ſuperanda frictionis reſiſtentia pereat. Vim, qua ventriculus ſiniſter ſangui-

ſanguinem in aortam propellit, aequalem Cl. WHYTT eſſe aſſumit preſſioni columnae ſanguinis ſeptem pedum et dimidii. Globuli autem rubri pondus, ad principia a KEILIO propoſita, ad granum eſſe putat, vti 1 ad 50000000, hinc vim cordis in arteriolam capillarem globulum vrgentis non eſſe maiorem duplo pondere eiusdem, atque ſi cauſſae, quae vim progreſſiui motus minuunt, vt frictio etc. deducantur, ne tertiam quidem partem p. 18.
ponderis eiusdem aequare, id eſt talem eſſe, quae globulum per has anguſtias neutiquam promouere poſſit. Porro cum cordis vis ſexaginta circiter librarum ſit, area autem ventriculi ſiniſtri quindecies maior, quam area arteriae aortae: ſequitur, ad ſuperandam reſiſtentiam in aorta, quae circiter duarum librarum eſt, vim omnem ſexaginta librarum requiri, id eſt vim totius ventriculi, vt itaque ſecundum Noſtri mentem vis cordis, qua ſanguis in arteriam aortam propellitur, ne quidem duarum librarum ſit. Contractio vero arteriarum magis eſt p. 31.
continuatio motus et vis cordis, quam noua quaedam vis aut impulſio ſanguini arterioſo communicata. Eſt enim contractio arteriarum aequalis dilatationi eorum, neque pertingit haec ipſa contractionis vis ad minora vsque vaſa, cum ex disciſſa arteria ſanguis in ſyſtole ventriculi ſemper altius proſiliat, quam in ſyſtole arteriarum, neque pulſus in vniuerſum in minimis vaſis animaduertatur. Globulorum grauitas, a BORELLO vt cauſſa motus humorum per vaſa minima adſumta, ſanguinis per ea vaſa tranſitum nullo modo promouere poteſt, quia ſanguis in diuerſo corporis ſitu per ea contra omnes grauitatis leges mouetur. Attractio autem vaſorum minimorum, quae ſimilis ſit vi attractrici vaſorum capillarium, ideo locum habere nequit,

 quia

quia vaſa illa plena ſunt, quae ſi quoque vti capillaria agerent, humores eodem modo a venis retro ad arterias, quam ex arteriis ad venas vrgerent.

p. 35. His praemiſſis Cl. Auctor propius ad argumentum, de quo agit, accedit, atque probat, vibratorium aut oſcillatorium vaſorum minimorum motum eſſe cauſſam primariam motus humorum per ea ipſa vaſa. Adſcribit ſcilicet Cl. WHYTT vaſis minimis alternam quandam contractionem aut expanſionem, quae non a motu cordis et arteriarum pendet. Cum enim vaſa haec minima fibris muſcularibus non plane deſtituantur, ſtimulus fluidorum, quae per haec vaſa transeunt, leuem quidem, attamen ſemper repetitam contractionem producere poteſt. Atque ad hunc ſtimulum efficiendum ſanguis, tum ob naturam particularum, ex quibus componitur, tum ob calorem motumque inteſtinum aptiſſimus eſt. Multi profecto corporis humani canales ſtimulantur ad contractionem et alternum motum per fluida, quae in illis continentur, vti v. c. inteſtina, cor, arteriae etc. Sufficere autem hunc ipſum vibratorium vaſorum minimorum motum ad humores ſine cordis auxilio mouendos, exempla animalium, quae omnino cor nullum habent, atque monſtrorum, quae ſine corde nata fuerunt, probant. Porro vaſa minima, ſine adiumento actionis cordis et maiorum vaſorum, motricem quandam vim habere, oſtendunt lacrumarum et ſaliuae profluxus a ſtimulo affluxus humorum ad locum irritatum et dolentem, et geneſis inflammationis. In apoplecticis, motu cordis et arteriarum ſuperſtite, tamen oſcillatorius vaſorum minimorum motus perit, ſecretioque humorum tenuiſſimorum ita turbatur, vt v. c. ſplendor oculorum in cornea plane pereat, humoris aquei ſecretione plane impedita. In animalibus minoribus microſcopio ſubiectis Cl. DE HAL-

HALLER corde euulſo globulos ſanguinis adhuc antrorſum retrorſumque moueri vidit, ipſumque vaſorum minimorum motum oſcillatorium BAKERUS in cimicis pede obſeruauit.

Iam Cl. WHYTT duabus obiectionibus obuiam ire ſtudet, quarum prior eſt, nos oculis, vel optimis microſcopiis armatis, oſcillatorium vaſorum minimorum motum videre non poſſe, ideoque nullum eſſe. Probat itaque, illum ne oculo armato quidem conſpici poſſe, cum ea contractio in vaſe $\frac{1}{2000}$ pollicem lato non ſit maior $\frac{1}{150}$ma diametri ſui vaſculi, atque adeo $\frac{1}{300000}$ pollicis. Altera obiectio eſt: vaſa minima cum valuulis deſtituantur, alternis ſuis contractionibus aeque nocere poſſe ac prodeſſe humorum circulationi, cum eos eodem modo repellere, quo propellere, poſſint. Putat autem Noſter, regreſſum humorum impediri a cordis vi, arteriaeque aortae valuulis, et contractione omnium arteriarum, forteque in vaſis minimis hunc motum eadem ratione contingere, qua in inteſtinis periſtalticus motus fit, vt prius pars cordi propior, deinde reliquae ſucceſſiue contrahantur.

p. 55.

p. 58.

In vaſis minimis glandularum et in neruis, licet ii quoque ex parte eodem modo agant, ac tubuli capillares, fluida ſimili oſcillatorio motu promoueri docet Cl. Auctor. In genere autem ex hypotheſi ſua declarare ſtudet cauſſam, cur frictiones, ſtimulantes fomentationes, aquarum mineralium ſtillicidia, aliaque eiusmodi remedia exterius applicata ſaepe plus, quam medicamenta interne adſumta, in reſerandis obſtructionibus praeſtent, oſcillatorium ſcilicet vaſorum minimorum motum excitando augendoque. Atque ex hoc ipſo quoque motu deriuat Cl. WHYTTIUS inflammationem, quae non ab omni, ſed ab eiusmodi tantum obſtructione oritur, in qua vaſa minima quoque irritantur. Hinc

p. 59.

motus cordis et arteriarum auctus non eſt cauſſa inflammationis; ſed ſaepe inflammationem ob neruorum irritationem ſequitur. Quapropter in medenda inflammatione non tantum medicus nimium humorum motum compeſcere, ſed et potiſſimum ad vaſa affecta reſpicere debet. Atque haec cauſſa eſt, cur veſicatoria in pleuriticis morbis et angina tam vtilia ſint, pulſusque velocitatem infringant. Quamquam enim veſicatoria, ſtimulo ſuo neruos irritando, humorum motum augent, tamen ſanguinis ad partem adfectam impetum diminuunt. Sinapismi eadem fere ratione delirium leuant, dum dolorem excitant, vehementia ſua dolorem in altera parte ortum minuentem. Hinc nerui ita adficiuntur, vt ſtimulum in parte adfecta, qui delirium excitat, non amplius ſentiant, qua ratione delirium leuatur.

p. 70. Agit tandem Noſter de humorum motu in vaſis minimis abſorbentibus, v. c. lacteis. Vaſa lactea abſorbent natura ſua, quae iis cum capillaribus vaſis communis eſt, accedit tamen chyli quoque irritatio, quae vibratorium quendam motum in iis excitat. Quamquam venae reſorbentes in inteſtinis valuulas nullas habent, tamen chylus in iis non regreditur, quia, dum ſtimulus ſucci reſorpti ramos minores prius, quam truncum adficit, illi quoque prius contrahuntur, quam truncus. Accedit, quod orificia eorum in contractione inteſtini quoque conſtringantur, ita vt ſuccus in iis contentus non redire poſſit.

p. 95. In *obſeruationibus de ſenſibilitate et irritabilitate*, contra HALLERI libellum in II Volumine actorum Societatis Gottingenſis directis, Cl. WHYTT primo de ſenſibilitate diſputat. Multa profecto, quae hic proponuntur, iam Lectoribus ex iis nota erunt,

quae

quae Ill. DE HALLER ad Cl. WHYTT obiectiones variis in ſcriptis reſpondit, interim officii noſtri memores, praecipua ſecundum ordinem Auctoris enarrabimus, HALLERI reſponſiones alio tempore adducturi. Iis, quae HALLERUS de ſenſibilitate omnino propoſuit, breuiter recenſitis, primo partes, quas HALLERUS ſenſu deſtitui vult, WHYTTIUS in ſtatu ſano et naturali, vti in experimentis HALLERI fuerunt, conſiderat; deinde in morboſo ſtatu, ſiue laeſae fuerint per experimenta, ſiue per alias cauſſas. Conſiderari in his experimentis inſti- p. 104.
tuendis primo iubet illud HIPPOCRATIS: *duobus doloribus ſimul obortis non in eodem loco, vehementiorem obſcurare alterum.* Quapropter mirum non eſſe putat, ſi animalia, in quibus partes valde ſenſiles diſſectae fuerunt, in ſubſequente irritatione aliarum partium, non adeo ſenſibilium, nulla doloris ſigna edant. Medullam oſſium ſentire, praeter alia p. 108.
argumenta, experimento probatur, a Cl. ALEX. MONRO iuniore poſt amputationem brachii inſtituto. Cornea omnino ſentit, quamquam in extractione p. 111.
lentis non adeo multum dolet, ob vulnus celeriter cum acuto inſtrumento inflictum. Sic renes quoque dolere, experimentum in homine, in quo nephrotomia inſtituta fuit, factum docet, atque argumentum HALLERI, a calculis in renibus ſine vllo aegroti dolore latentibus, deſumtum, probat tantum, calculos hos ita ſitos fuiſſe, vt renem non laedere poſſent. Glandulas tandem ſentire, dolores, qui poſt laeſionem teſticuli aut mammae ſuperueniunt, probant. Neque arteriae ſenſu carent, cum in inflam- p. 117.
matione dolor oriatur, ex earum diſtenſione, neque vllo modo inflammatio in parte quadam fieri poſſit, niſi dolor praeceſſerit, qui neruos irritando, oſcillatorium vaſorum minimorum motum auxerit. Multae quoque partes pro diuerſo ſtatu vel ſano vel

aegroto

aegroto ſentiunt, aut ſenſu carent, vt tela celluloſa,
p. 122. oſſa, dura mater, etc. In genere enim multae partes, ſi inflammatae, vel alio modo laeſae fuerint, dolent, et acute quidem, in quibus in ſtatu ſano laeſis nulla ſenſatio oritur. Dolorem, qui venae medianae inciſionem nonnunquam ſequitur, non ex laeſione tendinis bicipitis, ſed ex mediano aut alio quocunque neruo prouenire putat HALLERUS. Quaerit tamen Noſter, cur ſymptomata, quae neruo in ſectione venae iugularis laeſo animaduertuntur, adeo ab iis differant, quae hic obſeruantur? In aegroto, qui mortuus erat ex febre, poſt vulneratam in venaeſectione aponeuroſin bicipitis orta, Cl. WHYTT tendinem bicipitis vidit decies craſſiorem naturali ſua craſſitie factum eſſe. Praeter alia, quae ligamenta facultate ſentiendi non deſtitui probant, docet haec inprimis obſeruatio Cl. MONRO, qui animaduertit, toties ſummum dolorem et inflammationem oriri, quoties ex articulatione genu aqua ibi collecta per vulnus capſulae lanceola inflictum emittebatur.

p. 135. De *irritabilitate* agere Noſter pergit, et arterias minores irritabilitate non deſtitui, ex inflammatione probat, quae applicationem acrium cataplásmatum ſequitur. Idem quoque valet de venis minoribus, vaſis renum ſecretoriis, et de iis, quae ſaliuam excernunt, atque de vreteribus, quas partes omnes irritabiles eſſe WHYTTIUS contra HALLERUM defendit. De vreteribus potiſſimum experimentum, HALLERI ſententiae contrarium, a Cl. MONRO
p. 144. iuniore factum adducit. Pupillam poſt mortem dilatari negat, confirmat potius, eam anguſtari, additque illam, etiamſi quodammodo poſt mortem amplietur, tamen breui poſt iterum contrahi. Orbicularem in vuea muſculum adeſſe, ex effectu tantum

tum eius et actione concludit, quamquam in diſſectione oculi talis muſculus non apparet.

Quae vero Ill. DE HALLER argumenta adduxit, quibus, irritabilitatem inſitam eſſe fibrae muſculari qualitatem, quae non a neruo pendeat, probare ſtuduit, ea fuſius Cl. WHYTT refellit. Hinc ad primum Ill. HALLERI argumentum: partes maxime ſenſibiles, neruos ſcilicet et cutem, non eſſe irritabiles, ita reſpondet, vt cutem irritabilem faciat, atque tres gradus irritabilitatis partium corporis humani aſſumat, quorum gradus primus in muſculis, ſecundus in cute, tertius vero in vaſis minoribus ſit, quae ab acri quocunque ſtimulo applicato ita afficiuntur, vt inflammatio oriatur. Alterum argumentum HALLERI eſt: irritabilitatem partium non eſſe in aequali proportione cum ſenſibilitate earum, ad quod probandum ventriculi cordisque exemplum adduxit, quas tamen partes ſenſu acuto deſtitui Noſter negat. Aſſerit tandem HALLERUS, partes nonnullas, facultate ſentiendi carentes, tamen irritabiles eſſe, muſculorum exemplo vſus, qui, neruo ad eos pertinente ligato aut deſtructo, tamen irritabilitatem ſuam per aliquod tempus adhuc conſeruant. Reſpondet WHYTTIUS, irritationem neruorum aut medullae ſpinalis poſt mortem validas conuulſiones in muſculis excitare, atque deſtructa in rana medulla ſpinali, muſculorum irritationem, quam antea conuulſiui excipiebant motus, tremulam nunc contractionem tantum producere, neque vllum amplius conſenſum inter muſculos aut alias partes ſupereſſe. Irritabilitas autem in muſculo, cuius neruus deſtructus eſt, ſuperſtes oſtendit, fluidi neruei aliquam copiam adhuc in muſculo illo ſupereſſe, quae ad hos motus producendos et irritabilitatem excitandam ſufficiat. Atque in partibus

p. 149.
p. 159.

tibus illis, licet cerebrum in eas amplius non agat, tamen quaedam adhuc ſenſatio ſupereſt, alias enim
p. 168. non irritarentur. Quo vero ſenſum hunc in partibus, poſt caput abſciſſum, relictum Cl. Auctor explicet, praeter rationalem animam, quae in cerebro ſedem ſuam habet, aſſumit quoque ſupereſſe in partibus, ſublata etiam earum cum cerebro communicatione, *principium* aliquod *ſentiens actiuum.* Hoc, quod a plebe *vita* partis appellatur, agere etiam poſt mortem per aliquod tempus pergit. Hinc anima non in ſolo cerebro ſedem ſuam habet, ſed in toto corpore, etſi in cerebro ſolum cogitet,
p. 175. ſuique conſcia ſit. Duplex per irritationem in viuis animalibus motus producitur, parte, quae agit, vel ipſa irritata, vel vicina aliqua aut diſtante. In priore motu, qui poſt mortem adhuc ſupereſt, *ſentiens principium*, quod in parte irritata eſt, agit, ad poſteriorem vero producendum animae in cerebro actio et liber fluidi neruei influxus requiritur, quapropter
p. 179. poſt mortem perit. Irritabilitas non proprietas eſt glutinis aut materiae, ſed pendet ab actiua vi cauſſae immaterialis. In vniuerſum autem irritabilitas a ſenſibilitate partium oritur, aut arctius cum ea qualitate connectitur. Iam in irritabilitatis nomine idea ſenſus, in parte irritata excitati, ſupponitur, dum pars iniuriam perſentiſcens ſe ab ea vindicare conatur. Atque irritabilitas muſculorum ſiue partium muſculoſarum ſemper aequalem rationem ad ſenſibilitatem habet. Hinc infantum et eorum, qui delicatioris habitus ſunt, corpora adeo facile a
p. 188. quacunque cauſſa irritantur, cum contrarium in ſenibus et apoplecticis obſeruari poſſit. Porro quidquid ſenſibilitatem partium muſculoſarum auget, vti v. c. inflammatio, illud quoque irritabilem eorum vim maiorem reddit. Atque contra, quidquid ſenſibilitatem minuit aut deſtruit, illud quoque irritabili-

tabilitatem tollit. Docent hoc effectus frigoris et caloris in animalia minora, v. c. ranas et inſecta, atque in punctum ſaliens in ouo incubato. Nam in his frigus ſenſibilitatem et irritabilitatem ſimul tollit, calor iterum excitat. Atque hoc loco Cl. WHYTT, occaſione loci cuiusdam in HARVAEO obuii, catalogum variorum auctorum adducit, qui iam ante HALLERUM irritabilem muſculorum naturam cognouerunt. Porro, quae de affinitate ſenſibilitatis et irritabilitatis partium corporis humani dicta ſunt, effectus opii probant, quod ſenſum auferendo irritabilitatem quoque ſimul aufert. Cum autem Ill. p. 201. HALLERUS neget, opium irritabilitatem cordis deſtruere, varia experimenta Noſter adducit, quibus probat, eam omnino deſtrui, quae tamen hic repetere non poſſumus. Motum tandem muſculorum irritatorum per ſenſationem a ſtimulo excitatam produci, docent varii motus inuoluntarii in corpore noſtro obſeruandi, qui a particulari quadam ſenſatione, ſiue ea in parte, quae mouetur, ſiue in vicina ſit, eueniunt, v. c. vomitus, teneſmus, expulſio ſeminis etc. vt alia phaenomena ab Auctore adducta taceamus.

Iam ad appendicem accedamus, nouae huic p. 219. editioni adnexam, in qua Cl. WHYTT tum ad ea reſpondet, quae contra eum HALLERUS in volumine quarto Commentariorum de partibus ſenſibilibus et irritabilibus monuit, tum quaedam alia addit, quae ad hanc rem pertinent. Agit vero primum *de ſenſibilitate*. Pleuram ſenſibilem eſſe pro p. 228. bat, ex obſeruatione facta a Cl. MIDDLETON, Medico Nouo - Eboracenſi in America, in operatione empyematis. In genere vero WHYTTIUS negat, nos ex eo, quod neruos in quadam parte anatomicorum induſtria haud detexerit, concludere poſſe, carere illam partem neruis. Cum enim v. c. tendinum

num magna pars in foetu antea muſculoſa fuerit, illi neruos omnino habere debent, licet ii adeo a reliqua tendinis ſubſtantia compreſſi ſint, vt cerni amplius nequeant. Atque ad omnes has partes vaſa eunt plurima, quorum membranae et tunicae non deſtituuntur neruis, forte per reliquam ligamenti, tendinis aut membranae partem diſtributis.

p. 241. In tractatione *de irritabilitate*, quae altera et praecipua huius appendicis pars eſt, Cl. Auctor primo oſtendit, motum in muſculis, quorum nerui diſciſſi ſunt, ſuperſtitem, non probare, quod irritabilitas a neruis haud oriatur, aut non cum ſenſibilitate coniuncta ſit. In omnibus exemplis motus muſcularis, producti in naturali ſanoque corporis ſtatu a ſtimulo, cauſſa irritans neruis, non fibris muſcularibus ipſis, applicatur. Porro nerui a cerebro et medulla ſpinali ſeparati retinent imperium ſuum in muſculos, ita, vt iis irritatis valentior longe contractio oriatur, quam ipſis fibris muſcularibus laceſſitis. Hinc omnes res, quae vim neruorum penitus deſtruunt, eodem temporis momento
p. 251. omnem quoque muſculorum motum tollunt. Sunt enim nerui non excretorii tantum ductus liquidi in cerebro et medulla ſpinali ſecreti, ſed ipſius medullaris ſubſtantiae verae continuationes, ita, vt communicatione quoque cum ea ipſa ſubſtantia ſub-
p. 252. lata aliquas actiones exercere poſſint. Diſquirit porro Cl. Auctor, num ii motus, qui in muſculis, quorum nerui ligati aut diſciſſi ſunt, per irritationem excitantur, probent, irritabilitatem cum ſenſibilitate non coniunctam eſſe. Si conuulſiones, ab irritatione medullaris ſubſtantiae cerebri aut medullae ſpinalis excitatae, in his partibus ſenſum aliquem eſſe probent: ſequitur, conuulſiuos motus, ex irritatione neruorum in iis muſculis ortos, ad quos nerui irritati pertinent, docere, ſenſibilitatem et in his

muſcu-

muſculis ſupereſſe atque ſtimulo ingratam ſenſationem excitari. Quo vero modo ſenſatio haec fiat, Cl. WHYTT definire non audet. Muſculos medio- p. 271.
criter tantum ſenſibiles eſſe, neque ita acriter ſentire, vti nerui, cutis, aliaeque partes ſentiunt, concedit, cordis vero ſenſibilitatem aequalem aut ſuperiorem facit vi ſentiendi, quae in aliis muſculis eſt. Supereſt, vt omiſſis aliis de controuerſia Cl. WHYTT p. 279.
cum Ill. HALLERO, ratione effectus, quem opium in cordis motum habet, aliqua moneamus. Scilicet contendit Noſter, opii ſolutionem, iniectam in ventriculum aut inteſtina ranae, motum cordis paullo poſt imminuere, tandemque plane tollere. Atque cum hoc contingat citius cerebro aut medulla ſpinali illaeſis, tardius vero influxu fluidi neruei in cor ſublato, Noſter inde concludit, motum cordis a neruis omnino pendere. Hoc vero ita euenire Cel. HALLERUS et Cl. FONTANA negant, quapropter Noſter probare contendit, opium in doſi maiori ſumtum motum cordis imminuere. Hinc non modo experimenta iam facta repetiit, ſed et noua inſtituit, quae tamen cum breuiter recenſere nequeamus, vlteriori Lectorum examini relinquimus.

XXVII.

De ſplenis vſu, morboque ſplenico, ad Illuſtrem D. P. G. WERLHOFIUM, Liber. In quo ſimul virium phyſicarum, monadum, motus, caloris, et ignis etc. occurrit praeliminariter theoria metaphyſica noua. *(Guelpherbyti, Auctore* F. I. W. S.) 1761. 8. pl. 10.

Summam huius libelli breuiter indicaturi notamus, Auctorem eius Cl. SCHROEDERUM, Medicum Guelpherbytenſem, ſententiam ſuam de na-

tura et vſu lienis, nec non morbis ex hoc viſcere oriundis, eorumque medendi methodo communi-
p. 9. care. Variae licet fuerint, veterum praecipue, opiniones de vſu lienis, nullam tamen inter has rationi et veritati magis conſentaneam eſſe Noſter putat, quam hanc, hoc viſcus ope ſanguinis ſui ſpiſſum per venam portam adueċtum ſanguinem diluere, et inde bilis ſecretionem promouere. Cum tamen tanta ſit lienis magnitudo, aſſerit quoque, illum plures et maiores habere debere vſus. Itaque cogitationes ſuas WERLHOFIO ad diiudicandum exponit. Nimirum, nullum in toto corpore animali viſcus maiori ſanguinis copia repletum eſſe, qnam lienem ac hepar; ſanguini vero huic lienari peculiarem quendam calorem et calefactionem, ob validos muſculorum abdominalium motus, ſanguinem hunc in an-
p. 11. guſtum ſpatium reducentes, ineſſe credit, ergo concludit, lienem, propter ſitum ſuum circa ventriculum, potiſſimum ope caloris ſui, concoctioni ciborum inſeruire. Ciborum vero concoctionem,
p. 19. non digeſtionem, aut fermentationem, ſed veram alimentorum coctionem ope calidi ſanguinis hepatis et lienis productam ſtatuit. Plura hac occaſione profert de caloris et ignis natura in genere, ex noua quadam theoria metaphyſica, et vi monadum ignearum reſoluente et mouente explicata, nec non de vita et morte, ſanitate et morbo, aliisque actio-
p. 29. nibus corporis humani ex eodem calore demonſtratis, quorum autem indicatione eo lubentius ſuperſedemus, quo certius conuicti ſimus, ea ad explicandum lienis vſum non ita preſſe ſpectare. De morbo ſplenico Noſter exponens, primum ſympto-
p. 115. mata eius adducit, quibus recenſitis cauſſae proximae huius morbi mentionem facit, quam in aucta reſiſtentia materiae, in liene, hepate, omnibusque

aliis

aliis calefacientibus, vel multo ſanguine repletis partibus et venis, reperiri credit. Ad methodum medendi huius morbi quod ſpectat, omnem indicationem curatoriam eo redire iubet, vt reſiſtentiarum reſolutio in liene factarum perficiatur. Ad p. 141. hunc finem acquirendum, motum ſuadet, tum externum per ambulationes, tum internum per pharmaca productum, nec non aquas minerales, et medicamenta martialia; praecipue vero vſum electricitatis, eumque, propter motum particularum ignea- p. 146. rum reſoluentium, ſalutarem, nec ſine bono euentu iamiam adhibitum fuiſſe, exemplis comprobat.

In fine huius libelli tria adducit dubia, quae Cl. WERLHOFIUS contra theoriam Auctoris mouit. Primum nimirum reſpicit doctrinam de vera con- p. 153. coctione ciborum in ventriculo, ope caloris ſanguinis lienaris, a Noſtro adfirmatam. Huic aſſerto WERLHOFIUS ea animalia opponit, quorum ſanguis frigidior eſt, et quae nihilo ſecius cibos in ventriculo concoquunt ſine ſanguinis feruore. Quod vero dubium Noſter ita ſoluit, vt eiusmodi animalium concoctionem veram eſſe putrefactionem, per leniſſimum calorem productam, affirmet, praetereaque contendat, in horum concoctione gradum coctionis et laboris non tantum requiri, quantum in caeteris animalibus, eorumque animalium ſanguinem, qui frigidus dicitur, non plane frigidum aut emortuum, ſed viuum, et vero leni calore praeditum eſſe. Alterum WERLHOFII dubium concernit theoriam motus, qua Noſter primam omnis motus cauſſam in monadico ignis principio reſol- p. 155. uente et pellente ponit. Oritur ergo quaeſtio: qua ratione motus planetarum circa ſoles ex hoc theoremate explicentur; cum tamen certum ſit, planetas corpora eſſe opaca, compacta, obſcura et fri-

 gida?

gida? Ad quam quaeſtionem Auctor reſpondet: affirmando, planetas non gaudere grauitate propria, hinc facile per actionem ſolis loco poſſe moueri. Tertium tandem et vltimum dubium reſpicit theoriam, quam Noſter dedit de vi et operatione ignis, quam operationem vnice poſuit *in reſolutione materiarum et corporum, ponens ſimul, huic vi contrariam vim eſſe materiae, cuius vis conſiſtit in inſpiſſatione, condenſatione, vel induratione, coagulatione et conglutinatione, vnde grauitas et inertia veniunt.* Cum ergo WERLHOFIUS monuerit, coagulationem materiarum in omnibus naturae regnis calore et igne produci, illudque exemplo albuminis oui, quod igne coctum induratur neque reſoluitur, comprobauerit: reſpondet Auctor, quod quidem mucoſae materiae, vt e. g. eſt albumen oui, leni calore accedente reuera indurentur; attamen eiusmodi indurationem et conglutinationem non a calore aut igne produci, facillime potius reſolubiles partes leni calore ſolui, euolare, duriores autem compactiores et craſſiores remanere, et fluidioribus partibus priuatas tunc demum indurari, affirmat.

XXVIII.

Manuel de Chymie ou Expoſé des Opérations et des Produits d'un Cours de Chymie. Ouvrage utile aux perſonnes, qui veulent ſuivre un Cours de cette Sçience, ou qui ont deſſein de ſe former un Cabinet de Chymie. Par M. BAUMÉ, Maître Apothicaire de Paris et Demonſtrateur en Chymie. A Paris, chez Didot etc. 1763. 8. Alph. I. pl. 19.

h. e.

Enchiridium chemicum ſiue explicatio operationum et productorum praelectionum chemicarum etc. Auctore Cl. BAUMÉ.

Opuſculum hoc operationes nullas, ſed collectionem tantum et deſcriptionem productorum ſiſtit, quae Cl. Auctor, dum experimenta inſtituebat, obtinuit. In enumeratione productorum primo ſemper indolem corporum, prout natura ea offert, conſiderat, poſthac autem exponit mutationes, quas ars in iis producit, et primo ad illas in disquirendo quouis corpore attendit, quae per analyſin fiunt, tum autem, quae per compoſitionem ſeu commixtionem cum aliis corporibus oriuntur. Vt autem natura corporum clarius pateſceret, et mixtionum ratio veraque particularum conſtituentium indoles melius cognoſceretur, breuem introductionem praemittit, et ſtatim de vnione et compoſitione, affinitate et elementis corporum agit. Elementa exponens primo de igne et phlogiſto, dein de aere diſſerit, cumque hic ad ignis chemici motum conſeruandum neceſſarius ſit, furnorum partes eſſentiales enumerat; tum autem ad aquam et vltimo ad terram progreditur. Generalioribus his

praemiſſis, ad ſubſtantias, ſenſui magis obuias accedit, ac primo de terris agit, quas reſpectu ſimplicitatis in duas tantum claſſes, vitreſcibilium nimirum et calcarearum, diuidit. Argillaceam enim mutatam vitreſcibilem, et gypſeam mutatam calcaream, ideoque magis compoſitas terras eſſe, recte monet. Ab his ad ſubſtantias ſalinas progreditur, ad quas varia producta relata eſſe deprehendimus, quae, licet in compoſitione ſalinas ſubſtantias contineant, ad eas tamen vltro referri nequeunt. His perpenſis in metalla eorumque producta inquirit, poſthac mineras eorum disquirit. Porro de lithogeognoſia agit, vbi non ſolum de terris et lapidibus naturalibus, ſed etiam de vitris artificialibus ſeu amauſis breuiter diſſerit. Vltimo aquarum mineralium mentionem facit, et quae inde obtinentur producta commemorat. Nunc corpora regni vegetabilis eorumque producta explicat, quibus autem varia iterum accenſita cernimus, quae ad producta mere vegetabilia non pertinent. Ab his ad producta regni animalis tranſit, tandem de arte tinctoria breuiſſime diſſerit.

Liceat ſpeciminis loco ea, quae Noſter de alumine, borace et vaſis, Gallo-Francis *Poteries de Grais* et *de Fayance* dictis, habet, breuiter repetere.
p. 85. Alumen a Cl. Auctore vocatur ſelenites, atque ex eius ſententia nihil aliud eſt, quam terra vitreſcibilis cum acido vitriolico coniuncta. Differt a ſelenite ſtricte ſic dicto, cuius baſis terra calcarea eſt, quod terra vitreſcibilis baſin conſtituat, magnam copiam aquae in cryſtalliſatione admittat, ſaporem acidum adſtringentem habeat, in maiori demum quantitate aquae ſoluatur, et ebulliens aqua maiorem eiusdem quantitatem ſuſcipiat, quam frigida. Aluminoſam autem terram vitreſcibilem eſſe, ſequenti
p. 99. experientia confirmat. Si terrae vitreſcibilis pars

vna

vna commiſcetur cum duabus vel tribus partibus alcali fixi, atque haec maſſa igne non adeo violento funditur, et fuſa aeri liberiori exponitur, tunc aquam ex aere attrahit et notus ille liquor ſilicum oritur. Si poſtea cum hoc liquore commiſcetur pauxillum acidi cuiusdam, terra praecipitatur vitreſcibilis admodum ſubtilis, quae in acido vitriolico ſoluta et euaporata et cryſtallifata alumen prae-bet. Ex quo itaque identitatem terrae vitreſcibilis, terrae argillaceae, et terrae aluminoſae probari colligit.

Boracem ſalem neutrum eſſe, et ex alcali minerali et ſale quodam neutro ſingularis indolis conſtare, aſſerit. Salem hunc neutrum, qui ſal ſedatiuus vocatur, vices acidi gerere, et cum alcali minerali coniunctum hoc in neutrum mutare putat. Hic enim ſal cum ſoda commixtus boracem regeneratam ſiſtere dicitur. p. 136.

Vaſa, quibus a Gallo-Francis nomen *Grais* imponitur, ex argilla cruda et argilla cocta, vtrisque ſubtiliter puluerifatis et aqua ſubactis, conſtant. Ea vero vaſa, quibus nomen *Fayance* datur, ex argilla, et arena, aqua ſubactis, parantur. Vaſa inde efformata et mediocriter cocta poſtmodum maſſa obducuntur, quae ex rebus vitreſcibilibus et calce ſtanni conſtat. Obducta demum vaſa iterum coquuntur, et ſic vitreſcibilis illa maſſa agglutinatur. p. 307.

XXIX.

The vegetable Syſtem. Or the internal Structure and the Life of Plants, their parts and nouriſhment explained; their claſſes, orders, genera and ſpecies, aſcertained and deſcribed; in a method altogether new. Comprehending an artificial index and a natural Syſtem. With Figures of all the plants: deſigned and engraved by the Author. The whole from the Nature only. By IOHN HILL. M. D. London 1761 et 1762. Solded by R. Baldwin. Fol. Vol. II. Containing the whole ſeries of Plants with radiated Flowers. 1 Alph. tab. aen. 87. Vol. III. Containing the entire Claſſes of Plants with tubulate and ligulate Flowers. pl. 16. tab. aen 50. ſcil. ad 137. Vol. IV. Containing the whole Claſſ of Aſſociates or capitates Plants. pl. 14. tab. aen. 46.

id eſt.

Syſtema vegetabile, ſiue explicatio internae ſtructurae et vitae plantarum, nec non partium et nutritionis illarum: deſcriptio accurata claſſium, ordinum, generum atque ſpecierum. Methodus noua, complectens artificialem indicem et naturale ſyſtema; cum omnium plantarum iconibus, ab Auctore delineatis et excuſis. Omnia a natura deſumta. Auctore IOANNE HILL. M. D. Vol. II. III. et IV.

Iam illam, quam dedimus *) de methodo, in plantarum disquiſitione a Cl. HILLIO adhibita, diſſerendi promiſſionem explemus, et de tribus voluminibus

*) vid. Comment. Noſtr. Vol. XII. P. III. p. 500 ſqq.

nibus ſyſtematis eius vegetabilis ſimul exponimus, quod plantarum ſic dictarum compoſitarum deſcriptiones in iis continentur. Elegantia omnino operis externa ea eſt, quam exſpectare poſſes, ſingulorum etiam generum characteres non ſolum, ſed omnium etiam ſpecierum icones conuenientes proponuntur, ſatis nitidae, ab ipſo Cl. Auctore exaratae, inter quas aliquae ſunt, quas alibi non inuenies. Maximum autem ſe debere fatetur Cl. Auctor ſingulari indulgentiae miniſtri regii BUTE, qui liberaliter omnia, quae ad ſuſcipiendum et exſequendum eiusmodi opus pertinent, ſuggeſſit adminicula.

Itaque in *Volumine ſecundo* primo loco generales aliquae adhuc notae ad explicandam vegetabilium naturam, nec non ad diſpoſitionem radiatorum florum pertinentes proponuntur. Priores tribus libris abſoluuntur, quorum primus effectus elementorum et tempeſtatum perpendit, alter partes vegetabilium ſingulas, tertius vero methodicam diſpoſitionem recenſet. Elementorum ſcilicet quatuor efficaciam ad vegetationem neceſſariam demonſtrat, calorem autem praecipue requiri docet, quippe qui et motus humorum per plantas, et foliorum cadentium aut perſiſtentium rationes contineat. Partes deinde plantarum omnes ac ſingulae altero libro ſimul cum externis ſuis differentiis, ad methodum Ill. LINNAEI, a radice ad florem vsque ſic proponuntur, vt iconibus etiam illuſtratae appareant. His vero varietates luxuriantis incrementi addidit in floribus plenis, proliferis et foliis criſpis atque bullatis, quibus merito plantarum faſciatarum exempla iungere potuiſſet. In tertio tandem libro diuerſae methodi deſcribuntur. Incipit a CAESALPINO, progreditur ad MORISONUM, RAIUM, quem etiam contra LINNAEUM, methodum Raianam ex

Vol. II. p. 1. p. 7. p. 26.

parte tantum naturalem adſumentem, defendit: reliquas poſt ea methodos breuiſſime tangit, TOURNEFORTII laudans, etſi arbitraria ſit, BOERHAAVII, MAGNOLII, deinde LINNAEI, ROYENIque recenſens, cuius quidem claſſes plerasque naturales iudicat, claſſes vero, ordines et genera haud ſtudioſe inter ſe connexa fuiſſe dicit, HALLERUM huic praefert, WACHENDORFIUM, GLEDITSCHIUM, SAUVAGES, artificiales methodos compoſuiſſe docet. Nihilo tamen minus artificialis methodi neceſſitatem agnoſcit, ad iuuandam memoriam et coordinanda vegetabilia, quam vero non niſi indicem botanicum vocat ſeu dictionarium. LINNAEI methodus ipſi imperfecta videtur, vt vt alias eum magni facit, in qua aeque ac in aliis difficultates ſeſe
p. 44. offerant variae, quod partim characteres claſſium ab inconſpicuis et variantibus partibus plantarum deſumuntur, partim genera claſſis characteri non reſpondent et varietates frequentius occurrunt, nec non, quod in charactere longo eſſentiales notae, genera diſtinguentes, vix queunt diſcerni, fructusque debent exſpectari prius, verum genus quam poteſt determinari. His itaque ex tricis commode ſe expedire poſſe credidit Cl. Auctor: ſi a flore characterem claſſis conſtantem deſumat, ſi genus ad claſſem non referatur, quod non accuratiſſime huc pertineat, ſi, vbi forte ſpecies diſcrepat a nota characteriſtica claſſis vel ordinis cuiusdam, eius genus cum huc pertinentibus ſpeciebus referatur ad aliam claſſem vel ordinem, ſi nullus character generis adducatur, niſi qui abſolute genus ab aliis eiusdem claſſis diſcernit. Hanc etiam normam ſibi in hoc opere propoſuit Noſter, num finem hunc aſſequutus ſit, iudicent intelligentes. Addamus breuiter, quo pateat diſtributionis ratio, tabulam hic exhibitam. Segregat autem antiquo more herbas ab

arbori-

arboribus, fruticibus ſuffruticibusque. Herbae diſtribuuntur in ſeries quatuordecim.

Herbae itaque habent: Flores *viſibiles collectos*, p. 45. communi calyce exceptos: Series I. ſtaminibus coniunctis, claſſis 1. corollis tubuloſis et lingulatis, *radiatae.* claſſis 2. tubuloſis tantum, *floſculoſae.* claſſis 3. lingulatis tantum, *ſemifloſculoſae.* Series II. ſtaminibus diſtinctis, *aſſociatae*, calyce diſtincto, capitato, *aggregatae.* Flores *ſeparatos* pedunculis. Series III. ex vno puncto prodeuntibus, *vmbellae.* Ex diuerſis punctis prouenientibus, perfecti, ſtaminibus et piſtillis donati, completi, calyce nempe et corolla inſtructi. Series IV. regulares, *mono-di-tri-tetra-penta-hexa-polypetalae.* Series V. irregulares, eodem modo. Incompleti, vel calyce vel corolla vel neutro inſtructi. Series VI. *petala ſine calyce*, numero a mono- ad polypetalos. Series VII. *calyx ſine petalis*, itidem. Series VIII. calyce et petalis nullis: *gramina.* Series IX. ſtaminibus et piſtillis tantum, *filamentoſae.* Series X. imperfecti, ſtaminibus et piſtillis in diſtinctis floribus.

Flores *inuiſibiles* oculo nudo: Terreſtres. Series XI. folioſae plantae, *Filices.* Series XII. ſquamis articulatis, *Muſci.* Series XIII. nec foliis nec ſquamis, *Fungi.* Series XIV. Marinae plantae.

Arbores, frutices et ſuffrutices.

Ni autem fallimur, haec etiam plantarum diſpoſitio diuerſa diuiſionis momenta admittit, quae aeque ac taxatae a Cl. Auctore methodi ad naturale ſyſtema deducere nequeunt. Conſideremus nunc hoc volumine comprehenſam claſſem radiatarum plantarum, quae iterum in quinque diuerſos ordines diſpeſcuntur, a calycis natura deſumtos.

Primus ordo complectitur plantas calyce integro p. 49. ſeu indiuiſo; apice quinquedentato, *Tagetes*, apice octodentato, *Othonna.* *Secundus* eas, quae calyce

ſunt

ſunt ſimplici ſeu vnius ſeriei ſquamarum: calyce lato, ſquamis acuminatis, concauis, *Bidens;* calyce oblongo, ſquamis anguſtis, aequalibus, *Tuſſilago;* calyce lato, ſquamis ad baſin latis, ſuperius anguſtis, *Helenia;* calyce hemiſphaerico, ſquamis anguſtis, acuminatis, *Oſteoſpermum*; calycis ſegmentis quinque latis, acuminatis, ad baſin ſectis, *Chryſogonum;* calycis ſegmentis quinque rotundis, *Parthenium;* ſegmentis quinque oualibus, *Melampodium;* ſegmentis quatuor planis, triangularibus, rigidiuſculis, *Tetragonotheca;* calyce largo, ſegmentis quinque longis, *Sigesbeckia;* calyce triangulari plano, ſegmentis tribus inaequalibus, vno lato, duobus an-
p. 58. guſtis, *Milleria.* *Tertius* ordo habet plantas calyce duplicato, ſeu ſerie duplici, externa et interna. Calyce expanſo, ſquamis longis, anguſtis, *Doronicum;* calyce erecto, ſquamis lanceolatis, paucis, *Bellis;* calyce concauo, ſquamis canaliculatis multis, *Verbeſina;* calyce apice expanſo, ſquamis diuergentibus acuminatis, *Coeleſtina;* nouum hoc genus cum verbeſina conuenire videtur, ſingula calycis ſquama medio loco viridem coſtam decurrentem habet, color floſculorum coeruleus elegans originem nomini dedit. Ill. LINNAEUS eam nomine Cinerariae Amelloidis tradidit. Porro calyce hemiſphaerico, ſquamis linearibus, aequalibus, compactis, *Anthemis;* ſquamis calycinis latis corolla longioribus, *Cotula;* calyce cauo, ſquamis multis, acuminatis, aequalibus, denſis, *Calendula;* ſquamis obtuſis reflexis, diſco eleuato, *Rudbeckia*; ſquamis diſtantibus, inaequalibus, baſi carnoſis, *Coreopſis;* ſquamis inaequalibus,
p. 71. exterioribus folioſis, *Silphium.* *Quartus* ordo continet plantas calyce pluribus ſquamarum ſeriebus conſtante: ſquamis calycis aequalibus, folioſis, diſtinctis, vndulatis, *Helianthus;* ſquamis longis, folioſis, compactis, *Buphthalmum;* ſquamis inaequalibus,

bus,

bus; inferioribus longis et folioſis, *Bubonium;* ſeu Buphthalmi quaedam ſpecies; ſquamis anguſtis, diſtinctis, tenuiter folioſis, *Inula;* calyce hemiſphaerico, ſquamis denſis, exterioribus anguſtiſſimis, interioribus membranaceis, *Chryſanthemum;* calyce cylindrico, ſquamis ſimilaribus valde acutis, *Tridax*; ſquamis fere ſpinoſis, *Gortera;* ſquamis folioſis inferioribus reflexis, *Aſter;* calycis ſquamis triplicis ſeriei, inferioribus expanſis, mediis oualibus, ſuperioribus oblongis, apice concauo - membranaceis, *Arctotis;* calyce rotundo, ſquamis acutis, apice repandis, *Conyza;* ſquamis lanceolatis, interioribus longis, membranaceis, ſplendidis, radium mentientibus, *Xeranthemum;* calycis cylindrici ſquamis oualibus, latis, concauis, extus turgidis, apice membranaceis, *Lepia* *). Speciem flore rubro non habet; calyce hemiſphaerico, ſquamis linearibus aequalibus, *Matricaria;* calyce ouali, ſquamis oualibus, acutis, *Achillaea;* calyce cylindrico, ſquamis anguſtis, acutis, erectis, ſerie ſuprema introrſum flexa, *Solidago;* ſquamis ſubulatis, erectis, aequalibus, radiis florum erectis, *Erigeron;* calyce hemiſphaerico, ſquamis planis, oualibus, radiis florum tubuloſis apice integris, *Anacyclus*; calyce plano expanſo, ſquamis longis, aequalibus, baſi tridentatis, radiis florum ſine antheris, *Arnica*; calyce patente, ſquamis oualibus, paucis, interioribus planis, mediis parum exterioribus multum concauis, *Eriocephalus;* calyce globoſo, ſquamis acuminatis, florum faſciculi calyci quinquifido inſident, radius exiguus, *Sphaeranthus;* calyce ouato, ſquamis lanceolatis conuergentibus, *Atractylis:* calyce rotundo, ſquamis oblongis, duris, acuminatis, *Amellus;* calyce cylindrico, ſquamis denſis, foliaceis, inaequalibus, *Pectis;* calyce breui, vmbilicato, ſquamis anguſtis, baſi

*) vid. Comment. Noſtr. Vol. VIII. P. II. p. 253.

baſi inuolucro folioſo cinctis, *Carpeſium*; calycis ſeriebus tribus, ſquamis inferiorum ternis, ſuperioris
p. 117. quatuor, *Polymnia*. *Quintus ordo* refert plantas calyce inferius ſquamis acceſſoriis cinctas: ſquamis erectis longis, baſis ſquamis breuibus ſiccis, ornato, *Senecio*; calyce ſimplici, ad baſin duplici ſerie membranarum reflexa aucto, *Meridiana*. Haec plerumque ad Arctotin refertur, a qua hac nota differt, eſt autem *Gorteria rigens* Ill. LINNAEI.

Vol. III. Iam *volumine tertio* *) ad plantas floſculoſas progreditur Cl. Auctor, quas quidem in eo a radiatis tantum differre dicit, quod radio, qui tubuli elongatio ex vnitis ſegmentis ſit, deſtituatur. Hinc notas characteriſticas ſpeciali tabula deſignauit, ordines vero ex calyce, vt in priori volumine, quinque
p. 122. conſtituit. *Primus ordo* calyce integro: eoque ad baſin rotundo, ſuperius anguſto, ſeptempartito, *Tar-*
p. 123. *chonanthus*. *Secundus ordo* calyce ſimplici: lato, *Bidens*, cuius nunc ſpecies non radiatae recenſentur; calyce longo, ſquamis multis lanceolotis, *Ageratum*; calyce acuminato, ſquamis anguſtis, numeroſis, in-
p. 125. aequalibus, *Petaſites*. *Tertius ordo* calyce duplicato: eoque lato, ſquamis flore longiore, *Cotula*; calyce concauo, ſquamis multis canaliculatis, *Verbeſina*.
p. 126. *Quartus ordo* calyce multiplicatis ſeriebus ſquamarum: hemisphaerico, ſquamis oblongis, inaequalibus, apice introrſum flexo, *Santolina*; calyce rotundo ad baſin, ſuperius cylindrico, ſquamis anguſtis,

*) Sic in titulo inſcribitur volumen hocce, ad cuius tamen finem aeque ac in ſingulis plagulis pro ſecundo volumine venditatur, quia ſine dubio pars voluminis ſecundi altera eſſe debebat, ſiquidem in voluminis ſecundi titulo apponatur Pars I. cuius continuationem autem aliam, niſi hanc, nullam inuenimus. Notare hoc conuenit, ne forſitan quis decipiatur.

ſtis, acuminatis, aequalibus, erectis, *Tanacetum*; calyce hemisphaerico, expanſo, ſquamis lanceolatis, iuxta ſe poſitis, *Chryſocoma;* calyce ſuperius cylindrico, ſquamis pyramidalibus, apicibus reflexis, *Conyza;* calyce cylindrico, ſquamis anguſtis, linearibus; inerme ſpinoſis, *Baccharis;* calyce oblongo, ſquamis erectis, acutis, irregularibus, *Eupatorium*; calyce ouali, ſquamis imbricatis, rotundis, apice introrſum flexis, *Artemiſia;* calyce rotundo, ſquamis oualibus, apice intus flexis, inferioribus membranaceis, ſuperioribus laxis, ſtipulatis, *Gnaphalium.* *Quintus ordo*, calyce ſquamis ad baſin acceſſoriis: p. 142. calyce conico, ſimplici, ſquamis ad baſin anguſtis, *Senecio;* calyce ſimplici lanceolato, ſquamis paucis ſtipulatis ad baſin, *Cacalia;* calyce pentaphyllo, ſquamis quinque ſtipulatis ad baſin, *Micropus;* calyce ſquamis multis, lanceolatis reflexis, ſtipulis ad baſin, *Staehelina;* calyce rotundo, ſquamis duriuſculis, iis ad baſin mollibus, floſculi calyce quinquefolio, *Stoebe;* calyce pentaphyllo, ſquamis ad baſin quinque aequalibus, *Iaſione;* calyce imbricato, ſquamis quatuor pyramidalibus acceſſoriis, et inuolucro ex tribus foliolis, *Elephantopus.*

Excipit has claſſis plantarum *lingulatarum*, quae p. 146. in quatuor tantum ordines ſecedunt, nulla enim eſt, quae integrum calycem acceperit. Hinc exhibet *Ordo primus* plantas calyce ſimplici: rotundo, villoſo, ſquamis multis aequalibus, acutis, *Andryala.* *Ordo ſecundus* calyce duplicato: ſquamis longis, fo- p. 148. liaceis, acuminatis, *Tragopogon.* *Ordo tertius* calyce 150. multiplici ſerie ſquamarum: baſi tumida, ſquamis pyramidalibus, inaequalibus, *Sonchus;* ſquamis diſtinctis, apice membranaceis, concauis, *Catananche;* ſquamis calycis, baſi ventricoſi, acuminatis, *Hypochaeris;* calyce cylindrico, ſquamis apice acutis, *Lactuca;* ſquamis inaequalibus, linearibus imbricatis, *Hiera-*

Hieracium; calyce ouali, ſquamis ſpinoſis, *Scolymus;* calyce cylindrico, ſquamis exterioribus laxis, foliaceis, *Cichorium;* ſquamis laxis per gradus decreſcentibus, foliaceis, *Leontodon;* calyce conico, ſquamis interioribus longis, exterioribus breuioribus, apice
p. 164. membranaceis, *Scorzonera.* *Ordo quartus*, calyce ad baſin ſquamis varie cincto: calyce cylindrico ſimplici, ſquamis ad baſin trium ordinum pyramidalibus, *Crepis;* calyce ouali, imbricato, ſquamis ad baſin quinque duris, *Picris;* calyce decaphyllo, foliolis lanceolatis, ſquamis ad baſin breuibus, *Hyoſeris;* calyce ouali, ſquamis octo linearibus, ad baſin ſex anguſtis, cum prioribus alternis, *Lapſana;* calyce cylindrico, ſquamis quinque longis, ad baſin tribus anguſtis, inaequalibus, *Prenanthes;* calyce cylindrico, imbricato, ad baſin ſquamis breuibus, anguſtis, *Chondrilla.*

Vol.IV. Naturali quodam ordine, quum in prioribus plantis ſtamina cum antheris coalitis inueniantur, ſequuntur *Volumine quarto* eae, quae ſtamina continent diſtincta, filamenta nempe cum antheris a ſe inuicem ſeparata ſunt, intus tamen in flore peculiari aliqua membrana, ad baſin filamenta circumeunte, cinguntur, quae nota itaque Cl. Auctori *aſſociatas* facit plantas. Inter quas, quippe quum multis difficultatibus obnoxiae ſint in diſquirendo, varia noua, ſcrutinium artificiale iuuantia, conſtituit Noſter genera. Continet itaque haec claſſis omnes illas plantas, quas capitatas alii vocant. Singulare eſt, omnes habere calycem polyphyllum, foliolis multarum ſerierum. Multitudo autem hic occurrentium vegetabilium coegit Cl. Auctorem, vt eadem in duos tribus, hos in ordines et familias, a calycis natura deſumtis diſtinctionibus, ſubdiuideret. En eius methodum:

Tribus

Tribus I. recenſet plantas, quarum ſquamae calycis ſucceſſiuis ſeriebus decreſcunt. *Ordo primus*, calyce ſquamis foliaceis tantum: calycis ſquamis inferioribus perfecte foliaceis, pinnatifidis, ſequentibus ſiccioribus, inciſis, apice ſpinoſis, intimis integris inerme ſpinoſis, *Phonus*, nomen GESNERI, Carthamus aliorum; calycis ſquamis ex caule continuatis, omnibus foliaceis, *Carthamus*. *Ordo ſecundus*, calycis ſquamis exterioribus ſtipulatis: calyce ouali, ad baſin circulo foliaceo cincto, ſquamis interioribus ramoſe ſpinoſis, *Cnicus*; calyce ouali ad baſin foliaceo, interioribus ſquamis molliter ſimpliciterque ſpinoſis, *Crepula*. *Ordo tertius*, ſquamis calycis interioribus ſiccis, membranaceis: calycis ſquamis interioribus diuergentibus, nitidis, radium aemulantibus, *Carlina*. p. 5.

Tribus II. continet plantas ſquamis diſtinctis originalibus. *Familia* 1. ſquamis armatis ſeu in duram ſpinam deſinentibus. *Ordo primus*, ſquamis apice tantum ſpinoſis: calyce cylindrico, ſquamis linearibus, *Polycantha*; calyce elliptico, ſquamis latioribus, apice breuiter ſpinuloſis, *Acarna*; calyce tumido, ſquamis longis, teneris, reflexis, *Aſcalea*; calyce ouali, apicibus extrorſum patentibus, *Onopordum*; calyce oblongo, ſquamis laxis, apice latiuſculis, ſpinoſis, *Pternix*; calyce cylindrico, ſquamis latis acutiſſime ſpinoſis, *Ixine*; calyce cylindrico, baſi ventricoſa, ſquamis apice ſetaceis, *Tetralix*. *Ordo ſecundus*, ſquamis apice et latere ſpinoſis: calycis ſquamis toto latere ſpinoſis, *Mariana*, eſt Carduus Mariae; ſquamis baſi a latere ſpinoſis, *Calcitrapa*. *Ordo tertius*, ſquamis ramoſe ſpinoſis: ſquamis calycis ad longitudinem ſpinuloſis, apice ramoſe ſpinoſis, *Solſtitiaria*. *Familia* 2. ſquamis piloſis. *Ordo primus*, ſquamis calycis ſimplici pilo terminatis: ſquamis calycis breui firmoque pilo inſtructis, *Cro-* p. 12. p. 22.

codilium; ſquamis apice longe rigideque piloſis, *Cirſium;* ſquamis terminatis pilis firmis extrorſum patentibus, apice hamatis, *Bardana.* *Ordo ſecundus,* calycis ſquamis in ambitu ciliatis: ſquamis oualibus, breuibus, firmisque ciliis, *Cyanus;* ſquamis apice membranaceis, ciliis longis duris, *Pſora;* ſquamis laxis, acuminatis, ciliis in ambitu ſetaceis, *Colymbada;* ſquamis oblongis, apice longis mollibusque pilis, *Iacea.* *Ordo tertius,* ſquamis calycis ſerratis, apice et lateribus ciliatis: calyce ouali, ſquamis molliter piloſis, *Stoebe;* ſquamis longis pungentibus pilis inſtructis, *Sagmen.* *Ordo quartus,* ſquamis pinnatifidis, apice ciliatis: pilis tenuibus, tenacibus, *Ciſtrum.* *Ordo quintus,* ſquamis plumoſis: ſquamis ellipticis extus conuexis, *Heraclea.* *Ordo ſextus* ſquamis palmato ciliatis: ſquamis ouatis, apice digitato
P. 39 ciliatis, *Pycnocomus.* *Familia* 3. ſquamis nudis. *Ordo primus,* ſquamis ſimplicibus, indiuiſis: ſquamis ouatis, baſi carnoſis, *Cynara;* ſquamis totis membranaceis, *Serratula;* ſquamis teneris, ſiccis, leuibus, obtuſis, *Behen;* ſquamis oblongis, ad baſin conuexis, ſiccis, apice planis a latere tenuibus, *Centaurea; Ordo ſecundus,* ſquamis a latere ſerratis: calyce elliptico, ſquamis latis, *Rhapontica.* *Ordo tertius,* ſquamis profunde inciſis: calyce ouali, ſquamis duris, *Eriopha.* *Ordo quartus,* ſquamis digitatis: calyce ouali, ſquamis laxis, *Sphaerocephala.* *Ordo quintus,* ſquamis laciniatis ſeu apice irregulariter ſectis, *Lacinaria.*

Expoſuimus itaque Cl. HILLII diſpoſitionem plantarum compoſitarum paullo curatius, quod a calyce potiſſimum deſumens diſtinctionis notas, in difficili admodum claſſe disquirentibus facilis euadere voluerit. Nec diffitemur, in artificiali vegetabilium horum explicatione notas eſſe tyronibus ſufficientes futuras, quamuis nominum genericorum repetitiones in diuerſis claſſibus minus placeant.

Singula

Singula ſpecies ſigillatim deſcribitur et, vt aſſerit Cl. Auctor, naturali exemplo praeeunte, depingitur. Ea propter icones hic reperiuntur nondum datae, vt Melampodii, Coreopſidis anguſtifoliae, Helianthi decapetali, Arnicae coronopifoliae, vt alias multas taceamus. Sunt autem ſpecies ex Ill. LINNAEO deſumtae ſaepe eaedem, ſaepe aliquot, ſaepe alio ordine propoſitae, aliquae, vtut paucae, nouae. Genera iam diximus non nunquam diuidi in plura quod in Cardui et Centaureae adeo foecundis generibus luculenter apparet. Arbitramur autem ſimul ex his intelligi, quae noua ſint et quae adhuc exſpectari debeant.

XXX.

Diſcorſo della Irritabilita d'alcuni Fiori nuovamente ſcoperta. in Firenze appreſſo Gaetani Albrizzini. 1764. 8 mai. pag. 25. tab. aen. 1.

h. e.

Sermo de irritabilitate quorundam florum nuper detecta.

Motum elaſticum filamentorum, cuius ope ea definito tempore exploſionem pulueris antherarum praeſtant, et quam botanici in Parietaria et Ruta aliisque plantis indicarunt, Cl. Auctor, qui, vt ex epiſtola dedicatoria patet, eſt Comes IO. BAPTISTA DAL COVOLO, in compoſitis floribus ſiue ſyngeneſiis LINNAEI, et in curioſa horum floſculorum fabrica detexit, et vt ſpecimen irritabilitatis in floribus deſcripſit. Recitauit autem hunc ſermonem in Societate botanica Florentina, cui adſcriptus eſt Cl. Auctor, et icones, ad microſcopicas obſeruationes adornatas et hanc rem demonſtrantes,

tes, appoſuit. Hanc vero irritabilitatem in *Centaurea calcitrapoide, calycibus ſubduplicato ſpinoſis, foliis amplexicaulibus indiuiſis ſerratis*, declarauit et oſtendit, eam tantum in quinque filamentis, quibus antherae in cylindrum coalitae accreſcunt, deprehendi; haec nimirum arcuatim ex baſi floſculi vsque ad antheram cylindricam extenduntur, et ſtylum in medio rectum habent; ſi vero vel digito, vel quod natura fit, contracta corolla, tanguntur: tunc in rectas lineas ducuntur, et ſtyli lateribus ſe applicant. Quamuis autem videri poſſet, filamenta hoc motu, dum ex arcu in lineam rectam abeunt, elongari, contrarium tamen euenit, dum illa accurtantur, quod etiam alia figura illuſtratur, vbi ſtylo remoto et filis prius extenſis, poſtea ſibi relictis, accurtatio inſignis cum aliqua vndulatione ſubſequitur. Quando filamenta in medio diſſecantur, partes diſſectae ſuperiores aeque ac inferiores extrorſum reflectuntur; ſi vero vnum filamentum tantum diſcinditur vel tangitur: reliqua incuruantur et vaginam antherarum in vnum latus ducunt. Addit quoque conditiones, in quibus experimenta adducta melius ſuccedunt. Aer frigidiuſculus fauet irritabilitati, inde noctu ea melius ſuccedunt, quam interdiu, vix enim ſentiunt in ſummo calore. Flores, antequam puluis antherarum maturitatem aſſequitur, examinari debent, puluere enim excuſſo languescunt vel prorſus non mouentur. Irritabilitatem vero florum ideo dixit Cl. Auctor, quoniam in nullis partibus, praeter muſculoſas animalium, hic motus elaſticus auctus euidentius obſeruatus eſt. Elaſticum vero nos diximus, quoniam a turgentibus ſuccis in filamentorum medulla pendere videtur.

XXXI. *Ab-*

XXXI.

Abhandlungen der Naturforſchenden Geſellſchaft in Zürich. Zweyter Band. Zürich bey Heidegger und Compagnie. 1764. 8. Alph. 1. pl. 9. tab. aen. 1.

i. e.

Acta Societatis naturae indagatorum Tigurinae. Tomus ſecundus.

Iam eo loco, vbi primum horum actorum volumen indicauimus *) de inſtituto Societatis naturae indagatorum, quae Tiguri floret, a nobis expoſitum eſt. Alter tomus ſequentes commentarios et obſeruationes continet.

1) *Tentamen hiſtoriae mercaturae reipublicae et vrbis Tigurinae.* Auctore I. H. SCHINTZ. Praeter alias egregias obſeruationes, quae tamen ad nos propius non pertinent, inprimis continet diſquiſitionem cauſſarum incrementi inſignis ciuium et incolarum territorii Tigurini. p. 1.

2) I. G. ZIMMERMANN M. D. *deſcriptio hydropis cum accedente caro, conuulſionibus epilepticis et coecitate, methodique in huius morbi medela obſeruatae.* p. 187. Miles 28 annorum hydrope anaſarca cum inſigni penis ſcrotique tumore laborabat. Poſt varia ab aliis medicis applicata remedia, ſquillitica tandem Noſter cum ſucceſſu adeo quidem felici exhibuit, vt hydrops breui tempore euaneſceret. Sub fine vero morbi aeger conualeſcens grauiſſimo animi adfectu ex deſiderio obiecti amati commouebatur. Hinc omnia adeo in peius mutabantur, vt aeger maximum vitae periculum incurreret. Acceſſerunt

*) Comment. noſtr. Vol. XII. P. I. p. 110.

ſcilicet vomitus, delirium, carus cum ſtertore et motibus conuulſiuis vehementiſſimis, et aeger viſu, vti omnibus reliquis ſenſibus, penitus priuabatur. Cauſſam vero celerrimae huius mutationis in hoc aegro obſeruatae Noſter ita explicat, carum caeteraque ſymptomata, quae cerebrum adfectum eſſe indicabant, producta fuiſſe ab aquis in cerebro effuſis. Atque hunc effectum in corpore debilitato, nec ab aquis hydropicis penitus liberato, vehemens animi commotio facile omnino producere poterat. In deſperato aegroti ſtatu veſicatoria Noſter applicari curauit, et omni bihorio cremoris tartari drachmam ſemis in infuſo florum ſambuci dedit. Quibus per duos dies adhibitis, ſenſus redierunt, ſola viſus obnubilatione per aliquot dies adhuc ſuperſtite. Purgantia fortiora ex puluere radicis Ialappae et ſale Anglicano maxime in hoc morbo profuerunt. Sub finem curationis Noſter corticem Peruuianum exhibuit, et aeger intra quatuordecim dies a grauiſſimo hoc morbo penitus reſtitutus eſt.

p. 219. 3) I. H. ESCHER *de ea parte oeconomiae, quae circa piſcinas verſatur, eiusque praeſtantia et vſu.* Cl. Auctor, quae ad hanc oeconomiae partem ſpectant, multo cum iudicio ex optimis obſeruationibus collegit. Atque cum ſemina in piſcinis exſiccatis ſeri ſoleant, ad hunc ſcopum inprimis *gramen mannae eſculentum* commendat.

p. 277. 4) *Delineatio tabularum et indicum vniuerſalium incolarum cuiusdam loci, ad regulas et vſus politicos confectarum.* Auctore H. V. B.

p. 309. 5) *Obſeruationes phyſico-medicae.* Auctore LAUR. ZELLWEGER M. D. Facit Cl. Auctor medicinam *Troge-*

Trogenii in ditione Abbatiſcellenſi. Generalia quaedam de aere, aquis, victu, morbis incolarum, pecudumque cura in prouincia ſua monet. Pauca nobis vtilia hic commentarius continet. Taeniam Auctor putat corpori humano vtilem eſſe, quod ea materiam quandam peccantem in primis viis conſumat, hominesque penitus a taenia, qua antea laborabant, liberati poſtea variis incommodis obnoxii eſſe ſoleant.

6) *Inſtructio ruſticorum ad ſepta conſtruenda.* Ex obſeruationibus a variis agricolis, in territorio reipublicae Tigurinae viuentibus, cum Societate communicatis, haec inſtructio collecta eſt a Cl. VSTRI. Planta, quae vt optima ad conficienda ſepta commendatur, eſt *Oxyacantha vulgaris.* p. 361.

7) *Hiſtoriae duorum morborum varioloſorum* communicatae a Cl. ZIMMERMANN. Prima hiſtoria eſt de puella ſeptenni, in qua variolae copioſe quidem erumpebant, non tamen confluebant. Septimo morbi die in pede, vbi ante variolarum acceſſum leue aliquod vlcus cutaneum et eryſipelas fuerat, gangraenoſus aliquis locus apparuit, ſimilesque duo in fronte, vbi ſimilia vlcera antea fuerant, apta tamen medendi methodo adhibita euaſit. Frater praecedentis puellae, nouennis puer, poſt difficilem pectoris morbum, ex ſcabie ad pulmones regreſſa ortum, etiam variolis inuadebatur. Cum febrem ſecundam vehementiſſima ſymptomata comitarentur, aegre, nec forte aliter quam per medendi methodum, a Cl. ZIMMERMANN adhibitam, ſeruatus eſt. Hiſtoria huius vtriusque aegroti amplior eſt, quam quae a nobis in compendio ita tradi poſſit, vti optaremus. Fatendum enim eſt, apte eſſe expoſitam, ſatisque prodere ingenium bene excultum, iudiciumque acutiſſimum Auctoris. p. 385.

 8) *Obſer-*

p. 415. 8) *Obſeruationes de effectu cicutae in variis morbis*, collectae a Cl. I. H. RAHN. M. D. Cum morbi, ad quos debellandos Ill. STOERCK cicutam tanquam remedium ſpecificum commendauit, in prouincia Tigurina endemii quaſi ſint: laudabili ſane conſilio multi medici et chirurgi iunctis viribus experimenta de illius herbae in his morbis vi inſtituerunt, quorum obſeruationes hic communicantur. En eorum ſummam! In ſcrophulis cicuta egregios effectus praeſtitit, neque iis ipſis iam exulceratis ſine fructu adhibita eſt. Profuit quoque in mammis induratis grauidarum et abſceſſibus mammarum in
p. 444. puerperis. In ſcirrho tamen mammae dextrae nullam vtilitatem eius vſus aegrotae adtulit. Erat tamen in hac aegra hepar quoque induratum, ex quo hydropica obibat. Laudatur porro cicuta in teſticulis induratis, nullum vero ex vſu eius fructum in cancro mammarum Tigurini medici obſeruarunt. Extollunt e contrario eius virtutem in variis aliis vlceribus vteri, cutis, oris, neque in hydrope et ophthalmia plane inutilis fuit. Nociuos extracti effectus nullos obſeruarunt, vnico aegro excepto, qui, dum tertia vncia extracti vtebatur, torminibus abdominis adficiebatur.

XXXII. Ob-

XXXII.

Obſervations on ſome of the Diſeaſes of the Parts of the human Body. Chiefly taken from the Diſſections of morbid Bodies. By SAMUEL CLOSSY M. D. London printed for Kearsly. 1763. 8. pl. 13.

i. e.

Obſeruationes de nonnullis morbis partium corporis humani, praecipue ex diſſectionibus corporum morboſorum deſumtae. Auctore SAMUEL CLOSSY, Med. Doct.

Hic libellus vltra quinquaginta obſeruationes continet, a Cl. Auctore in noſocomiis nonnullis Londinenſibus et Dublinenſibus factas. Ita vero eas hic collectas dispoſuit, vt ſinguli morbi breuem hiſtoriam praemittat, exponat deinde, quae in corporum diſſectione inuenta erant, atque tandem varias nonnunquam adnotationes adiiciat, in quibus de illorum morborum natura atque methodo eis medendi in genere diſputat. Diuiſit vero has obſeruationes in ſectiones ſex, in quarum prima hiſtorias *morborum capitis* proponit, ſcilicet lethargi et p. 1. paralyſeos a contuſione integumentorum; ab effuſione ſanguinis in dura matre; ab effuſione intra duram et piam matrem; ab effuſione ſub pia matre; a depreſſione caluariae et corruptione cerebri; a compreſſione cum effuſione; a disruptione et putrefactione cerebri; lethargi cum excreſcentiis fungoſis in cerebro; et tandem epilepſiae ex abſceſſu durae matris ortae. Lethargus et paralyſis ex ſola integumentorum capitis contuſione inciſione facta et ſuppuratione ſubſequente curabantur. Etiamſi poſt contuſionem cerebri illud latus, in quo con-

tuſio eſt, paralyticum ſit, tamen in oppoſito latere extrauaſatio, ex concuſſione cerebri orta, obſeruatur, ita vt ſemper paralyſeos cauſſa, vel in hoc quoque caſu, in oppoſito ſit latere. Cum vero a maxima, quae praeceſſit, concuſſione cerebri ſubſtantia ſemper ita laeſa ſit, vt ſanari nequeat, neque locus trepanationis in hoc caſu accurate definiri poſſit, nullam ex obſeruatione ſua in praxin vtilitatem re-

p. 35. dundare, Cl. CLOSSY ipſe fatetur. Secunda ſectio *de colli et thoracis morbis* obſeruationes de angina ex tumore laryngis, aſthmate a pulmonibus induratis, hydrope pectoris, haemoptoe et empyemate continet. Qui ex tumore laryngis oedematoſo angina laborabat aeger, difficillime inſpirabat, facillime exſpirabat. Nullus exterius apparebat tumor, pulſus regularis erat, nonnunquam tamen intermittens. Aegro ſubito ſuffocato, membranae cartilagines laryngis inueſtientes oedemate diſtentae, leuiorisque inflammationis ſigna in interna aſperae arteriae ſuperficie deprehendebantur. In alio aegro pulmo ſiniſter in maſſam duram, rudem et inorganicam, ſine vllo membranarum, vaſorum aut flui-

p. 68. dorum veſtigio relicto, abierat. Varii *hepatis morbi* in tertia ſectione deſcribuntur, v. c. abſceſſus huius viſceris, et addita eſt pancreatis indurati hiſtoria.

p. 89. Quarta ſectio obſeruationes *in hydropicis* factas con-

p. 115. tinet. Quinta ſectio *de inteſtinis* inſcribitur. In aegro ex iliaca paſſione, poſt validum purgans adſumtum, demortuo, coecum cum appendice vermiformi et inteſtini ilei parte in colon ſuſceptum erat. Colon a meſocolo ſeparatum erat, atque in peluim deſcenderat. Obſtructiones euacuationis aluinae non ſemper ex rigiditate quadam inteſtinorum proueniunt, ſed et nonnunquam ex laxitate partiali partis cuiusdam inteſtinorum oriuntur. Probat hoc obſeruatio a noſtro Auctore in puero duodecim

anno-

annorum pertinaciſſimis obſtructionibus laborante facta, in cuius cadauere colon mirum in modum expanſum totam fere cauitatem abdominis replebat, reliquis viſceribus in anguſtiſſimum ſpatium ita compreſſis, vt v. c. a nimia coli in vreterem ſiniſtrum preſſione ille ſupra eum locum valde expanſus, peluisque renalis quoque vehementer dilatata eſſet. Quod ſi vero aluina obſtructio ex foecibus in dilatato eiusmodi loco haerentibus oritur, foeces nonnunquam egeſtae fluidae ſunt, cum in retentione ab aliis cauſſis orta ſiccae vt plurimum deprehendantur. Morbi tandem *renum et veſicae* ſextam p. 133. ſectionem conſtituunt. Praeter alias etiam illa notatu digna eſt obſeruatio, qua Noſter calculum ex veſica viri quadraginta circiter annorum extractum deſcribit, cuius pondus ad minimum octo vncias ſuperabat. Aeger tamen euadebat. Cauſſam, cur in rene ſiniſtro frequentius calculi, quam in dextro occurrant, inprimis in compreſſione vreteris a colo, per foeces in eo haerentes expanſo, ponit. Vti de variis aliis morbis, ita quoque ad calcem libelli varias de calculo obſeruationes adiecit, in quibus tamen pauca, quae noua ſint et attentionem noſtram mereantur, continentur.

XXXIII.

Diſſ. inaug. diaetetica de educatione liberorum medica. Auctore IO. CONR. LÜDERSS, Hamburgenſi. Goett. 1763. 4. pl. 6.

Etſi quidem varia iamiam, et in quibus vberius actum eſt de educatione infantum, ſcripta adduximus, ob argumenti tamen grauitatem et ſingularem in genus humanum vtilitatem non poſſumus quin et huius diſſertationis, cuius Cl. Auctor variis,

riis, quae hucusque inualuerunt, praeconceptis opinionibus, et quae meliorem liberorum educationem impediunt, ſeſe opponit, et de nonnullis rebus aliter quam caeteri ſcriptores ſentit, praecipua momenta exponamus.

Tradit itaque Cl. Auctor varia ad abluitionem infantis recens nati, faſciationem, euacuationem meconii et lactatum ſpectantia, non contemnenda quidem, aſt maximam partem iam cognita monita. Cubiculi porro, in quo infans detinetur, rationem deſcribit, quaedam de dentitionis incommodis ſimul adiungens. In altera periodo, ablactationis nimirum, nunc ſenſim aliis et durioribus nutrimentis aſſuefaciendos atque in aerem liberum deducendos eſſe infantes ſuadet, ac ſtrenue et recte perſtringit errorem parentum, qui aerem liberum iis nocere putant. Vitam infantum in rure prae vrbana magnopere commendat et orphanotrophiorum in rure conſtructionem ſalubriorem fore ſanitati infantum in iis educandorum cenſet. Diaetam eorum haud ſcrupuloſam exigit, vt varia ferre diſcant et corpus eorum firmetur. De ſitu poſtmodum et geſtatione agit, et munditiem, ad quam balnea et abluitiones cum frigida multum faciunt, nec non potationem
p. 26. frigidae ſummopere commendat. Vinum, de cuius in infantibus vſu ſummus eſt medicorum diſſenſus, putat Noſter, non tantum ob virtutem analepticam et roborantem infantibus eſſe concedendum, ſed etiam vt anthelminticum remedium, quod adſtringente et roborante vi muci generationi reſiſtat vermibusque inimicum ſit, iis prodeſſe; quam ob rem ei laudandi eſſe videntur *parentes, qui infantibus quartum annum minimum egreſſis quotidie inter prandia vnum ſaltem cyathum boni vini Gallici propinant;* immo vini vſum infantibus neceſſarium eſſe, credit, ſi victu ſalito et fumo indurato cum parentibus

ſimul

ſimul vtuntur. Coffeam vt potum calidum ob re- p. 28.
laxationem damnat, ob partes vero eſſentiales, ſal ſcilicet volatile vrinoſum alcalinumque infantibus concedit; ſiquidem, propter ſal volatile et terreo alcalinum, poſſit acidum, ad quod infantes a lacticiniis et victu vegetabili facile diſponuntur, mutare et abſorbere, mucum viſcidum incidere, attenuare, diſſoluere et ventriculo robur addere. An neruoſo ſyſtemati infantum conueniat coffeae vſus? ſilet Noſter. Varia poſthaec de cibi tum quantitate tum qualitate monet. Saccharum infantibus non dene- p. 32.
gandum eſſe autumat; dum enim ex acido et terra alcalina componitur, ſiſtit ſal medium vi ſaponacea, leniter abſtergente et reſoluente praeditum, quod non ad vermes, mucum procreando, infantes diſponit, vti Cl. ANDRY affirmat, ſed iis potius abſtergendo, viſcidum reſoluendo, adeoque nidos eorum deſtruendo aduerſatur; neque dentibus nocere, vti vulgo creditur, neque eorum defluxum promouere poſſe, aſſerit Noſter, illos potius ſacchari vſu conſeruari et ornari, optimum illud eſſe remedium pulueres dentifricios ingrediens, atque ſenes fuiſſe ſaccharo quotidie veſci ſolitos, dentibus tamen optime ſeruatis, ex Cl. SLARE probat; noxium eius vſum aliis ei admixtis rebus farinaceis et glutinoſis v. c. in panibus dulciariis, pulticula cet. adſcribit. Laudat p. 33.
porro motum corporis, et inter alia exercitia inprimis ambulationem, ſaltationem, natationem ac equitationem. Hanc, ſi modum non excedat, non pueris ſolum, ſed et puellis ob laxum corporis habitum vtilem eſſe hasque a multis morbis inde immunes ſeruari aſſerit, addito exemplo ex Anglia deſumpto, vbi feminae equites ſint multae, paucae hyſtericae. Equitationis autem vtilitatem non tantum in motu corporis conſiſtere, ſed etiam *ex halitu et atmoſphaera equi perſpirantis et ſudantis poris equitis for-*

ſan

ſan aliquid committi, quod neruis et toti corpori ami-
p. 36. *cum eſt*, Auctori noſtro veroſimile videtur. Vltimo quam maxime improbat parentum morem infantes a ſomno matutino detinendi eosque imprudenter expergefaciendi. Coniicit enim, ſyſtema eorum neruoſum adeo irritabile eſſe, vt a quacunque cauſſa turbetur; hinc eos nocturna plerumque febricula affici, cuius horrorem calor excipiat, quem circa matutinum tempus ſudor ſiue perſpiratio aucta ſequatur; cum itaque ſaepius circa tempus hoc criticum fiat haec intempeſtiua euigilatio, facile apparere autumat, illam ob criſin turbatam cauſſam multorum morborum exiſtere.

XXXIV.

Zoophylacii Gronouiani faſciculus ſecundus, exhibens enumerationem inſectorum, quae in muſeo ſuo adſeruat, examini ſubiecit, ſyſtematice diſpoſuit atque deſcripſit LAUR. THEOD. GRONOVIUS I. U. D. Ciuitatis Lugduno Batauae Senator, Societatis phyſico-medico Reg. Lond. Baſilienſ. atque Hollandicae Socius. Additis rariſſimorum inſectorum iconiſmis. Lugduni Batauorum; ſumptibus Auctoris 1764. fol. a tab. aen. 14-17. et a pag. 141 ad 236.

Iam ex primo volumine Cl. Auctoris intelligentiam rerum ad hiſtoriam naturalem pertinentium eſt cognita. Haec pars, quemadmodum index operis declarat, inſectorum plerumque rariorum et exterorum magnamque partem nondum explicatorum deſcriptiones complectitur. A declaratione figurarum fit initium. Hanc excipiunt ipſae inſecto-

inſectorum deſcriptiones, quorum diſpoſitio ad Linnaeanam diuidendi rationem accommodata eſt, exceptis modo paucis generibus, v. c. Mylabride, Naucoride, Xiphoſura etc. quorum characteres ipſis Auctoris verbis repetamus.

Mylabris, *antennae moniliformes articulis hemiſphaericis, ſenſim creſcentes verſus apices, roſtro breui plano inſidentes. Caput elongatum, nec latitans ſub thorace. Elytra abbreuiata, rotundata, plana.* p. 166.

Naucoris, *antennae breuiſſimae infra oculos poſitae. Roſtrum inflexum. Alae quatuor cruciatae. Scutellum praeſens. Pedes ſex, primi cheliferi, reliqui natatorii.* p. 182.

Xiphoſura, *corpus ſcuto fornicato transuerſali articulatione mobili, elaſtico omnino tectum, verſus anteriora ſemilunare, poſtice contractius denticulatum. Oculi duo, vtrimque vnus, in lateribus ſummis thoracis, minimi, conuexi, ouati, non pedunculati. Pedes duodecim, vtrimque ſcilicet ſex, a ſcuto dorſali omnino tecti; horum quinque priora paria chelifera, et vltimum par eſt natatorium, reliquis longius. Caudam conſtituit cornu ſeu aculeus enſiformis, cuſpidatus, triqueter, corporis longitudinem adaequans.* p. 220.

Cancer, *thorax maximus, caput atque truncum inuoluens. Oculi pedunculati in thoracis margine anteriore. Antennae duae in fronte. Cauda abdomini deorſum appreſſa. Pedes vtrinque quinque, raro quatuor. Primum par cheliferum.* p. 221.

Aſtacus, *corpus ſubcylindricum, oblongum, articulatum, deorſum inflexum. Thorax trunco multo breuior. Antennae binae, vel ſex ſubulatae, articulatae, tenuiſſimae. Cauda foliacea, horizontaliter expanſilis. Oculi duo, pedunculati in fronte ſiti. Pedes vtrinqve nouem vel decem. Poſteriora quatuor quinqueue paria curta natatoria. Anteriora longiſſima, quorum nonnulla plerumque chelifera.* p. 227.

Squilla,

p. 232. Squilla, *corpus teres, compreſſum, incuruatum. Thorax breuiſſimus. Oculi in lateribus duo, non pedunculati. Antennae quatuor, ſubulatae. Pedes longitudine inaequales vtrinque ſeptem, anticis paribus cheliferis.*

p. 234. Emerita, *corpus ellypticum. Thorax ampliſſimus. Cauda gracilis, ſub abdomine inflexa. Antennae binae. Oculi duo, pedunculati. Chelae nullae. Pedes vtrinque quinque natatorii.*

Deſcriptiones quidem ad optimam rationem ſunt aptatae, in iisque, vbi extarent ſynonyma, ex praeſtantiſſimis hoc in genere auctoribus reperiuntur excerpta. In pluribus inſectis, quae vel ignota erant vel rara, DAN. LUYCS MASSIS, Societatis Indiae occidentalis apud Medioburgenſes Director, cui eſt haec pars dedicata, cum aliis quibusdam, nominatim Cel. IACQUIN, commemoratus eſt, quod haud dubie Auctor fecit grati animi cauſſa erga talem virum, qui multum ad has collectiones contuliſſe videtur. A recenſionis conſilio abhorrere videtur, omnium ſingularumque deſcriptionum mentionem hic facere. Itaque hoc tantum nobis ſumſimus, vt in tabula quadam ea inprimis inſecta indicaremus, quae ſunt a nemine alio viro docto adhuc diligentius expoſita.

Sic inter Scarabaeos 11 vel plane ignotae, vel nondum ſatis cognitae deſcribuntur ſpecies. Elateres 3 habent nouas ſpecies.

Bupreſtes 3.	Coccinellae 4.
Carabus 1.	Meloae 2.
Tenebriones 4.	Staphylinus 1.
Cantharis 1.	Blatta 1.
Cerambyces 9.	Grylli Tetigoniae 3.
Dytiſci 2.	Grylli Locuſtae 2.
Chryſomelae 3.	Cicadae 2.
Cicindela 1.	Cimices 16.
Curculiones 5.	Papiliones Equites 2.

Papilio-

Papiliones Heliconii 5.
Papilio Danaus 1.
Papiliones Nymphales 7.
Papiliones Plebeii 5
Sphinges 2.
Phalaenae Bombyces 2.
Phalaena Geometra 1.
Phalaenae Alucitae 2.
Libellulae 4.
Acarus 1.
Araneae 3.
Scorpiones 4.
Cancri 7.
Aſtaci 3.
Oniſci 2.
Emerita 1.
Scolopendra 1.

Haec eſt fere ratio egregii huius libelli, cuius Auctor vt amantiſſimo cuique et intelligentiſſimo naturalis hiſtoriae acceptus eſſe debet, ita proximam libri partem quisquis cupidiſſime exſpectabit.

XXXV.

Eſſays on Medical Subjects, originally printed ſeparately; to which is now prefixed an Introduction relating to the uſe of Hemlock and Corroſive Sublimate; and to the Application of Cauſtic Medicines in Cancerous Diſorders. By THOMAS GATAKER, Surgeon Extraordinary to His Majeſty and Her Royal Highneſs the Princeſs Dowager of Wales, and Surgeon to Her Majeſty's Houſhold and St. George's Hoſpital. London: printed for R. and I. Dodsley. 1764. 8 mai. pl. 21 ½.

i. e.

Tentamina medica, primo ſeparatim edita; quibus nunc praemittitur introductio de vſu cicutae et ſublimati corroſiui, atque de applicatione medicamentorum cauſticorum in morbis cancroſis, a THOMA GATAKER.

Tria tentamina, iam alias publicata, quorum 1 mum continet *obſeruationes de ſolano*; 2dum *obſeruationes affectuum venereorum, vbi nonnulli errores theoriae horum morborum indicantur, ac falſae et noxiae fraudes in eorum medela nonnunquam occurrentes deteguntur;* 3um *disquiſitionem ſtructurae oculi, cum variis adnotationibus de quibusdam huius organi morbis;* Cl. GATAKER nunc vno volumine edidit, iisque introductionem ipſis analogam praemiſit, quae tractat *de ſolano; de vſu cicutae; de applicandis medicamentis cauſticis in morbis cancroſis; de vſu ſublimati corroſiui; de variis inuentis aut emendationibus, et peculiaribus vel ſecretis methodis practicis;* tandem *de operationibus cataractae.* Solanum ad ¼ gr. pro doſi maximopere vtile eſt, inprimis in vlceribus inueteratis cum effluente acrimonia tenui coniunctis; eius autem vſus intermittatur, ſi vlcus ſtatum ſanationis attigit. Cicuta in Anglia nunquam tantam exſeruit efficaciam, quantam Cl. STOERK illi tribuit, eaque tantum diureſin et perſpirationem leuiter auxit, raro deiectiones excitauit, atque largiter exhibita interdum viſum imminuit vertiginemque induxit; quapropter cicuta vix aliquam habere videtur vim deſtruendi humorem peculiarem, qui mor-
p. 12. bos cancroſos gignit. In cura cancri difficile determinatur, vtrum adhibeantur medicamenta interna, an ſuſcipiatur operatio externa vel exſtirpatione vel cauſticis. PLUNKET et poſtea GUY tumoribus cancroſis applicabant peculiare cataplasma, quo tumorem eiusque radices deſtruere annitebantur, idque reliquis cauſticis anteponendum eſſe Cl. Auctor arbitratur, cum profundius penetret et firmius adhaereat, quam alia: exſtirpationem tamen per in-
p. 30. ciſionem huic ſemper praeferendam eſſe. Mercurius ſublimatus, in morbo venereo apte adhibitus, plerumque ex voto agit, adeoque poſt ſaliuatio-

nem

nem minus proſperam, vt lene et alterans medicamentum, atque cum decocto ſarſaparillae ſumtus, curam optime abſoluit. Succeſſus igitur curationis beneficio mercurii ſublimati potius a tempore ac modo, quo datur, pendet, quam ab eius praeparatione. Interdum auget ſudorem, vel excretionem aluinam, vel vrinam; nonnunquam in ſanguinem agit ſine inſigni augmento excretionum corporis; plerumque et maximo cum ſucceſſu ſaliuae excretionem augere ſolet. Solutio ſublimati corroſiui initio quidem ſemper proſperos habuit effectus in venereis morbis, poſtea tamen docuit experientia, hanc in pertinaci caſu ſymptomata non niſi ad tempus tollere, et in plurimis aegris inteſtina debilitare, interdum ſaliuationem producere. Si vero ſymptomata leuia ſunt, haec ſolutio, vel ſola, vel cum decocto ſarſaparillae, reliquis mercurialibus praeferenda eſt. p. 42. p. 45.

Obſeruationes de vſu interno ſolani iam alias recenſitae ſunt *). p. 1.

Obſeruationes de morbis venereis, vbi nonnulli errores theoriae horum morborum explicantur, cet. in binis literis ad chirurgum quendam datis continentur. Summa *epiſtolae* I*mae* haec eſt. Cl. Auctor negat, excretionem in gonorrhoea ab vlceribus vrethrae pendere, vti TURNERUS ſtatuit. Saepe enim nares, palpebrae, pulmonesque excernunt materiam ſimillimam ei, quae in gonorrhoea effluit, ſine vlcerum periculo. Nonnunquam ſuperficies externa glandis et interna praeputii a miasmate venereo infecta excernit materiam gonorrhoeae ſpuriae ſimilem, ſine vlceribus. Cum porro in aucto malo tumor et inflammatio teſticulorum tollat effluxum materiei et dyſuriam leniat: plane apparet, nulla p. 91. p. 93.

 adeſſe

*) vid. Commentar. noſtr. Vol. VII. Part. IV. pag. 717.

adeſſe vlcera, ſed potius dolorem vrethrae ab acri materia excitari. Fluor albus, ſine vlceribus vaginae, gonorrhoeae virulentae ſaepe maxime ſimilis eſt; cereolus vrethrae applicatus muco obducitur vti in aegroto, ſic et in homine ſano; praeterea plurimae ſectiones venereorum oſtenderunt, nulla adfuiſſe vlcera vrethrae. Ex falſa hac vlcerum vrethrae
p. 102. ſuſpicione multi proficiſcebantur errores. Etenim TURNERUS ſupprimebat gonorrhoeam draſticis e pilulis ex duobus et calomel, quae poſtea opiatis mitigabat, atque hinc teſticulorum intumeſcentiam efficiebat, ad quam tollendam vomitoria e turpeth.
p. 109. miner. ſatis temere ſuaſit. Caruncula a WISEMAN olim putabatur, eſſe paruum fruſtulum carnis luxuriantis in vrethra ab eroſione materiae venereae exoriens, ſenſim calleſcens ac increſcens, et vrinae
p. 112. profluuium impediens. DIONIS primus inuenit, cicatrices calloſas vrethrae eroſae diametrum imminuere, et vrinae effluxum cohibere. ASTRUC plurima obſtacula aſſumit, vlcera, carunculas, cicatrices, cet. et ſpecillum plumbeum ductile tenue, ſenſim increſcens, vrethrae immittit per aliquot dies, donec vrethra dilatatur. LE DRAN vrethrae intrudit paululum inteſtini felini (*a piece of cat-gut*), quod humiditatem inſugens vrethram expandit. COL DE VILARS id perficit cereolis peculiaribus.
p. 122. DARAN credit, adeſſe excreſcentias fungoſas vrethrae, quas plurimi in cadaueribus fruſtra quaeſiue-
p. 125. runt, putatque, hanc obſtructionem ſaepe aliquot annos poſt gonorrhoeam bene curatam accedere. Carunculas ex vlceribus occultis oriri, demonſtrat ex effluxu materiei ab ipſius cereolis facto, quod Cl.
p. 141. Auctor plurimis refutat. ASTRUC quatuor ſpecies gonorrhoeae poſuit ratione ſitus, et tres ſpecies ratione cauſſae, cum fiat ab inflammatione, aut ſimplici, aut vehementiori, aut exulceratione partium,

quas

quas vlterius diuiſit. Inter ſigna cauſſarum gonorrhoeae inprimis refert materiae colorem vel album et cinereum, qui inflammationem ſimplicem indicat, vel citrinum et ſanguinolentum, eandem cum ſanguinis extrauaſatione declarantem, vel flauo viridem, quo vlcera ſe manifeſtant. Omnia haec ſigna Cl. Auctori minus explorata videntur. Methodi p. 146. particulares curatoriae gonorrhoeae in genere eo redeunt, vt cohibeamus excretionem in primis initiis ope mercurialium ruditer praeparatorum interne ſumendorum, ac iniectionum vrethrae. Priora quidem forti deriuatione effluxum ſubito coercent: ſed ob eorum nimiam vim atque ſaliuationem, facile hinc metuendam, parum conueniunt. Iniectiones ex mercurio et aceto, ex vitriolo, alumine, aerugine, bolo, lapide calaminari, cet. ſi iuſto tempore applicantur, vtiles ſunt in gonorrhoea. DARAN falſo iniectiones adſtringentes plane repudiat.

Epiſtola 2da ad chirurgum quendam continet va- p. 159. rias adnotationes de medela deteriorum morbi venerei ſpecierum. TURNERUS interdum confundit ſymptomata luis venereae et gonorrhoeae, atque ad curandas aphthas venereas externe adhiberi ſuadet mercurialia fortiora, remedia cauſtica, fumigationem cum cinnabari. Vtraque priora caute adhibeantur; fumigatio, a Cl. ASTRUC minus probata, interdum valde prodeſt. Interne commendat TURNERUS mercurialia purgantia et vomitoria, quae vero minus apta iudicantur. Vterque iubet diſſipari bubones vel reſolutione, vel ſuppuratione. Ad p. 163. reſolutionem adhibet TURNERUS purgantia mercurialia et vomitoria; ASTRUC praefert frictionem mercurialem, et, ſi os afficeretur, purgantia lenia; vtrumque caute adhibitum conuenit. Saepe hi tumores reſoluuntur in ſaliuatione, ſi materia nondum ſe collegerit, rarius tumores grauiores. Bubo-

nes maiores, mercurio et purgantibus viciſſim tra-
p. 167. ctati, ſaepe peſſima producunt ſymptomata. Vſu interno mercurii ſaliuationem excitare, ipſe TURNERUS reprehendit, potiusque vnctionem mercurialem commendat; attamen eius methodus inuoluendi totum corpus in pannos *flanel* dictos, atque quantitas ſaliuationis non omni corpori conuenire
p. 170. adeoque interdum nimis debilitare videtur. Methodum Cl. ASTRUC leniorem, eius vero praeparationem nimis ſeueram cenſet Cl. Auctor. Alii morbi cum lue venerea complicati, v. c. ſcorbutus, prius curentur, quam praeparatio ad luis venereae medelam incipiatur. ASTRUC docet, oris vlcera, quorum alia putat noxia et ſtatim coercenda, alia ſalutaria et in ſaliuatione ſuſtentanda, cum ſtipticis vel ſolo ſpiritu vitrioli tractari; quod Cl. Auctor ob inflammationem et intumeſcentiam totius faciei, ab interrupta ſaliuatione facile inductam, minus compro-
p. 174. bat. Porro incommoda variarum curandi morbos venereos methodorum examinantur. Nonnulli enim practicorum, poſt purgantia et balnea, iuſtam mercurii quantitatem in parua doſi et magno temporis ſpatio exhibebant, vt ſaliuatio euitaretur; ſed hinc interdum ſymptomata tantum ad tempus cedebant, interdum plane non ceſſabant. Alii, mercurio et purgantibus viciſſim ſumtis, ſaliuationi quidem proſpiciebant: debilitatem tamen, digeſtionis laeſionem et colicam vix euitare poterant. Alii perſpirationis aut vrinae augmento morbum ſupe-
p. 182. rare tentabant. Potiones medicae, vt decoctum guaiaci, radicis chinae, ſarſaparillae, magnam exſerunt vim in curandis morbis venereis; niſi vero cum mercurio coniunguntur vel huic miſcentur, vix ſufficiunt; optime in morbis poſt vſum mercurii relictis conueniunt.

Diſquiſitionem ſtructurae oculi, cum adnotationibus peculiaribus variorum morborum huius organi, iam alias *) recenſuimus. p. 191.

XXXVI.

Introductio ad Philoſophiam naturalem, Auctore PETRO VAN MUSSCHENBROEK. Lugduni Batauorum, apud Sam. et Ioh. Luchtmans. MDCCLXII. Duo Tomi. 4 mai. Alph. 6. plag. 5. praeter praefat. tab. aen. 64.

Eximii huius operis prima ſtamina Auctor iam anno huius ſeculi ſexto et viceſimo duxerat in *epitome elementorum phyſico-mathematicorum*, in qua maxime memorabilia theoremata, adhuc inuenta et demonſtrata, in vſus academicos recenſuerat. Deinde quum anno 1734 recudendum eſſet hoc opuſculum, priorem ordinem et methodum aliquantum mutauit, et, difficilioribus theorematis omiſſis, cetera tradidit, librumque inſcripſit *elementa phyſicae*. Quem librum quum quidam in gratiam Belgarum non literatorum, quos DESAGULERII ſcholae ſcientiae rerum naturalium cupidiſſimos reddiderant, in Belgicam linguam conuertere vellent: ipſe ſatius putauit propriam huic operae manum admouere; eoque conſilio anno 1736 belgice edidit librum, *Beginſels der Natuurkunde* inſcriptum, in quo magnam partem eorum, quae quotannis in lectionibus ſuis priuatis docebat, ciuibus ſuis expoſuit; qui liber anno 1739 emendatior et auctior recuſus, et mox a Cl. MASSUET in Francicam linguam translatus eſt. Facta anno 1741 noua *elementorum phyſicae* editione, diſtractisque huius editionis exemplaribus, Auctor

*) vid. Comment. noſtror. Vol. X. P. IV. p. 694.

anno 1748 nouum fere opus in lucem emiſit, cui titulum *inſtitutiones phyſicae* fecit; in hoc enim multa intexuit prioris operis telae, quae interea ad cognitionem naturae recentiorum induſtria et ſagacitate acceſſerant. Tandem initio anni 1760 de penuria exemplarium huius libri certior factus, in animum induxit, longe amplius et emendatius opus elaborare, in quo integrum ſyſtema phyſicum ingenti obſeruationum et experimentorum copia, quibus vel inſtituendis vel colligendis magnam vitae ſuae partem impenderat, ſuperſtructum haberetur. Sic natum eſt hoc opus, quod iam in manibus habemus, et cuius editionem ipſi Auctori vsque ad Caput XXXIII curare licuit. Poſtquam autem anno huius ſeculi LXI. diem ſuum obierat, reliquae partis typis exprimendae curam in ſe ſuscepit Cl. IO. LULOFS, qui etiam praefationem operi adiecit, ex qua hactenus a nobis dicta excerpſimus.

Ordo capitum hic eſt. Caput I. de philoſophia et regulis philoſophandi. II. de corpore in genere, eiusque attributis. III. de ſpatio vacuo. IV. de loco, tempore et motu. V. de potentiis prementibus. VI. de viribus corporum motorum. VII. de grauitate. VIII. mechanica. IX. de attritu machinarum. X. Mechanica motus. XI. de motu compoſito. XII. de deſcenſu grauium in plano inclinato. XIII. de oſcillatione pendulorum. XIV. de motu grauium proiectorum. XV. de viribus centralibus. XVI. de corpore duro, fragili, molli, flexibili, elaſtico. XVII. de percuſſione. XVIII. de electricitate. XIX. de magnete. XX. de corporum attractionibus. XXI. de cohaerentia et firmitate. XXII. de fluido in genere. XXIII. de preſſu fluidi ex grauitate. XXIV. de fluido per vaſis foramen fluente. XXV. de fluidis profilientibus. XXVI. de corporibus firmis fluido immerſis,

ſis, et de grauitate corporum firmorum et fluidorum ſpecifica. XXVII. de aqua. XXVIII. de igne. XXIX. de proprietatibus lucis generalibus. XXX. de corporibus lucem bibentibus. XXXI. de luce refracta, et corporibus refringentibus. XXXII. de luce illapſa in ſuperficies planas et ſphaericas mediorum refringentium. XXXIII. de luce ex aere illapſa in vitrum, atque ex eo iterum in aerem transeunte, XXXIV. de diuerſa radiorum refrangibilitate, et de coloribus. XXXV. Deſcriptio oculi. XXXVI. de lucis tranſitu per oculi humores, et de viſione. XXXVII. Dioptrica. XXXVIII. Catoptrica. XXXIX. de aere. XL. de ſono. XLI. generalia de meteoris aereis. XLII. de meteoris aqueis. XLIII. de meteoris igneis. XLIV. de meteoris aereis ſiue de ventis.

Quum Auctor in hoc opere dogmata methodo eadem proponat, qua in libris, quos antea de ſcientia naturali ediderat, et qui in omnium huius ſcientiae ſtudioſorum manibus verſantur, erat vſus: non opus eſt, vt eius ſpecimina hic exhibeamus. Igitur id tantum negotii nobis datum eſſe exiſtimamus, vt, in quibus haec noua inſtitutionum phyſicae editio anterioribus praeſtet, indicemus. Comparabimus autem illam cum ea tantum editione, quam Cl. MASSUET francice vertit, quia haec maxime fuit diuulgata.

Duo capita integra in hoc opere ad numerum capitum in praedicta editione acceſſiſſe deprehendimus, Caput X. de mechanica motus, et Cap. XXX. de corporibus lucem bibentibus, vnumque caput de attractionibus corporum in duo diuiſum eſſe. In capite X. tractantur quaeſtiones variae, quae locum habent, quum potentia maior, quam pro aequilibrio, vincit onus, illique, nec non ipſi organo vel machinae, cuius ope in id agit, motum conciliat.

De quibus, quum ad matheſin potius, quam ad phyſicam pertineant, hoc loco dicere non fert inſtitutum noſtrum.

Quoniam attractio magnetica alias leges habet, quam attractio corporum vniuerſalis: ſatius duxit Auctor, illius phaenomena ab huius phaenomenis ſeparare, et de illis in peculiari capite exponere. Hinc ex vno capite de attractione corporum, quod antea erat XVIII, duo fecit, vndeuiceſimum et viceſimum. Multa hic adiecit antea dictis de magnete, praeſertim ad modos recens inuentos, magnetes artificiales parandi, et ad differentiam inter vim magneticam et vim electricam ſpectantia. Sed tamen fluido cuidam ſubtili deberi phaenomena magnetica, nondum, quod miramur, perſuaſum fuiſſe Auctori intelligimus. Caput etiam de attractione vniuerſali corporum mutua inſignia et haud pauca augmenta accepit.

Quod XXX caput attinet, de corporibus lucem bibentibus, breue quidem eſt (paginis enim quatuor tantum conſtat), ſed omnia tamen de hac re adhuc inuenta ſtrictim indicat. Sunt autem ea fere hauſta ex Cl. BECCARII ſcriptis in primis voluminibus *commentariorum Bononienſium*, quem Auctor etiam cum debita ipſi laude nominat. De lapide Bononienſi et de adamante dudum notum eſt, ſplendorem illis ineſſe in tenebris, ſi antea ſolis radiis
p. 692. aliquandiu fuerint expoſiti. Sed deinde compertum eſt, plurima alia dari corpora, quae radios ſolis, vel etiam lucem tantum diurnam, imbibant, (alia nuda, alia etiam vitro, vel aqua, vel lacte, aut aceto tecta,) et deinceps in locum tenebricoſum delata ſplendeant; quanquam nonnullis ille ſplendor non niſi in foco vitri vſtorii conciliari poteſt. Omnia autem corpora, lucem imbibentia, facilius hanc in tenebris micandi facultatem acquirunt, vbi antea

modice

modice calefacta fuerint. Iam ad hanc corporum claſſem Auctor refert e *regno minerali* omnes terras et bolos, omnes cruſtas fontium canalibus intus accreſcentes, omnes arenas, omne genus marmoris, cum amianto, talco, ſpatho, achate, iaſpide, opalo, cet. haematite, omnes gemmas pellucidas, et fluores, omnia quarza, omnia ſalia naturalia, omnes ſuccos pingues, cuncta petrefacta, et tutiam, qua parte eſt aſpera; *e regno vegetabili* omnes partes p. 693.
plantae (dummodo omni humore priuatae ſint), et quidquid ex illis arte paratur, vt farinam, panem, chartam, linteum, tum ſuccos vegetabilium, vt ſaccharum, mannam, mel gelu conſtrictum, omne gummi, omnem ceram et reſinam, olea etiam (ſed hieme a frigore conſtricta), tartarum, cineres, corallia, madreporas; ex *animali regno* quadrupedum vngulas, cornua, pilos, oſſa, volucrum pennas, roſtra, vngues, aquatilium ſquamas, conchyliorum teſtas, ſolenes, pinnas, extimam cutem belluarum et volatilium, quadrupedum coria recentia et praeparata, quidquid eſt membranaceum et neruoſum, decocta oſſium, dentium, cornuum, iura carnium inſpiſſata, vitellos ouorum ſiccatos, caſeum, ſerum ſanguinis concretum, ſanguinis cruſtam, carnes ſiccatas, oculos cancrorum, bezoar, calculos e renibus et veſica, teſtas ouorum, lapillos e capitibus piſcium, manus etiam viui hominis tempore hiemali, quum gelat aqua. Haec tantum lucem non rapiunt, in regno quidem minerali, metalla, cinnabaris, zincum, marcaſitae, gagates, lithanthrax, petroleum, et omne genus bituminis; in regno autem vegetabili, benzoinum, et terebinthina liquida. Contra ea dantur praeparata e corporibus regni mineralis, quae lumine viuido, plerumque rubeſcenti, in tenebris ſplendent, de quibus, iudice Auctore noſtro, Cl. MARGGRAF in Comment. Acad. Sc. Berolinenſis

linenſis accurate egit. Lumen hauſtum a plerisque corporum ſupra enumeratorum breui tantum tempore conſpicitur, in aliquibus vix vltra duo minuta ſecunda horae, in aliis ſeptem vel octo minutis ſecundis manet, in nonnullis tamen adamantibus per quatuor horas fulget. Lumine auolante, corpora fiunt obſcura; ſed lumini denuo expoſita, id iterum
p. 695. bibunt, nitentque rurſus, vt antea. Corpora autem haec, quibus lucem imbibendi et retinendi eſt facultas, diuturnis ignitionibus eadem exui poſſunt, veluti obſeruatum eſt in cryſtallis, emeraldis, et lapide phosphoro Bernenſi. Et corpora, quae aliquamdiu igne ſunt torrenda, quo facultate illa mactentur, eam poſt aliquod tempus perdunt; alia tamen aliis ocyus. Nam in colophonia manet multis annis, in gummi Arabico vix vltra ſex dies, in pane vix vnico die. Poteſt tamen noua calefactione, licet non ſola, verum etiam collocatione in luce diurna, facultas phoſphora in his corporibus inſtaurari. Etſi enim calces ſpathorum, lapidum ſpecularium, phosphorus BALDUINI, qui poſtquam quindecim aut viginti dies in tenebris iacuerunt, non amplius nitent, ſupra calidam fornacem ponantur in loco obſcuro: non recuperabunt tamen lucendi facultatem; at, vbi tribus quatuorue diebus lumini ſolis expoſiti et deinceps ſupra fornacem calidam
p. 695. poſiti fuerint, denuo lucebunt. „An igitur, inquit Auctor, corpora lumen expellunt? aut an lumen ſponte auolat, etiam aequilibrium affectans? aut an humor in aere natans lumen ſuffocat in corporibus, quae ingreditur? et an ideo, humore expulſo, lumen rurſus potari, et calore agitari poteſt, quo fit, vt corpora denuo niteant? Ob quam cauſſam nonnulla corpora lumini diurno, ſolis, fociue vſtorii expoſita, in tenebris non nitent, quum tamen igne imbui poſſunt copioſo, a quo tandem ad nitorem redigun-

rediguntur? videtur hoc pendere a peculiari partium fabrica nondum cognita, qua lumini reſiſtunt, igni reſiſtere nequeunt; vel lumen ſuffocant, aut inordinato motu expellunt, aut quod prius humor igne expellendus ſit, vt lucem potent, expellant, niteant. Sed an corpora, de quibus huc vsque egi, et quae in tenebris nitent, lumen quidem imbibunt? an non nitent proprio et naturali ſibi lumine, quod quietum non nitet, ſed tantum a lumine ſolis agitatur, adeo vt excitatum nitere incipiat? huic ſententiae fauere videntur experimenta DUFAYI *), qui lucem ſolis, priſmate ſeparatam in radios coloratos, direxit in lapidem Bononienſem, qui ad fulgorem excitatus luce quidem nituit, ſed non illa colorata luce, quae in lapidem inciderat. Quum tamen experimenta haec non ſunt obſeruata methodo accuratiſſima BECCARII: forte error commiſſus eſt; ideo incerta huc vsque ſententia. Attamen non caret veriſimilitudine, corpora attrahere lumen, idque vel conſtantius retinere, vel ocyus amittere, amiſſo lumine non nitere, ſed lumen tamen iterum imbibi poſſe, quamdiu partes corporum eiusdem tenuitatis, mobilitatis, ſiccitatis manent.„

Praeter haec duo noua capita plurimas alias acceſſiones paſſim factas eſſe videmus. Inſigniter auctum eſt caput de electricitate. Fluidum electricum partim effluere e corpore electrificato, partim ad illud eodem tempore affluere iuxta lineas rectas, cum Cl. NOLLETO ſtatuit Auctor; et FRANKLINI p. 277. diſtinctionem inter electricitatem poſitiuam ac negatiuam admitti quidem poſſe putat, quatenus poſi- p. 285. tiua denotet electricitatem alicuius corporis naturali ſua electricitate maiorem, et negatiua denotet mino-

*) Iournal des Sçavans. 1690.

minorem, ſed duas diuerſas ſpecies electricitatis dari, his vocabulis compellandas, negat; neque experimentis in Turmalino lapide captis has ſpecies
p. 287. ſtabiliri concedit, ſed potius ex illis colligit, etiam in hoc lapide electricitatem in duplici et aduerſo fluxu fluidi conſiſtere. Dubitare etiam nunc videtur Auctor, an diſtinctionem inter electricitatem vitre-
p. 285. am et reſinoſam admitti oporteat. Exiſtimat, plures eſſe poſſe electricitatis ſpecies, licet eae in genere conueniant; poſſe enim effluuia electrica differre miſtura variarum coniunctarum partium, craſſitie, denſitate, rapiditate, maiori vel minori obhaereſcentia in corporibus, tum aliis adhuc incompertis qualitatibus. Sane electricitatem piſcis gymnoti ſeu torpedinis differre ab electricitate vul-
p. 289. gari affirmat. De electricitate atmoſphaerae varia affert experimenta, digna quae leguntur; et hunc
p. 296. locum ſequentibus verbis abſoluit. „An ex his obſeruationibus tuto colligi non poteſt, electricitatem non ſemper per atmoſphaeram aeream vbiuis terrarum eſſe aequabiliter diſtributam? ſed plerumque in plagis editioribus eſſe copioſiorem, licet in iis aer ſit rarior. Et annon ex loco in locum fluit electricitas, inſtar venti, ſed irregulariter flantis, et circumnectit nonnulla corpora in coelo natantia largius, vti nubes atras, alia parcius, vti nubes albas? Et annon interdum in atmoſphaera ſunt plagae aliquo tempore electricitatis expertes, quae deinde iterum implentur? vbinam eſt ſcaturigo electricitatis, an in terrae viſceribus, an in quadam regione atmoſphaerae aereae? hoc hucusque bene exploratum non eſt; licet non negem, plurimis, ſi non omnibus corporibus, quae iacent in areae ſolo, electricitatem ineſſe, et ingredi in machinas et inſtrumenta, quae teruntur: attamen maior eſt eius copia, quando machinae ſtant in pauimentis ligneis,

eleua-

eleuatis, et ſub quibus eſt magna cauitas, quae aerem continet in maſſa notabili, quam quum ſtant in ſolo terreſtri vel lapideo.„ Sub finem huius ca- p. 313.
pitis Auctor ex omnibus antea expoſitis experimentis concludit, fluidum electricum eſſe ab aere craſſo, igne, et luce prorſus diuerſum, et tamen admodum vniuerſale, diſtributum per atmoſphaeram et corpora terreſtria, per quorum multa magna cum facilitate et pernicitate perfluat, eſſe per ſe odorum, et poſſe de loco in locum moueri, colligique ad corpora per ſe electrica fricata, et ab iis viciſſim repelli, ſaepiusque, ſi non ſemper, aequilibrium affectare. Haec certa eſſe dicit; incertum autem adhuc eſſe, vtrum fluidum electricum per ſe luceat, an lucem in atmoſphaera latentem ſecum tantum p. 314.
abripiat, et vtrum per ſe habeat ſaporem acidum, an ille debeatur particulis, quas fluidum hoc ex corporibus abripere nonnulla experimenta docent. „Quoniam autem, inquit, fluidum electricum conſtat ex corpuſculis admodum tenuibus, et parui in hac doctrina facti hucusque ſunt progreſſus, aſſeri nequit, quid et quale ſit; ideo iudicium ſuſpendiſſe praeſtabit, donec ab experientia plura detecta erunt; non enim eſt adeo ſimplex in potentiis rerum natura, quemadmodum ſupponi ſolet a Philoſophis, ad finem promouere ſcientiam leui opera feſtinantibus. Nullus dubito, quin, quando electricitas magis erit cognita et culta, hoc caput ad multo maiorem ſimplicitatem, et in meliorem ordinem, et ad vniuerſales regulas redigi poterit; quum nobis, non ſocordibus, ſed excitatis ad veri inueſtigandi cupiditatem, nunc modo phaenomena, colligere contigit.„ Ceterum de vi medica electricitatis parum admodum ſperat Auctor. Ipſe in ſex homini- p. 316.
bus periculum fecit, quid haec vis poſſet contra amauroſin, ſurditatem, paralyſin, otalgiam, vel odon-

odontalgiam: verum nullam opem his aegris ferre potuit. Quin ſemet ipſum in proprio corpore noxas electricitatis ter eſſe expertum ſcribit, quum paullo maiore in experimentis electricis capiendis diligentia in febrem vehementem inciderit. Quae res, ſi qua omnino culpa in electricitatem coniicienda ſit, maximam tamen partem peculiari, quae Auctori fuit, conſtitutioni corporis imputanda eſſe videtur. Nouimus enim haud paucos, qui per longum tempus fere quotidie corpora electrica ſine vllo valetudinis incommodo tractarunt.

In Cap. XXVI. tabula exhibita eſt, grauitates ſpecificas corporum tam ſolidorum quam liquidorum continens, longe amplior vlla, quam nos adhuc
p. 536. vidiſſe meminimus. De hac monet ipſe Auctor, eam quidem non perfectam eſſe, tum quod non omnia corpora examinauerit, tum quod ad coeli calorem et ponderis atmoſphaerici diſcrimina non ſemper attenderit (factae autem ſunt librationes partim menſe aprili, partim menſibus iulio et auguſto); attamen penſionum accurationi tantopere ſeſe ſtuduiſſe, vt maiori cum cura aliam eiusmodi tabulam vnquam conſtructum iri dubitet. Acceſſerunt etiam huic capiti variae obſeruationes de grauitate ſpecifica corporis miſti e maſſis, quae inter commiſcendum aut ſe mutuo penetrant, aut caleſiunt.

p. 593. In Capite XXVII. de aqua Auctor longe fuſius de glacie diſſeruit, et nunc, a BOERHAAVIO ſecedens, illis ſe adiunxit, qui aquam ſaepe repetita deſtillatione in terram conuerti poſſe ſtatuunt.

Caput XXXIV. de coloribus, in locis de annulis verſicoloribus inter laminas vitreas ſibi mutuo impoſitas, et de principiis artis tinctoriae haud ſpernenda augmenta nactum eſt.

In

In capitibus XXXV et XXXVI de fabrica oculi, et de viſione Auctor plenius et accuratius, quam antea, ſcripſit, adiutus in poſteriori IURINI tentamine de viſione diſtincta, in priori ZINNII commentatione, et Cl. ALBINI doctrina, a quo etiam iconem in Tab. XLI. quae ſectionem oculi per axem refert, ſe accepiſſe profitetur. Ad difficilem illam quaeſtionem, quomodo in oculo contingant mutationes ad diſtinctam rei nunc eminus, nunc cominus conſpectae in tunica retina delineationem neceſſariae, aliter, quam olim, ſed dubitanter, reſpondet. Proceſſus ciliares non amplius idoneos agno- p. 759.
ſcit, figurae vel loco lentis cryſtallinae mutando, cum nec muſculoſi ſint, nec ſuas extremitates capſulae lentis infixas habeant. Potiſſimas autem in hoc negotio partes tribuit ipſi anteriori membranae craſſae et elaſticae huius capſulae, et *zonae ciliari*, p. 749.
quam etiam *coronam ciliarem* vocant, hoc eſt, mem- 752.
branulae peculiari, quae ab anteriori parte tunicae humoris vitrei orta inter illum et pigmentum nigrum ligamenti ciliaris progreditur, et conuexitati anteriori capſulae lentis immittitur, et cui ligamentum ciliare ope glutinis tenacis potius, quam vera celluloſitate, firmiter tamen, eſt coniunctum. Tenſis hac zona et membrana capſulae lentis anteriore, lens premitur in humorem vitreum, et propius admouetur retinae, relaxatis, humor vitreus, a tunicis oculi compreſſus, repellit lentem antrorſum, et lens ſimul aqueum humorem verſus corneam propellit, eamque gibboſiorem reddit. Sed quia lens cryſtallina per $\frac{87}{100}$ poll. mouenda eſt, vt res exigua in diſtantia 6 poll. et in diſtantia 14 ped. et 5 poll. aeque diſtincte videatur, lens autem, etiamſi tota vitrei humoris fouea, in qua ſedet, applanetur, non niſi per ſpatium $\frac{62}{100}$ pollicis, dimidiae ſuae craſſitiei aequale, antrorſum moueri poteſt: neceſſe eſt, figu-

ram quoque lentis mutari, et intuentibus propinqua anticam lentis ſuperficiem conuexiorem, poſticam minus conuexam euadere. Hanc vero figurae
p. 760. mutationem etiam naturae elaſticae et muſculoſae zonae ciliaris, et anterioris partis arachnoideae deberi, ſuſpicatur; tenſione enim earum lentem apprimi vehementer ad vitreum, ideoque huius reſiſtentia planiorem illam reddi, expulſo e veſiculis inter membranas, ex quibus lens conſtat, humore; hoc humore, quippe incondenſabili, forſan propelli limbum capſulae lentis in canalem PETITI vacuum et dilatabilem, ita vt hic ipſe humor interea, dum lentis figura reſtituatur, a canali illo recipiatur, limbo tamen capſulae incluſus; deinceps autem arachnoidea ſeſe relaxante, figuram lentis tum elaſticitate lamellarum ſuarum reſtaurari, tum refluxu iſtius humoris in cellulas ſuas inter membranas lentis.

Nimis longi eſſemus, ſi cuncta in ſequentibus capitibus vel mutata in melius, vel amplificata, vel recens adiecta indicare vellemus. Sufficiunt hactenus dicta, vt Lectores praeſtantiam huius operis prae antecedentibus Auctoris de eodem argumento libris intelligant. Et ſane videtur nobis hoc opus omnibus, qui in ſcientiae naturalis adyta penetrare cupiunt, vehementer commendandum, tanquam repertorium plerorumque omnium, quae in illa hactenus inuenta ſunt, et tanquam index multorum, quae in eadem adhuc incerta ſunt, et poſterorum perſpicaci induſtriae relicta.

XXXVII. Mer-

XXXVII.

Mercurii ſublimati vindiciae. GERVASII ERNESTI ZANNINI Phil. et Med. Doct. diſſerta epiſtola ad illuſtr. D. Baronem GERARDUM VAN SWIETEN etc. Romae ex typogr. Komarek apud ianuam paruam S. Marcelli. 1761. 4. pl. 3½.

Mercurius ſublimatus, cuius vſus ab Ill. VAN SWIETEN reſtitutus et a plurimis medicis adeo commendatus eſt, etiam ſua habet fata, ſiquidem et ab aliis contemptus et pro nociuo medicamine habitus eſt, immo et Romae ſuſpectus fieri coepit. Ibi enim vir, violenta cordis palpitatione cum ſpirandi difficultate laborans, cui Cl. BASSANUS, inſcio BONELLO, altero medico, qui curam eius prius iam habuerat, accedente oedemate mercurium ſublimatum dederat, poſtquam per decem eum aſſumſerat dies, ſubito conuulſus obiit. Cl. BONELLUS ſectionem cadaueris inſtituit; neglecta capitis disquiſitione, cordis auriculam dextram naturali latiorem, pericardium aqua oppletum, oeſophagum, ventriculum et inteſtina tenuia inflammata, eroſa, nigra, gangraenoſa et ſphacelata reperit, atque varia hanc ob rem diuulgauit ſcripta, in quibus affirmauit: 1) mercurium corroſiuum morbo huic non conueniſſe; 2) iuſto largiori doſi et incaute fuiſſe adhibitum; 3) cauſſam fuiſſe eroſionis, gangraenae ipſiusque mortis. Hinc commotus eſt Noſter, mercurii ſublimati agere cauſſam, qua in re ita verſatur, vt praemiſſis iis, quae ad hunc caſum faciunt, denuo epicriſin ſuam obiectionibus Cl. BONELLI accommodatam addat. Exiſtimat itaque, ſtante mercurii ſublimati vſu, plurimis experimentis probato, ſequi, aut BASSANUM ſublimatum non caute de- p. 9.

 diſſe,

diſſe, aut BONELLI in diſſecto cadauere obſeruata manca fuiſſe, atque putat, circa eius vſum neceſſarium eſſe conſiderari et indolem morbi et modum eum propinandi. Ad primam BONELLI obiectionem dubie reſpondet, et an BASSANUS in hoc morbo, cuius diagnoſis dubia et incerta neque ex ſymptomatibus definienda erat, aegro mercurium recte dederit, anceps haeret Cl. Auctor, propter doſin vero et methodum, qua aegro ſublimatus propinatus eſt, cum a conſueto more vix receſſerit
p. 18. BASSANUS, eum taxari haud poſſe cenſet. Ad tertiam BONELLI obiectionem, gangraena ſcilicet periiſſe aegrum, varia de ſectione monet Noſter, et coniicit, inteſtina, non deterſa, ab aſſumpto quotidie ſyrupo violaceo fuiſſe tincta, aut etiam mercurio vel incipiente corruptione, ſiquidem aeſtiuo tempore poſt 30 demum horas ſectio facta eſt, ſanguinem reſolutum eſſe, vnde quaſi gangraenoſa et ſphacelata apparuerint; vt venenum vero hoc in caſu haberi poſſe mercurium ſublimatum, negat, atque concludit, quia de nullo inflammationis ſenſu aut dolore conqueſtus eſt aeger, neque ſymptomata venenis pereuntibus conſueta habuit, illum, quam diu vixerit, gangraena non laboraſſe neque ea periiſſe, huncque exitioſum effectum neutiquam mercurio ſublimato tribui poſſe, Cl. BONELLUM autem, vel cautiones quaſdam in ſectione omiſiſſe, vel praecipitanter nimis in aſſumta inteſtinorum gangraena a ſublimato egiſſe, atque aliam forte morbi mortisque cauſſam in capite, niſi eius neglecta eſſet ſectio, detexiſſe; potius videri, obſeruatam latiorem cordis auriculam dextram et ventriculum atque aquam in pericardio collectam in cauſſa fuiſſe, quod aeger, ſuppreſſo cordis motu, ſuffocatus aut conuulſiua cordis palpitatione obierit.

XXXVIII.

XXXVIII.

D. CHRISTIANI GOTTLIEB LUDWIG, Ord. Med. in Acad. Lipſ. Decani, Inſtitutiones medicinae forenſis praelectionibus academicis accommodatae. Lipſiae, in officina libraria Gleditſchiana. 1765. 8. pl. 11.

Vt varios libellos ad ſyſtema medicinae pertinentes, praelectionibus academicis accommodatos, nobis hactenus exhibuit Cl. Auctor, ſic nunc in medicina forenſi vltimum tradit. Cum vero ordinem doctrinarum a Cl. HEBENSTREIT in *anthropologia forenſi* aſſumtum inſtitutioni conuenientem iudicaret, illum quoque quoad capita primaria ſequutus eſt, et tantum paſſim in doctrinis ſingularibus mutauit. Licet autem res propoſitas tantum ſuccincte, vt libelli ratio exigit, indicauerit, nec ampliori explicatione illuſtrauerit: nihil tamen, quod ad inſtitutionem pertinet, neglexit, ſed omnia argumenta, quae in medicina forenſi agitanda et in ſcholis explicanda ſunt, tradere annifus eſt.

Ordinem autem doctrinae ſequens tabula ſiſtit.

Pars I. De officio medici in republica ordinanda.

Cap. I. de cura naſcituri et neonati.

II. de cauſſis ſanitatis publicae ordinandis.

III. de ordinandis conualeſcendi ſubſidiis.

IV. de cauendis morbis vniuerſalibus.

V. de cura mortuorum.

Pars II. de officio medici in legibus interpretandis.

Tractatio I. de quaeſtionibus iuris ciuilis.

Cap. I. de priuilegiis grauidarum.

II. de partu legitimo.

III. de aetatum priuilegiis.

IV. de ſimulatione et diſſimulatione morborum.

V. de ſoſtris.

Tractatio II. de quaeſtionibus iuris criminalis.
Cap. I. de certitudine facti phyſico-medica.
II. de laeſionibus, morborum et mortis cauſſis.
Sectio 1. de lethalitatis idea et diſtinctione.
2. de infanticidio.
3. de vulneribus capitis et colli.
4. de vulneribus thoracis.
5. de vulneribus abdominis.
6. de vulneribus externarum partium.
7. de inepta medendi ratione.
Cap. III. de veritatis eruendae rationibus.
IV. de poenis afflictiuis corporum.
V. de excuſationum rationibus medicis.
Tractatio III. de quaeſtionibus iuris eccleſiaſtici.
Cap. I. de diuortiorum rationibus phyſicis.
II. de dubiis circa baptiſma monſtroſi foetus quaeſtionibus.

Dabimus nunc ſparſim ſelectas doctrinas, ex
p. 8. quibus ſpecialis idea operis patet. Ad copiam ciuium in republica conſeruandam et augendam apta ſunt ſanitatis publicae praeſidia, per quae incolae non tantum incolumes reſtant, ſed vegeti etiam parentes ex rite ordinata, caſta, et moderata venere, progeniem ſanam et numeroſam exhibent, quae inter eos, qui ruri viuunt et exercitata corpora habent, magis, quam inter eos, qui in vrbibus populoſioribus deſidia et luxu infirmantur, quaerenda eſt. Spuria ideo genus humanum multiplicandi ſubſidia dicit Auctor polygamiam, praematura coniugia et inordinatam venerem.

p. 12. A foemina ad obſtetricis munus initianda exigit, vt ſit mediae aetatis, puerperium aliquoties ipſa experta, corpore vegeto et animo ad res diiudicandas inſtructa, quae, quando peritiae ſuae nonnulla exhibuit ſpecimina, a medico phyſico vel obſtetricio inſti-

inſtituenda et examinanda eſt, quo partium in partu concurrentium fabricam et actionem, vteri grauidi mutationes et foetum cum ſecundinis cognoſcat, ideoque non tantum partus naturalis progreſſum, ſed etiam ſitum infantis praeternaturalem diiudicet, et ad obliquitatem capitis dirigendam, et foetum, ſi neceſſitas id ita exigat, inuertendum, apta ſit. Reliquae enim res, et quae ferramentis efficiendae ſunt, medicis obſtetriciis relinquantur.

In cauſſis ſanitatis publicae ordinandis ea, quae ad rerum non naturalium dictarum rationem in vniuerſum pertinent, Auctor expendit, quatenus nimirum a principe et magiſtratus directione pendent. Hinc climatis correctionem fieri aſſerit, ſi vmbroſae et nimis humidae ſyluae exſcinduntur, aquae ad oſtia fluminum ſtagnantes foſſis deriuantur, et aggeribus coercentur, paludes exſiccantur, cet. Sic de cura aquarum agens monet, puteos in vrbibus populoſioribus effodiendos ad bonitatem viuae ſcaturiginis accedere poſſe, dummodo aquae in iis ſtagnando non corrumpantur, acceſſus aquarum impurarum per ſtrata vliginoſa et turfacea argilla circumpoſita arceantur, nec ex cloacis et impurae aquae ductibus ſpurcus affluat humor. p. 14. p. 17.

In conualeſcendi ſubſidiis de rite conſtituendis medicis, chirurgis et pharmacopoeis tractat, variaque monita addit. Simili ratione in cauendis morbis vniuerſalibus praecipue de contagioſis agit, et de auxiliis in peſte, a magiſtratu potiſſimum ordinandis, fuſius diſſerit, et nonnulla de peſte boum ſubiungit. p. 19. p. 27.

Partum legitimum nouem a conceptione menſibus abſolutis aſſumendum eſſe dicit; ſed intelligit menſes ſolares. Cum autem nonnulli ad decimum menſem, immo ad initia vndecimi, tempora partus legitimi extendant: priores quidem menſes lunares p. 39.

ſynodicos intelligunt, quae orientalium populorum et forte HIPPOCRATIS numerandi ratio erat, poſteriores menſes periodicos lunares aſſumere videntur, et ideo decem menſes ſolares et ſeptem circiter dies numerant, quibus praemiſſis in cauſſas partus praecocis et ſerioris inquirit, quo et in his legitimus partus definiatur, tandem de monſtroſo et ſuppoſititio foetu agit.

p. 58. De certitudine facti phyſico-medica differens, corporis delicti ceu rei corporeae ſenſibus definiendae rationem declarat, et, quomodo in illud inquirendum ſit, praecipit. Oſtendit itaque inprimis, quando inſpectio cadaueris ſufficiat, et quando ipſa diſſectio forenſis inſtituenda ſit, et huius rationem in vniuerſum declarat, variisque exemplis illuſtrat, inprimis vero officium iudicis, medici et chirurgi in diſſectionibus cadauerum corpus delicti conſtituentium deſcribit.

p. 73. Lethalitatis idea difficile euoluitur. Cum varia ſit ad mortem via, ea quidem ex laeſione violenta repeti debet; cum autem interea auxilia non deſint laeſo applicanda, non tantum noxa, ſed etiam omiſſio auxiliorum attendenda eſt. Minime tamen in lethalitate declaranda de omiſſione auxiliorum tantum, ſed et de laeſionis primae effectibus vna ſerie deductis nec infringendis cogitandum, ideoque ad tria potiſſimum momenta reſpiciendum eſt: ad lethalitatem abſolutam ſiue certam vitae iacturam ex laeſione pendentem; ad accidentalem ex aliis ſimul cauſſis concurrentibus enatam; ad morbum aliquem coniunctum; quae quidem diiudicandi rationes multis exemplis declarantur, in quibus ad actionum laeſarum corporis differentiam, ad mortem ſubitaneam, ad exempla curationis laeſionum et alia reſpicitur, quae lethalitatis gradus recte definiunt.

In

In infanticidio declarando Cl. Auctor abortus et p. 84.
praematurae foetus excluſionis cauſſas examinat, paulo poſt quaeſtiones de ignoratione grauiditatis, de impoſſibilitate auxilii in partu accipiendi, et ignorantia ſubſidiorum vitae foetus poſt partum conſeruandae expendit, quaedam etiam de inquiſitione matris, quae peperit, inſpergit, deinde de foetu ante vel in ipſo partu, vel poſt eundem mortuo diſſerit, et hac in re potiſſimum ad pulmones ceu reſpirationis organum reſpicit, tandem vero cauſſas mortis in haemorrhagia, quae ex funiculi vmbilicalis laeſione et neglecta deligatione pendet, et ex vaſorum vacuitate cognoſcitur, vel in aliis laeſionibus mortiferis, ex quibus etiam ſuffocatio eſt, diiudicat.

Cum pulmones in aqua ſubſidentes vel ſuper- p. 96.
natantes vt certiſſima ſigna foetus ante partum vel poſt partum mortui vel viui aſſumat Noſter, fallacias, quae ſubeſſe poſſent, remouere annititur. Clauſo adhuc vtero aerem elaſticum intrare poſſe negat, et porro monet, in ipſo partus actu naturali, qualis clandeſtinus eſt, foetum reſpirare non poſſe, cum in eo os infantis vteri orificio aperto nunquam obuertatur, et licet aer acceſſerit, tamen expanſio thoracis, quae ad reſpirationem veram pertinet, in vtero nunquam ſuccedit. Inflatio aeris violenta, ſi quae euenerit, experimentum non confundit, quod illa per teſtes comprobanda eſt. Putredo cadaueris externa ſaepe pulmones non tangit, quod ſi vero et hi putredine affecti ſint, experientia tamen conſtat, illos, niſi aer elaſticus reſpiratione vera acceſſerit, in aquis ſubſidere. Concedit tamen Cl. Auctor, in ſummo putredinis ſtatu ex pulmonum experimento tunc ad vitae praeſentiam vel abſentiam tuto concludi non poſſe.

p. 104. Color rubicundus oſſium bregmatis et vicinorum, et ſeri ſanguinolenti ſub his et dura matre effuſio, mortem violentam non indicat, cum haec mutatio in partu etiam difficili eueniat; niſi igitur grauiora violentiae externae et effuſionis ſanguinis ſigna adſint, violenta mortis ratio non euinci poteſt.

p. 107. Oſſium caluam conſtituentium laeſiones et fracturae per ſe nullam lethalitatem habent, cum oſſis frontis ſuperioris et parietalium fracturae a chirurgis attente disquiri, et incommoda inde nata remoueri poſſint; ſemper ideo ad mutationes ex fractura in encephalo natas reſpiciendum eſt. Pars oſſis ablata, vulnus amplum ad duram matrem vsque penetrans, vel fracturae apertae, ex quibus partes eximi et humor extrauaſatus tolli poteſt, ſaepe minus periculi inferunt, quam concuſſio. Laeſiones durae et piae matris et ſubſtantiae cerebri corrigi poſſunt, ſed humores in cauis cerebri extrauaſati, vel ad baſin caluae delati, lethalitatem inferunt, niſi forte exigua portio, reſorptione remouenda, exceptionem faciat.

p. 116. Suffocationis disquiſitio difficilis eſt, cum in apoplecticis et catarrho ſuffocatiuo oppreſſis eadem ferme ſigna occurrant. Auricula enim cordis et ventriculus anterior intumeſcunt, et praeter ſtaſin ſanguinis in variis corporis partibus venae iugulares et vaſa piae matris vehementer turgent. Variis igitur ſuffocationis modis disquiſitis, quaeſtiones quasdam dubias reſoluere tentat Noſter.

p. 118. Ex aqua eductis et mortuis viſis etiam auxilium afferendum eſt. Non conuenit corpora inuertere vel nimium agitare et circumuoluere, licet hae agitationes circulum humorum reſtituere videantur. Blanda igitur agitatione partium et inprimis leniore frictione thoracis et abdominis in loco temperato

et

et ſub ſtragulis modice calidis circulus humorum denuo cieatur. Vapores irritantes, vt herbae nicotianae fumus, faucibus et ano inflentur, fauces et nares plumula irritentur, quo aqua, forte ingurgitata, vomitu reiiciatur, corpore non nihil calefacto iugularis venae inciſio ſuadenda eſt.

Ventriculus in ſuperficie ſuperiori, loco non nihil a curuatura magna diſtante, vulnere laeſus interdum curationem admittit. Contuſiones validae, quibus inflammatio et gangraena mouentur, laeſio vaſorum maiorum in curuatura magna excurrentium, duplex vulnus ventriculi vtrumque parietem perfodiens, nec non vulnus ad cardiam deductum maiorem attentionem exigunt, et abſolutam ſaepe lethalitatem inferunt.

Veneni ſumti vel dati ſuſpicio ſectionem legalem vrget, ſi ſine violentiae externae vel morbi praegreſſi ſignis ſubitanea mors ſequitur, ſi in moribundo ſpasmi et dolores vehementes canalem inteſtinorum afficiunt, ſi ſitis clamoſa, nauſea, vomitus et cholera vrgent, ſi animi deliquia vel inflammationis ſigna, vel conuulſiones vniuerſales oriuntur. Augetur ſuſpicio, ſi poſt mortem abdomen ſubito intumeſcit, et alia putredinis ſigna in faucibus et vniuerſo corpore ſe produnt. Veneni tamen effectus non certo euincitur, niſi in canali alimentorum et venenum praeſens et aliae laeſiones deprehendantur. p. 126.

Philtra, ad venena vtplurimum relata, vt medicamenta, quae ſua indole amorem immoderatum, morali correctione non mutandum, excitant, Cl. Auctor non concedit, licet vehementes animi affectus ideoque etiam amorem ad melancholiam et maniam diſponere, et medicamenta ſic dicta aphrodiſiaca ob nutrientem et calidam indolem malum hoc phyſicum augere poſſe, non neget. Si igitur p. 130.

ex

ex alimento vel medicamento cum animi contentione dato et ſumto laeſa phantaſia magis corrumpitur, et morbi illi augentur, laedens qualitas ex ſolis cauſſis phyſicis diiudicanda, et, ſi haec deprehenditur, interdum ad venena reducenda eſt.

p. 137. Si medicus venena miſcet et alia inſtrumenta artis ſuae in perniciem hominum conſulto dirigit, in eum, non vt medicum, ſed alium quemlibet vitae humanae inſidias ſtruentem inquirendum eſt; ſi vero efficaciſſimis medicamentis mercurialibus et arſenicalibus vſus eſt, et tentaminis rationem ex cauſſis phyſicis tradit, tunc effectus funeſtus a medicis rationalibus ex ſuis cauſſis diiudicandus, et medicus, qui experimenta per mortes egit, puniendus eſt.

p. 139. In veritatis eruendae rationibus quaeſtio, num veritas facti per torturam eruenda ſit? deciſioni iureconſultorum permittitur: declarantur tamen torturae gradus ex principiis phyſicis, quatenus dolores varios excitant, et limitationes in ea applicanda inde deriuantur.

p. 146. Qui ad vltimum ſupplicium ducendi ſunt, a morbo grauiori liberi ſint, et licet leuiores morbi v. c. dolores capitis et dentium, vel chronici morbi, vt ſcabies et lues venerea, dilationem ſupplicii non exigant: febres tamen acutae vehementi paroxyſmo ſaeuientes, et perturbatus animi ſtatus diem poenae differre iubent, cum in moribundo vera animi praeſentia et conſtantia requiratur, quo poenae grauitatem ſentiat, et ſolatio religionis in vltimo vitae termino fruatur.

p. 149. In excuſationibus reorum, quae ab animi ſtatu petuntur, cauſſae morales quidem negligendae non ſunt, ſemper tamen et praecipue ad cauſſas phyſicas reſpiciendum eſt. Animi affectus vehementes non excuſant, niſi ad deliria et animi alienationem vsque inten-

intendantur; ſi hoc ex aliis actionibus, ad delictum non pertinentibus, declaratur; ſi nulla cauſſa moralis, vt praecipua, adduci poteſt; ſi quaedam aegroti corporis ſigna ex cauſſis et effectibus declarantur, excuſatio legitima eſt; tunc vero defenſor ſeriem actionum ſuſceptarum perpendat et oſtendat, auctorem alicuius facti et ante ſcelus perpetratum, et in ipſo actu, et poſt perpetratum facinus verae melancholiae indicia exhibuiſſe.

Diuortiorum rationes ex iis cauſſis peti debent, p. 155. quae procreationem ſobolis impediunt, alter enim finis matrimonii, mutuum adiutorium, medici attentionem non exigit, extinctionem libidinis vt tertium finem defendi non poſſe Cl. Auctor exiſtimat, cum ſtimuli veneris nimii et inordinati in vtroque ſexu morboſi potius, quam naturales ſint, et coniugio conceſſo vix reprimantur, ſed illud vel ex vna vel altera parte ingratum et ſanitati exitioſum reddant.

XXXIX.

Noua phyſico - medica.

Tractatio, quam Regia Chirurgorum Academia *Pariſina* hoc anno promiſerat praemio ornare *), ſtabilire debebat theoriam contrafiſſurarum, quae fiunt in laeſionibus capitis, et inde eruere ea, quae ad praxin prodeſſent (*établir la theorie des Contrecoups dans les leſions de la téte et les conſequences pratiques, qu'on peut en tirer*). Commentarii autem, quos hac de re Academia accepit, nuper in conuentu publico, die 10 menſis aprilis huius anni 1766 celebrato, disquiſiti ſunt, et omnium praemio digniſſimus is iudicatus eſt, cuius Auctor erat Cl.

GRIMA,

*) vid. Comment. hor. Vol. X. p. 167.

GRIMA, Chirurgus Primarius ordinis equeſtris Melitenſis. Praemium moneta eſt aurea quingentarum librarum Gallicarum (500 *livres*). Secundum vero praemium, quod *Prix d'emulation* appellatur, et moneta eſſe ſolet ducentarum librarum, reportauit Cl. SAUCEROTTE, Chirurgus Lunauillenſis. Praeter ea quinque alias minoris pretii monetas eadem de cauſſa Academia diſtribuit.

Academia vero Electoralis *Theodoro - Palatina*, quamuis ſuper propoſitis quaeſtionibus oeconomicis ſecundi ordinis ei multi traditi ſint commentarii, nulli tamen eorum potuit adiudicare praemium. Etſi enim inter eos eſſent quidam, qui Academiae aſſenſum promereri viderentur, quum vero in vtraque re proponenda ſcriptores omiſiſſent, quod vel inprimis Academia vrſerat, rationem habere Palatinatus: ea ſatius duxit et in conuentu publico die 17 menſis aprilis huius anni conſtituit, quaeſtionibus his denuo praemium, quod moneta eſt aurea quinque et viginti numorum aureorum Belgicorum, proponere. Nouos autem, qui eum in finem conſcripti fuerint, commentarios exſpectat Academia ante finem ſequentis anni 1767. Alteram vero quaeſtionem de margae vſu ad agros fertiliores reddendos, et de ea in Palatinatu inuenienda quaerendaque; alteram vero de apium cultura ibidem augenda agere, alio tempore *) iam narrauimus.

Quae *Berolini* conſtituta eſt Regia Scientiarum elegantiorumque literarum Academia nuperrime die 7 menſis iunii in publico conuentu de eo decreuit themate, quod ex aliquot annis iam propoſitum et ex praecedenti in hunc dilatum fuerat **). Ex omni-

*) vid. Comment. hor. Vol. XII. p. 163.
**) Vol. XI. p. 165.

omnibus commentariis ille praemio dignus habitus eſt, cui addita erant haec verba: *ſimilia ſimilibus gaudent.* Reſignata vero ſchedula nomen continebat DURADE Pariſienſis.

Regia etiam Scientiarum Societas *Monſpelienſis* die 23 menſis aprilis publicum celebrauit conuentum, in quo declarauit, ſe illud praemium, quod Cl. SAUMIER, ſupplicum libellorum magiſter et Societatis huius membrum, vt appellant, liberum teſtamento olim legauit, illi eſſe exhibituram, qui *indicauerit optimum modum exprimendi oleum ex oliuis*, et qui *ſimul ex phyſicis rationibus demonſtrauerit, quomodo illud rancidum fiat, et remedium vitii huius praecauendi et tollendi.* Die vltimo menſis aprilis anni demum ſequentis 1767 praemium, monetam nimirum pretii trecentarum librarum Gallicarum, merenti addicet Academia.

Societas quoque oeconomica *Bernenſis* praecedenti anno praemium aliquod, viginti numorum aureorum Hollandicorum, deſtinauerat optimae reſponſioni quaeſtionis huius, *quae eſſent certiſſima adminicula, quibus vina Heluetica meliora poſſent reddi?* Illud nunc die 20 menſis martii huius anni Nobilem quendam virum, FELICEM A MÜRTEN, Centurionem, reportaſſe, legimus. Praeter hunc vero eandem rem optime explanauerat Vir Cl. BURGEOIS, Med. Doctor Ebrodunenſis.

Hagae Comitum munus Profeſſoris anatomiae, chirurgiae et artis obſtetriciae, quo primum THOMAS SCHWENCKE et poſtea CONR. HENR. VELSE ſe abdicauerant, iam ſub finem anni praecedentis traditum fuiſſe Cl. viro DOMINICO HUIBERS, Med. Doct. nuper demum per literas accepimus.

CONR. H. VELSE vero a Sereniſſ. Principe Arauſionis Archiater electus eſt.

Halae Magdeburgicae munus Profeſſoris phyſices et mathematum, quo I. IOACH. LANGIUS, cuius mortem ſuperius narrauimus, perfunctus eſt, IOANNI PETRO EBERHARDO, medicinae antea iam Profeſſori Publ. Ordin. Acadd. Imperial. Natur. curioſorum et Electoralis Moguntinae Socio, viro in re phyſica aeque ac medica exercitatiſſimo atque variis in vtraque doctrina ſcriptis claro, datum eſt; vt adeoque Cl. EBERHARD nunc duplici praeſit muneri academico.

Berolinum nuperrime, die 9 menſis iunii, reliquit LEONHARDUS EULER, Director et Profeſſor claſſis mathematicae Regiae ſcientiarum Berolinenſis et Imperialis Petropolitanae, aliarumque academiarum Socius, *Petropolinque* profectus eſt, vt apud Imperialem ſcientiarum Academiam munus ipſi concreditum adiret. Eum vterque filiorum ſuorum eſt comitatus. In Berolinenſi vero Academia eius ſucceſſor denominatus eſt inclytus vir, LUDOVICUS DE LA GRANGE, Regiae Societatis Taurinenſis Socius ibidemque mathematum Profeſſor, quem, accepta a Potentiſſ. Rege Sardiniae venia, iter ſub initium menſis auguſti huius anni *Berolinum* ſuſcepturum eſſe comperimus.

Pariſina Academia Scientiarum magnam nuper fecit iacturam morte IOANNIS HELLOTI, non ſolum huius, ſed et Londinenſis Societatis membri. Die etenim 15 menſis februarii huius anni aetate confectus obiit Pariſiis. Vir erat in chemicis doctrinis verſatiſſimus, quod ii teſtantur commentarii, qui in variis Academiae ſcriptorum voluminibus

proſtant,

proſtant, inprimis vero ſingularis ille et vtiliſſimus *de arte tinctoria* conſcriptus libellus. In eius locum vero, ad claſſem nimirum chemicam, iam die 23 menſis aprilis ſurrogatus et in ſociorum numerum ab Academia receptus eſt Celebris Vir CADET, membrum Academiae Imper. Nat. Curioſorum, ſummus pharmacopoearum caſtrenſium Gallicarum Praefectus.

Praeter HELLOTUM vero *Lutetia Pariſiorum* tres alios amiſit viros, quorum fama omnem impleuit literarum orbem. Ibi enim iam circa finem praegreſſi anni mortuus eſt Celebris D' ARGENVILLE, Regiae Societatis Londinenſis et Montispeſſulanae Socius, cuius nomen inter eruditos non ſolum ob varia et ſplendida eius ſcripta, ſed etiam, et inprimis ob muſeum ſuum rerum ex cunctis naturae regnis aliarumque e genere elegantiori petitarum refertiſſimum magnisque pecuniis collectum conſeruatumque quam maxime inclaruit. Plurima et praecipua earum rerum naturalium ſpecimina continet et *Oryctologia* et *Conchyologia* ab eo edita.

Deinde *ibidem* die 14 menſis aprilis huius anni ſupremum obiit diem Cl. Vir, ANTONIUS PETIT, Ordinis ſummi Medicorum Pariſienſis Doctor, et Principis Aurelienſis Medicus Primarius, aetatis annum aſſequutus octuageſimum tertium.

In eodem aetatis anno et *ibidem* nuper IOANNES ASTRUC, Gallorum Regi a conſiliis medicis, Regius medicinae Profeſſor, Auguſti II. Regis Poloniarum S. R. I. Electoris et Ducis Saxoniae, dum viueret, Archiater, e vita diſceſſit. Quanta huius viri in artem medicam fuerint merita, non eſt, quod narremus. Vix inter tirones artis ſalutaris vllum eſſe arbitramur, quem ea lateant. Quouis modo,

docendo, ſcribendo et exercendo artis medicae fines extendere ad vltimum fere vitae halitum ſtudebat, quod libri *de morbis mulierum*, cuius vltimi tomi praecedenti, et libellus *de arte obſtetricia*, qui hoc ipſo prodierunt anno, comprobant. Praeter hos vero illi libri, quos *de morbis venereis* conſcripſit, memoriam nominis eius omni commendabunt poſteritati. In eo forte quibusdam reprehendendus videatur, quod in notiſſima illa lite, quae ex aliquot annis in Gallia agitatur, ex eorum fuerit numero, qui in variolarum inſitionem acrius inueherentur eamque tollere allaborarent.

Luget etiam *Mons Peſſula* ac omnis prouincia *Narbonenſis* mortem ANTONII FIZES, Med. Doct. Conſiliarii et Profeſſoris Regii, viri nominis celebritate conſpicui, qui ſub finem praecedentis anni in vrbe hac, prouecta quidem aetate, maturius vero, quam incolae illius optauerant, obiit. In tota enim prouincia alter quaſi habitus eſt Aeſculapius. Variis, licet minoribus, inclaruit ſcriptis, quorum vero plurima in vnum volumen collecta ſub indice *operum medicorum collectorum* ibidem 1742 prodiere.

Grauiter etiam tulit *Ravenna* mortem Ill. FRANCISCI GINANNI, Comitis Patricii Ravennenſis, qui ibidem die 8 menſis martii huius anni, aetate vero quadraginta nouem annorum, obiit. Natus eſt die 13 menſis decembris 1716. In aula Sereniſſimi ANTONII FARNESII, Ducis Parmenſis et Placentiae atque Sereniſſimae Ducis HENRICAE ATESTINAE educatus, praeter eas artes, quibus nobilis iuuentus ſolet inſtitui, magna animi contentione et literas didicit elegantiores tantumque in iis profecit, vt in Societatem Arcadum reciperetur et ab aliis Academiis, vt Rauennenſi *degl' Informi*, Foroliuienſi *degl' Icneutici* et Peruſiana ſociis ſuis adſcriberetur.

Maximo

Maximo tamen amore flagrauit doctrinarum phyſicarum mathematicarumque. Ipſe vitris opticis poliendis, tubis opticis, globis et ſphaeris mathematicis conſtruendis, thermometris barometrisque conficiendis Rauennae operam dedit. Nec hoſpitem et peregrinum in hiſtoria naturali fuiſſe, praeter theſaurum rerum naturalium collectarum in muſeo ſuo conſeruatum, ſcripta probant, quae partim ipſe edidit, partim edenda curauit. Illius enim cura anno 1755 Patrui eius, IOSEPHI GINANNI, opera poſthuma, quae plantas teſtaceaque maris Adriatici continent, Venetiis prodierunt *). Ipſe vero praeter minora quaedam ſcripta *de erucis* et iis *inſectis, quae in plantis generantur*, iam dudum vulgata, nuperius anno 1759 praeclarum edidit opus *de morbis granorum tritici* **) et non nulla theſauri ſui rerum naturalium ſpecimina in tabulas aeneas curauit incidi adiectisque annotationibus anno 1760 ornauit. Etiam in ſcriniis ſuis latere dicitur *hiſtoria ciuilis aeque ac phyſico-oeconomica pineti Ravennenſis*, quam propediem prodituram eſſe magna facta eſt ſpes. Inde anno 1762 a Societate Regia, quae Pariſiis floret et nomen ab agricultura gerit, anno 1765 a Societate oeconomica Bernenſi, eodemque anno a Londinenſi, in incrementum artium opificiorum mercaturaeque conſtituta, inter ſocios ſuos relatus eſt. Hic amor quoque literarum eum impulit, vt doctos viros liberalitate et beneficiis ornaret, vt adeoque non ſolum famam viri exquiſita eruditione praediti, ſed etiam gloriam fautoris promotorisque ſcientiarum ſit conſequutus.

*) Quorum pars prior, quae 1755 prodiit, in Commentar. horum Volumine V. pag. 109 ſqq. breuiter disquiſita eſt, alterius vero, quae ibidem 1757 edita eſt, mentio fiet in hor. Comment. Supplemento III.

**) vid. Comment. hor. Decad. I. Suppl. II. p. 313.

Laeti nuper ex relationibus publicis Danicis cognouimus, vnicum iſtum e ſocietate, quam Potentiſſimus Rex Daniae in Aſiam miſerat, et quae triſtiſſimis ſuccubuit calamitatibus, ſuperſtitem Cl. NIEBUHR, ſaluum ſoſpitemque ſub finem praecedentis menſis februarii *Bagdadi in Diarbechia* commoratum eſſe, vnde nunc iter *Aleppum* verſus meditari, vt itaque ſpes alatur, fore, vt coepti conſilii fructus non prorſus pereant.

Pleraeque mutationes, quae in *Suecia* ex aliquo tempore acciderunt, eo referuntur, vt publicis in poſterum parcatur expenſis. Idem in Academia *Lundinenſi in Scania* haud ita pridem factum eſſe relatum legimus. In hac enim, praeter munera profeſſorum cuiuslibet ordinis academici ordinariorum, olim quatuor conſtituta erant loca profeſſorum, vt dici ſolent, extraordinariorum, qui publico itidem nutriebantur ſtipendio. Vnus theologiae, alter chemiae, tertius oeconomiae et quartus naturali hiſtoriae erat deſtinatus. Vltimo tantum conſeruato, reliqua tria ex concluſo Senatus Regni Supremi nuper ſunt ſublata, ita, vt oeconomicae diſciplinae ſimul commiſſae ſint profeſſori hiſtoriae naturalis, qui etiam meridionalium coloniarum habet curam. Chemiam vero in poſterum docere iuſſi ſunt profeſſores et medicinae et phyſices experimentalis. Officia autem profeſſoris theologiae extraordinarii reliquis theologiae et graecae linguae profeſſoribus tradita ſunt. Vniuerſa itaque academia tribus et decem conſtat profeſſoribus, quorum tres ad ordinem theologicum, vnus ad iuridicum, duo ad medicum et ſeptem ad philoſophicum pertinent. Iuris vero naturae et morum profeſſor ſimul aſſeſſor eſt ordinis iuridici.

Quam-

Quamquam quibusdam in prouinciis de vtilitate inſitionis variolarum magnus adhuc obtinet diſſenſus, eaque exitioſa, certe periculoſa habetur: ſunt tamen et aliae, vbi, dispulſis opinionum praeconceptarum tenebris, ea nunc magis magisque inclareſcit. Huc *Sueciae* regnum inprimis referendum eſſe, praeter alia teſtimonia, id demonſtrat, quod nuper viri iſti, qui Regium Sanitatis Collegium conſtituunt, publicis in literis notum fecerunt: Se ordinaſſe et inſtituiſſe, vt gratis breui variolae inſeri poſſent viginti infantibus, pecuniis ad id neceſſariis ex aerario publico deſumtis, itaque veniam dare, vt parentes, opibus deſtituti, qui tamen et hac in re liberis ſuis conſultum cupiunt, id beneficii petant et mature nomina ſua profiteantur ſciſcitenturque, quo tempore ad hanc operationem vel praeparationem liberi ſint mittendi.

Non ſine ratione ſaepius botanicae cultoribus exprobratur, eos ſolummodo in contemplandis habitu, creſcendi modo et ſimilitudine plantarum, atque in earum ſyſtematibus excogitandis acquieſcere, de vſu vero earum, qui in commune vitae commodum redundaret, vel omnino non, vel parum ſollicitos eſſe, atque, etſi quid hac in re non nulli praeſtiterint, hoc tantum ad eas pertinere plantas, quae a medicis in officinis pharmaceuticis adhiberi ſolent. Et ſane pauca ſunt luſtra, ex quibus demum de oeconomico ſingularum plantarum vſu non nulli agere coeperunt. Sed plurimae ſuperſunt, quarum indoles ac vtilitas et adhuc ignota eſt. Huc ſine dubio gramina referre conuenit. Vt enim eorum hiſtoria et ſyſtematica diſpoſitio paullo difficilior eſt, ſic quoque de ſingulorum eorum vtilitate, praeſtantia et noxa parum adhuc conſtat. Gramina in genere praecipuam eſſe pabuli, quo pecus delectatur, par-

tem, id fere vnicum eſt, quod de eorum vtilitate ſcitur; quum tamen certum ſit, non nulla eſſe eorum genera, quibus ceu venenis omnia animalia abſtinent: alia, quae quaedam tantummodo auerſantur, ab aliis vero auide quaeruntur. Vtraque noſſe, vbi opus eſt, haec ſerere atque colere, illa vero exſtirpare, prudenti rerum oeconomicarum adminiſtratori decet. Quod vero fieri non poſſe, per ſe liquet, niſi iis hominibus aliqua ſubminiſtretur cognitio. Praeterea gramina et in alios vſus cedunt; varia enim ex iis praeparantur opera et plexa et texta, quae vel commodo hominum vel ornatui inſeruiunt; alia in arte tinctoria adhibentur, alia in officinas feruntur pharmaceuticas. Neceſſe itaque eſt, ſingula dignoſcere et in ſuos vſus colligere, quod itidem perfectam eorum ſupponit cognitionem. Quum inſuper libri, in quibus graminum hiſtoria tradita eſt, vel tanto pretio conſtent, vt a paucis acquiri poſſint, vel latina et iis conſcripti linguis ſint, quas ii plerumque non callent, qui in patria noſtra rerum ruſticarum curam gerunt; quum etiam libri vernacula conſcripti, quorum numerus ſane exiguus eſt, incompletas deſcriptiones, difformesque contineant icones, fieri non potuit, quin eorum hucusque pene nullam habuerint intelligentiam. Omnem itaque laudem promereri videtur *graminum hiſtoriae botanico-oeconomicae completae* edendae conſilium, quod iniit IOAN. CHRISTIANUS SCHREBER, M. D. et Societati oeconomicae Lipſienſi ab epiſtolis, vir, vt omni hiſtoria naturali, ſic inprimis ſcientia botanica inſtructiſſimus. Hoc opus, quod impenſis bibliopolae Lipſienſis, SIEGFRIED LEBRECHT CRUSII, adornabitur, accuratas et ad naturae exemplar expreſſas continebit delineationes et deſcriptiones eorum graminum calamariarumque, quae in Europa et praecipue his in

terris

terris vel ſponte proueniunt, vel ſub dio coli poſſunt, iis generibus, quae in India reperiuntur, vel curioſe in hybernaculis fouentur, in praeſens relictis. Illud vero ita inſtituetur, vt, quantum fieri poterit, gramina integra iconibus ſiſtantur, vbi eorum proceritas id impediet, radices ſaltim et ſpicae. Florum etiam fructuumque partes ſingulae, et, vbi exiguitas earum requirit, microſcopio auctae delineabuntur. In deſcriptionibus vero ſpecierum, quamquam breuitatis rationem habiturus eſt Auctor, nihil tamen eorum negligere ſpondet, quae vllo modo ad ſingulae ſpeciei cognitionem et vſum pertinere videantur. Per partes vero vtile hoc opus, emtorum in gratiam, vulgare conſtitutum eſt, ſingulisque bimeſtribus binae prodibunt tabulae aeneae, cum earum explicatione, in forma, quam appellant, folio. Magna, qua pollet alter CRUSIUS, frater bibliopolae, in arte chalcographica dexteritas elegantiſſimas nos exſpectare iubet icones. Si qui forte eſſent, qui eas, viuis coloribus pictas cuperent, ſciant, voluntati eorum fieri poſſe ſatis, modo per literas id aperiant. Proximis poſt feſtum S. Michaelis nundinis Lipſienſibus primae tabulae iam venibunt.

XL.

Index ſcriptorum phyſico - medicorum, quae anno 1763 prodierunt.

Auserleſene mediciniſch - chirurgiſch - anatomiſch - chymiſch und botaniſche Abhandlungen der Römiſch Kayſerl. Academie der Naturforſcher. 12ter Theil. Nürnberg. 4. m. K.

Hiſtoire de l'Academie Royale des Sciences. Année 1758; avec les Memoires de Mathematique et de Phyſique pour la meme année. a Paris. 4. c. tab. aen.
— — Année 1761. ibid. 4. c. tab. aen.

Hiſtoire de l' Academie Royale des Sciences. Année 1754. avec les Memoires de Mathematique et de Phyſique pour la meme Année. Nouvelle Centurie. Tome VII. VIII. a Amſterdam. 12. c. tab. aen. Voll. 2.

Memoires de Mathematique et de Phyſique, preſentés a l' Academie Royale des Sciences, par divers Sçavans, et lus dans ſes Aſſemblées. Tome IV. a Paris. 4. c. tab. aen.

Philoſophical Transactions, giving ſome Account of the preſent Undertakings, Studies, and Labours of the Ingenious, in many conſiderable Parts of the World. Vol. LII. Part. II. for the Year 1762. London. 4. c. tab. aen.

Verhandelingen uitgegeeven door de Hollandſe Maatſchappye der Weetenſchappen te Haarlem. Seevende Deel. te Haarlem. 8. c. tab. aen.

Kongl. Vetenſkaps Academiens Handlingar för År. 1763. Vol. XXIV. i Stockholm. 8 mai. c. tab. aen.

Abhandlungen der Churfürſtl. Bayriſchen Academie der Wiſſenſchaften. I. Band. 1 *u.* 2 *Th. München.* 4. *m. K.*

Gli Atti dell' Accademia delle Scienze di Siena, detta de Fiſio critici. Tom. II. in Siena. 4 mai. c. tab. aen.

Noui Commentarii Academiae Scientiarum Imperialis Petropolitanae. Tomus VIII. pro annis 1760 et 1761. Petropoli. 4 mai. c. tab. aen.

Nuova Raccolta d' opuſculi ſcientifici e filologici. Tom. X. in Venezia. 12.

Memoires et Obſervations recueillies par la Societé oeconomique de Berne. Partie I. II. III. IV. pour l' année 1763. a Berne. 8.

The London Magazine for the Year 1763. Part. I-XII. London. 8.

The Gentleman's Magazine. Vol. XXXIII. for the Year 1763. Ian.-Dec. and Suppl. London. 8. c. tab. aen.

Hambur-

Hamburgiſches Magazin der geſammleten Schriften aus der Naturforſchung und den angenehmen Wiſſenſchaften überhaupt. 26ter Band. Hamburg u. Leipzig. 8.

Fränkiſche Sammlungen von Anmerkungen aus der Naturlehre, Arzneygelahrheit, Oeconomie und den damit verwandten Wiſſenſchaften. 37 und 38tes Stück. Nürnberg. 8.

Dresdniſches Magazin, oder Ausarbeitungen und Nachrichten zum Behuf der Naturlehre, der Arzneykunſt, der Sitten und der ſchönen Wiſſenſchaften. Des 2ten Bandes 6 und 7des Stück. Dresden und Warſchau. 8.

Det Trondhiemske Sälskab Skrifter, anden Deel. med. Kobber. Kiöbenhavn.

Voyage en France, en Italie, et aux Isles de l'Archipel, ou Lettres ecrites de pluſieurs endroits de l'Europe et du Levant en 1760 etc. Avec des obſervations de l'Auteur ſur les diverſes Productions de la nature et de l'art. Ouvrage traduit de l'Anglois. a Paris. 12. Voll. 4.

Sammlung der beſten Reiſebeſchreibungen in einem ausführlichen Auszuge, worinne eine genaue Nachricht von der Religion, Regierungsverfaſſung, Handlung, Sitten, natürlichen Geſchichte und andern merkwürdigen Dingen verſchiedner Länder und Völker gegeben wird. Aus dem engl. überſezt. 1ſter Band. m. Kupf. Berlin. 8.

Hiſtoire naturelle generale et particuliere avec la Deſcription du Cabinet du Roy. Tome X. a Paris. 4 mai. c. tab. aen.

Natuurlyke Hiſtorie of uit vörige Beſchryving der Dieren, Planten en Mineraalen volgens het Zamenſtel van den Heer LINNAEUS, met naaukeurige Afbeeldingen. Eerſte Deels Vyfde Stuk; vervolg der Vogelen. t'Amſterdam. 8 mai. c. tab. aen.

Collection des differens morçeaux ſur l'hiſtoire naturelle et civile des Pays du Nord, ſur l'hiſtoire

 natu-

naturelle en general, ſur d'autres ſciences, ſur differens arts, traduits de l'Allemand, du Suedois, du Latin, avec des notes du traducteur par Mr. DE KERALIO, Aide maior a l'Ecole Royale Militaire. Tome I. a Paris. 12. (*Promittuntur octo Volumina*).

Dictionnaire portatif d'Hiſtoire Naturelle, contenant l'Hiſtoire, la Deſcription et les principales Proprietés des Animaux, des Vegetaux et des Mineraux, avec un Diſcours Philoſophique ſur la methode de conduire ſon eſprit dans l'etude de l'Hiſtoire Naturelle. Ouvrage utile aux Naturaliſtes, aux Phyſiciens, aux Pharmaciens et a toute perſonne, qui paſſe ſa vie a la campagne. a Paris. 8. Voll. II.

Spectacle de la Nature. Nouvelle Edition. 12. Voll. IX.

Britiſh Zoologie etc. Part. I. London. fol. c. tab. aen. 25. viv. coloribus pictis.

Precis du l'Education des Vers a ſoie. a Tours. 8. c. tab. aen. (*Auctore* DU VERGE. *Med. D.*)

Florae Danicae iconum faſciculus ſecundus, a Tabula LXI-CXX. viuis coloribus pict. (*germanice et latine*). Hafniae. fol.

Trattato ſulla cognizione e coltura dei Giacinti. Traduzion del FRANCESE, con figure in rame. In Viterbo. 12.

Efterretnin og Erfaring om Svampe, i ſaer Rŏr-Svampens velsmagende Bilſe; med Kobber. Kiöbenhavn. 4 mai. c. tab. aen. viu. coloribus pictis. (*Ex dedicatione ad Comitiſſam* DE SCHULIN *apparet*, OTTONEM FRIDER. MÜLLER *eſſe Auctorem huius tractatus de fungis*).

Vollſtändige Abhandlung vom Wieſenbau, ſowohl dem natürlichen, als künſtlichen, welcher unter Beſchreibung der guten und ſchädlichen Graſarten und Futterge-

tergewächſe nach den Gründen der neuern Landwirthſchaft erörtert, und durch ein neues Syſtem mit dem Acker und Weinbau vereiniget worden. Frankfurt und Leipzig. 8. (Auctore IO. CHRIST. BERNHARDT).

Svar på Frågan, om Ekar och andra Löf-träd kunna, utan fara för röta eller Maſk, barkas, förr än de fällas? Samt hura länge de til ſin fördel, eller åtminſtone utan ſkada, kunna ſtå på roten, ſedan de äro barkade? Men i fall förenämde Barkning på ſtående träd pröfvas ſkadelig eller underkaſtad Miſſbruk; på hvad ſätt ſkola då Garfverierne få bäſta gang af Barken, utan at ſielfva trädet därvid lider? hvilken Fråga af Kongl. Vetenſk. Academien upgifven, år 1762. Stockholm. 8 mai.

Svar på Frågan hurn Kunna Maſcar, ſom göra ſkada på Frukt-träd, medelſt blommarnas och Löfvens affrätande, båſt förekommas och fördriſmas? huilken Fråga af Kongl. Vetensk. Academien blef upgifven, år 1762. Stockholm. 8 mai.

Von der Natur des Torfes und von Zubereitung moraſtiger Gegenden zum Ackerbau. Bern. (Auctor prioris tract. eſt Cl. HAGEN Regiomont. altera diſp. Praeſide Cl. BERCH. defenſa eſt, nunc in linguam teutonicam translata).

Auserleſene Sammlung zum Vortheil der Staatswirthſchaft, der Naturforſchung, und des Feldbaues, mit Beyfall der oekonomiſchen Geſellſchaft in Bern aus dem Schwediſchen überſezt von GOTTLIEB SIEGMUND GRUNER; *mit einer Vorrede vom Herrn* VON HALLER. *Erſter Band. Baſel.* 8 *mai.*

Sammlung auserleſener Schriften von Staats und Landwirthſchaftlichem Innhalte, mit Beyfall einer löblichen oekonomiſchen Geſellſchaft zu Bern herausgegeben. Des erſten Bandes 3tes Stück. Bern. 8.

A Trea-

A Treatiſe of Agriculture. Edinburgh. 8.

Die Kunſt ſich geſchwinde durch den Ackerbau zu bereichern. Alles durch Erfahrungen bewieſen; aus dem franzöſiſchen überſezt. Augſpurg. 8.

Recueil des Deliberations et des Memoires de la Societé Royale d' Agriculture de la Generalité de Tours, pour l' Année 1761. a Tours.

Deliberations et Memoires de la Societé Royale d'Agriculture de la Generalité de Rouen. Tome I. a Rouen.

Allgemeine Haushaltungs und Landwiſſenſchaft, aus den ſicherſten und neueſten Erfahrungen und Entdeckungen geprüfet und in Ausübung grbracht von einer oeconomiſchen Geſellſchaft in England. 2 *und* 3*ter Theil. Hamburg und Leipzig.* 8 *mai.*

Gedanken von der Mecklenburgiſchen Wirthſchafts und Amtirungskunde, mit einigen merkwürdigen Beylagen. Leipzig. 4.

Das gerechte Verhältniß der Viehzucht zum Ackerbau, aus der verbeſſerten meklenburgiſchen Wirthſchaftsverfaſſung abgeleitet. Frankfurt und Leipzig. 8. *m. K.*

Sammlung oekonomiſcher Nachrichten, wie der Holzwachs befördert, beſſere Erſpahrung des Holzes eingeführt, dem Holzmangel geſteuret, und das Bauholz nützlicher angewendet werden könne. Anſpach. m. K. (Auctor eſt IO. CHRIST. HIRSCH).

Correſpondance ſur une queſtion politique d' Agriculture. a Amſterdam et Paris. 12.

L' Econome politique. Projet pour enrichir et pour perfectionér l' eſpece humaine. a Paris. 12.

Onomatologia oeconomica practica; *oder oeconomiſches Wörterbuch, in welchem die allernöthigſte, nützlichſte und durch ſichere Erfahrung bewährte Haushaltungskünſte zur Stadt und Landwirthſchaft gehörige unentbehrliche Anmerkungen, auserleſene*

Vortheile

Vortheile und Handgriffe nach alphabetiſcher Ordnung beſchrieben werden. Zum allgemeinen Nutzen des Bürgers und Landmanns, auch anderer, welche Landgüther haben. Aus den beſten theils alten, theils neuen Quellen zuſammen getragen, auch mit vielen neuen aus eigner Erfahrung gemachten nützlichen Anmerkungen bereichert, von einer Geſellſchaft oeconomiſcher Liebhaber. 2 und 3ter Theil. Ulm, Frankfurt und Leipzig. 8 *mai.* (Prior Tomus iam prodiit 1760).

Expoſition des Proprietés du Spalme conſideré comme Courroy pour la conſervation des Batimens de Mer; comme Enduit, pour celles des bois creux et des corps en general; comme Maſtic, pour la jonction des Marbres, des Pierres et des Metaux, avec la maniere de l'employér ſous ces trois rapports; à Paris. 8.

Verſuch vom Daſeyn des Eiſens im Karlsbader Brudelſteine; in einem Sendſchreiben an den Hr. D. GOTTLOB CARL SPRINGSFELD. *Dresden* 8. (Auctore C. KLINGHAMMER *Med. Studioſ.*)

Verſuch vom Mergel und deſſen Würkungen im Lande; Pyrmont. 8. (Auctore Cl. SEIP).

Sehr geheim gehaltene und nunmehro frey entdeckte experimentirte Kunſtſtücke, die ſchönſten und rareſten Farben zu verfertigen; ingleichen die Vergoldung und Verſilberung, ſowohl kalt, als im Feuer, auf Metall, Glaß, Porcelain, den feinſten gelben und weiſſen Tombac, rare Compoſition der Edelgeſteine, Glaſuren, Holz und Steinvergoldung zu machen; wie auch Anweiſung, das metalliſche Wachsthum zu befördern, das Gold radicaliter aufzuſchließen, unreife Edelgeſteine zur Reife zu bringen, fleckigte und gelbe Diamanten zu reinigen, und den blaſſen ihr Feuer wieder zu geben; nebſt vielen andern unbekannten chymiſchen Experimenten und Handgriffen, mit einem

nem Anhange von der Iapaniſchen Lackirkunſt. Drey Theile. Dritte und vermehrte Auflage. Zittau und Leipzig. 8.

Cosmogenia *oder neueſte und älteſte Naturgeſchichte in brüderlichen Anſchreiben.* 1 *und* 2*tes Quartal, oder* 1 *bis* 6*tes Stück. Amſterdam* 8.

Melanges de Phyſique et de Morale, contenant un Extrait raiſonné du Traité de l'Homme phyſique et moral; des Inſtitutions medicales; des Obſervations ſur les Regles generales pour la conſervation et le retabliſſement de la Santé; des Reflections ſur le Bonheur; un Diſcours ſur la nature et les fondemens du Pouvoir Politique; et un Memoire ſur le Principe phyſique de la regeneration des Etres. Nouvelle Edition, augmentée en pluſieurs endroits d' eclairciſſemens et de preuves etc. a Paris 12.

Deſcription des Arts et Metiers par l' Academie Royale des Sciences, contenant 1) Le nouvel Art d' adoucir le fer fondu par Mr. DE REAUMUR; au quel on a joint le Traité de la Forge des Enclumes par Mr. DU HAMEL DU MONCEAU. 2) L' Art du Tuilier et de Briquetier par MM. DU HAMEL, FOURCROI et GALLON. 3) L' Art du Chamoiſeur par M. DE LA LANDE. 4) L' Art de la Teinture en ſoie par M. MACQUER. 5) L' Art du Tonnelier par M. FOUGEROUX DE BONDAROY. a Paris. fol. mai. c. tab. aen.

Schauplatz der Künſte und Handwerke, oder vollſtändige Beſchreibung derſelben, verfertiget oder gebilliget von denen Herren der Academie der Wiſſenſchaften zu Paris. Zweyter Band, in das Teutſche überſezt und mit Anmerkungen verſehen von IOH. HEINRICH GOTTL. VON IUSTI. *Berlin, Stettin und Leipzig.* 4 *mai. m. Kupfern.*

(Reliqua proxime.)

Contenta

Contenta in hac parte.

1. Hiſtoire Naturelle générale et particuliere avec la Deſcription du Cabinet du Roi. Tome XI. pag. 179
2. BAUMERS *Naturgeſchichte des Mineralreichs etc.* 195
3. Parallele de la petite verole naturelle avec l'artificielle par M. DE BAUX - - 200
4. Diſſertation ſur la petite verole et l'inoculation. 201
5. Obſervations ſur la petite verole naturelle et artificielle. - - 203
6. Reponſe a une des principales Objections, qu'on oppoſe aux Partiſans de l'inoculation - 204
7. Avis ſur l'inoculation de la petite verole - 205
8. L'inoculation de la petite verole renvoyée a Londres 206
9. L'inoculation terraſſée par le Bon Sens - 207
10. Recherches ſur la nature et l'inoculation de la petite verole - - - ibid.
11. Examen de l'inoculation - - 209
12. Lettre de Mr. GATTI a Mr. ROUX - 210
13. Reflexions ſur les prejugés, qui s' oppoſent aux progres et a la perfection de l'inoculation par Mr. GATTI - - 211
14. Lettre de Mr. RAZOUX ſur les inoculations faites a Niſmes. - - 215
15. Lettre de Mr. DE LA CONDAMINE ſur l'etát preſent de l'inoculation - - 216
16. Rapport ſur le Fait de l'inoculation de la petite verole - - - 219
17. Memoire ſur l'inoculation addreſſé aux Commiſſaires de la Faculté par Mr. ROUX - 224
18. WRISBERG Pr. de inſitione variolarum 225
19. I. C. SCHAEFFERS *Zwiefalter oder Afterjüngferchen* - - - 226
20. Ejusd. *weichſchaalige Cronen und Käulenkefer* 228
21. LINNAEI, fil. plantarum rariorum horti Vpſalienſis Decas I. II. - - 230
22. Iournal de Medecine par Mr. ROUX. Tom. XVII. XVIII. - - 234

23. Theory

23. Theory and Practice of Chirurgical Pharmacy 258
24. De l' air, de la terre et des eaux de Boulogne ſur Mer, par Mr. DESMARS - 263
25. CAMPER Demonſtrationum anat. phyſiologicarum liber II. - - 270
26. ROB. WHYTT'S Phyſiological Eſſays. - 277
27. De ſplenis vſu morboque ſplenico liber - 289
28. Manuel de Chymie par Mr. BAUMÉ - 293
29. The vegetable Syſtem by IOHN HILL. Vol. II. III. IV. - - 296
30. Diſcorſo della Irritabilita d'alcune Fiori 307
31. *Abhandlungen der Naturforſchenden Geſellſchaft in Zürch 2ter Band.* - - 309
32. Obſervations on ſome of the Diſeaſes of the Human Body, by CLOSSY - - 313
33. LÜDERSS, Diſſ. de educatione liberorum medica 315
34. Zoophylacii Gronouiani faſciculus II. - 318
35. Eſſays on Medical Subjects by TH. GATAKER. 321
36. MUSSCHENBROEKII introductio in philoſophiam naturalem T. I. II. - 327
37. ZANNINI mercurii ſublimati vindiciae 339
38. LUDWIG. inſtitutiones medicinae forenſis 341
39. Noua phyſico-medica - - 349
40. Index ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1763 prodierunt. - - 359

COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.



VOLVMINIS XIII. PARS III.

LIPSIAE MDCCLXVI.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Amſtelodami apud I. Schreuder, Pariſiis apud Briaſſon, Patauii apud I. Manfré, Holmiae apud L. Saluium.

I.

Kongl. Vetenſkaps Academiens Handlingar, för År 1763. Vol. XXIV. Med Kongl. Academiens Tilſtänt. Tryckte i Stockholm hos direct Lars Salvius, på deſſ egen Koſtnad. 1763. 8. pl. 21. tab. aen. 13.

i. e.

Acta Academiae Regiae Scientiarum Suecicae, anni 1763. Vol. XXIV.

Trimeſtre primum.

1) P. VARGENTIN *de varia quantitate aquae ex coelo deciduae in variis locis.* Deſcribit con- p. 1.
ſueta ombrometra, et obſeruationes, illorum ope inſtitutas, ita contrahit, vt medium ex illis oriundum et alia quaedam memoratu digna recenſeat. Ita in Carolina auſtrali Americae media pluuiae et niuis altitudo ex 15 annis collecta eſt 41 digitorum decimalium pedis Suecici; annis 1738-1752 nunquam fuit infra 31 digitos, anno 1756 exceſſit 56 digitos. Regiones, quas comparauit, initium faciendo a maxime pluuioſa et pergendo ad minus pluuioſas, hae ſunt: Carolina, Italia, Hollandia, Finnia, Germania,

Anglia, Gallia, Suecia. Vpſaliae media altitudo eſt 14, 289 digitorum, tribus vicibus minor Caroli-nenſi. Habent vero ſingulari prouidentia diuina calidiores regiones plus pluuiae frigidioribus.

p. 15. 2) *Aquae coelo deciduae menſuras* 12 *annis* 1750-
1761 *captas* in compendio recenſet IO. LECHE.
Oboae in Finnia obſeruationes has inſtituit. Men-
ſuras ponderatione adhibita collegit: ſubiungit ob-
p. 23. ſeruationes oeconomicas, vt: aeſtates feruentes et
ſiccas ſequi ſolere lues boum, ſiue animalia aquas
inſectis inquinatas biberint, ſiue inſectorum aculeo
armatorum ictibus et adeo veneno tunc magis ſub-
ſint, ſiue ſitis deficiente aqua illis plus noceat. Aeſta-
tes, quae humidae, vel quae ſiccae fuerint, et num hae
illarum conditiones periodos ſeruent, obſeruationi-
bus, quales iam edit, per longum tempus continua-
p. 24. tis, demum poteſt innoteſcere. Methodum tamen
idem cognoſcendi ingenioſam proponit, quae huc
redit: cum annuli in arbore transuerſim ſecta con-
ſpicui ab omnibus concedantur annorum arboris
numerum deſignare, ſimul vero credibile ſit, humi-
dis aeſtatibus craſſiores annulos accedere arbori, ſic-
cis minus latos, poterit haec aeſtatum viciſſitudo,
annulis numeratis et inter ſe comparatis, dignoſci;
ſeligendae vero ſunt arbores in ſicco agro creſcen-
tes, vt pinus, alnus, fraxinus, quercus. Abies,
quae in humidis creſcit, inepta eſt huic negotio.
Sectio arboris dolabra laeuiganda eſt; ſi non recta
axi arboris fiat, ſed obliqua, augetur latitudo an-
nulorum, et quidem in ratione diagonalis quadrati
ad latus, ſi planum ſectionis inclinetur angulo 45
graduum magis adhuc, magisque conſpicui adeo
p. 25. redduntur annuli, ſi obliquior fiat ſectio. Ita ſi
1764 caedatur Pinus LINN. Fl. Sv. 788 β annu-
lorum

lorum 320: eam circa annum Chriſti 1444 progerminaſſe colligetur; erunt vero annuli circiter 30, centro, totidemque cortici proximi, aequaliter craſſi. Quae igitur varietas aeſtatum 30, annum 1444 proxime inſequentium, fuerit, hinc non intelligetur, ſed medii inter extremos, quos diximus, annuli, inaequali ſua craſſitie varietatem illam per vnum forte aut duo ſecula monſtrabunt, periodosque, ſi quibus redeunt humidae aut ſiccae aeſtates, detegent; certius adhuc, ſi plures arbores diuerſae aetatis ſimul examinentur, adhibeaturque inprimis cuiusuis arboris latus auſtrale, vbi magis conſpicui creduntur annuli. Tenuiores circa centrum eſſe, hinc ſuſpicatur Noſter, quod arbor adoleſcens in longitudinem quotannis magis, quam in craſſitiem extendatur, donec remotis vicinis, quae illam veluti compreſſerant, craſſities quoque eorum magis augeatur; cur vero idem contingat annulis cortici proximis, hanc rationem reddit, quod, aucta annulorum peripheria, in maius ſpatium circumcirca liquor, quotannis accedens, diffluat. Radices etiam maioris arboris altius in terram penetrant, et eo quidem, quo non pertingunt, quae ex coelo decidunt. Inter pinos huic disquiſitioni aptiſſimae ſunt, quae non confertim poſitae, ſed rariores creuerunt, hincque annulos latiores habent. Aptior adhuc eſt fraxinus ob annulorum latitudinem, et quod aeſtatum differentias, radicibus non alte in terram actis, melius oſtendat. Sed rarae ſunt fraxini veteres; vidit tamen Noſter 1748 caedi fraxinum diametri vlnae cum ſemiſſe, annulorum 210. Quercuum annuli latiores ſunt, quam fraxinorum, veterum vero quercuum meditullium ſaepe, inprimis prope radicem, corruptum eſt. p. 26.

p. 27. 3) *Infantem, qui viſceribus variis extra corpus poſitis vixit*, deſcribit DAVID SCHULZ. Puer, Holmiae iulio 1762 in lucem editus, ſe viuere per quinque horas, ſolis motibus cordisque pulſu, voce nulla, teſtatus eſt. Cadauer eius cum Noſter examinaret, cor naturalis figurae reperit, ſed integrum extra thoracem egreſſum, ſuper cartilaginem enſiformem poſitum erat, neque ſepto transuerſo neque ſterno perforatis, quae aeque ac coſtae ſanae erant. Apex cordis oblique verſus ſiniſtram partem et verſus ſuperiora directus, auricula dextra reclinata, adiacens hepati. Eleuato corde conſpiciebatur, venam cauam, aortam, et vaſa pulmonalia thoracem ingredi ſub cartilagine enſiformi et tela celluloſa atque ſepti transuerſi parte ſuperiore muſculoſa obuelata, vt cauitas thoracis eſſet clauſa. Pericardium apparebat nullum, accuratiori vero examine detegebatur textura celluloſa, a vaſis magnis orta et hinc ſuper cor explicata; difficulter a ſuperficie cordis ſeparabatur membrana tenuis, cordi accreta, magis celluloſa verſus vaſa maiora. Hepar ſub corde abſque ligamento ſuſpenſorio magnum, ouale, reniforme, verſus ſiniſtrum inclinatum. Veſicula fellis parua, ductus vero cholidochus magnus, circa quem hepar adhaerebat duodeno. Funiculus vmbilicalis fere naturalis, ren ſuccenturiatus dexter magnus, extus conſpicuus,
p. 29. inteſtinis nihil e ſitu turbatis. Ventriculus ſub corde, magnam partem ab hepate tectus. Lien inſignis craſſitiei et duritiei ad ſiniſtram ventriculi adhaerens; inteſtina tenuia extra corpus, nuda, omentum enim vix dimidium digitum infra ventriculum porrigebatur, colon extra corpus verſus os pubis replicatum, in ſiniſtra parte regionis vmbilicalis rediens in abdomen ad initium inteſtini recti. Apertura, per quam cor cum contentis quibusdam

abdo-

abdominis exierat, oui anſerini magnitudine erat, forma fere ouali, ſed tamen ad dextram magis curua, ad ſiniſtram rectiore; incipiebat a cartilagine ſterni, claudebatur ad vmbilicum. Cutis cum peritonaeo concreuerat margine laeui, vt nil rupti aut ſciſſi appareret. Aperto thorace pulmones, pleura, mediaſtinum, ſed id pericardio et corde vacuum, cetera naturalia aeque ac in abdomine renes, veſica, cet. erant. Retulit obſtetrix, cor alternatim ſe con- p. 30. traxiſſe et flaccidum euaſiſſe ac rurſus adſcendiſſe ſemper in eadem directione. Sinus venae cauae et auricula dextra, exterius poſiti, obiecerunt oculis repletionem ſuam et inanitionem atque ſic et coloribus coeruleo et pallido alternarunt. Motus hic vehemens fuit per tres horas, durauit vero duas horas poſt, cum alia vitae ſigna foetus nulla ederet, immo cum cadauer omnino gelidum eſſet. Etſi motus cordis a perito hic potuiſſet ſpectari, parum tamen ad ſyſtoles et diaſtoles conditionem cognoſcendam potuiſſet colligi ex ſtatu adeo praeternaturali. Subiungit Noſter tres alios caſus cordis p. 31. extra thoracem penduli, pericardio itidem deſtituti, ſed in eo diuerſos, quod in omnibus cor per aliquem ſterni locum eruperit.

4) *Aluearia et arbores a formicis tueri* docet IAC. BOETHIUS. Reminiſcebatur, cum iuuenis in loco p. 32. degiſſet, vbi, vere inprimis, frequens piſcatura exercebatur, formicas, rebus a piſcibus deſumtis, vt inteſtinis, ſquamis cet. pelli, ita, vt, ſi in formicarum aceruos pueri talia ieciſſent, ad plures vlnas habitationem animalia remouerint. Retia igitur piſcibus ponderandis olim in culina adhibita, vbi adſcendebant formicae, laxius paulo appendit, viditque, cum eo peruenerant formicae, non reuerti ſolum, ſed ſaepius in terram recidere. Similiter arbo-

res defendit. Poſſunt retia immergi rebus a piſcibus deſumtis, vt inteſtinis cet. inprimis fortiter olentibus.

5) *De origine magnarum maſſarum glacialium in oceano boreali natantium* cogitata MICHAELIS
p. 35. LOMONOSOW; ex latino verſa. Glaciei huius tria genera ſunt; primum conſtat cruſta glaciali, friabili, parum pellucida, niui coagulatae ſimili, quae deliqueſcens ſal prodit; ſecundum durum eſt, pellucidum, magnas in moles interdum ad plura milliaria extenſum, vlnas circiter tres craſſum, in aquam dulcem deliquescens, niſi quod, vbi aqua marina alluit, parum ſalſa eſt; tertium informe, montium ſpecie ſeptem aut plures hexapodas ſuper aquam attollitur, quinquaginta ſaepius immergitur, fremitu et exploſionum internarum continuo ſonitu, etiam nocte et e longinquo, cum nondum ſpectatur, ſe prodens, ſal nullum continens, niſi forte a glacie primi generis admixta, aut aqua marina in rimis congelata. Secundum genus, *campos* glaciales vocat (*inſulas* appellaremus), cum tertio, *montibus*, ſaepius colliditur, ſiue quod campi fluctibus et ventis facilius obediant, quam montes profundius demerſi, ſiue quod contrariis motibus aquae marinae ſibi obuiam ferantur. Ita fragmenta vnius ad alterum accedunt, aut maſſae integrae coniunguntur, cet. Sed haec etiam probaturus Noſter aſſerit:
p. 37. primum genus ſolum in mari naſci, ſecundum ex oſtiis magnorum fluminum Ruſſiae in mare glaciale deferri, tertium ad littora maris praerupta naſci. Igitur et in aqua dulci, ſale, quantum marina continet, feta, et in ipſa aqua marina, expertus eſt, nec ſummo frigore glaciem duram et puram fieri, ſed pinguedinis ad modum coagulari, non perſpicuam, et vt erat aqua, adhuc ſalſam. Inde cogitur, inſulas

inſulas monteſque glaciales in mari non generari: vtut vero aperte fluctuant in orificiis magnorum fluminum, vt *Obyi* et aliorum, quae, vbi in mare effunduntur, magnos ſinus ad littora aqua fere dulci replent, montes glaciales fieri coniicit Noſter, vbi ad littus maris praecipites montes hiemali niue teguntur, quae aeſtate defluit in caua forte et valles ad pedes montium, ibique, cum nec aeſtiuus illorum locorum ſol eo penetret, rurſus congelatur, et ſic maſſa glacialis naſcitur, quotannis creſcens, donec mole ſua decidit vel in loca profundiora, vel in ipſum mare, quod magno cum fragore fieri accolae teſtantur. In ipſis vero montibus natantibus fragor eſt a fruſtis glacialibus huc illuc iactis, et ipſa glacie intus, vbi frigus vehementius eſt, quam extus, crepante. p. 39.

6) *De halonibus circa ſolem et pareliis Vpſalae viſis* refert FRID. MALLET, in theoria halonum Hugeniana quaedam mutanda eſſe inde colligens. p. 41.

7) *Araeometrum cereuiſiae examinandae* aptat IAC. FAGGOT in Suecorum inprimis vſum, vt araeometrum ad illorum menſuras et pondera diuidat. Id obſeruandum eſt, ſi recte ſe habeant eius obſeruationes, cereuiſiam et aquam ita miſceri, vt mixti denſitas ſumma ſit denſitatum fluidorum, quae miſcentur, quod non ſemper fieri notum eſt, et a nobis olim *) indicatum. Noſtro vero accidit, vt, cum pollex cubicus Suecicus cereuiſiae ſpiſſiſſimae, quam nanciſci potuit, clarae tamen, ponduſculorum minorum, quae *aſſ* Sueci appellant, teneret 563; aquae purae 545; mixti ex aequis cereuiſiae et aquae partibus pollex cubicus teneret 554, quantum p. 45. p. 46.

A a 5

*) vid. Commentar. hor. Vol I. p. 648.

quantum pendent ſimul dimidii pollices cereuiſiae et aquae. Idem confirmant duo reliqua Noſtri experimenta, qui tamen haec, quod notatu digna ſint, non monuit, parum forte cogitans, quod alias mixtione volumina mutentur.

8) *Obſeruationes ad cereuiſiam pertinentes* CAROLI A LINNÉ eduntur, olim iam ſcriptae.

p. 59. 9) *Coelum arſiſſe cum tonitru in Norrlandia occidentali* refert NIC. GISLER. Phaenomena fuerunt ſimilia aurorae borealis, ſed quietae et quosdam ſaltim coeli tractus occupantis; praeter ſonitus tonitru imitantes. Confirmat autem Noſter experientia, auroras boreales quiete certa coeli ſpatia occupantes plerumque praecedere vna die terrae motum.

p. 60. 10) *De angulorum ſolidorum menſura agit* MART. IO. WALLERIUS. Metitur angulum ſolidum Noſter, parte ſphaericae ſuperficiei centrum in eius vertice habentis, quae terminis anguli ſolidi reſecatur.

p. 75. 11) *Ex diario Acad. Reg. Scientiarum* quaedam eduntur. Quaeſtioni, an vtile, quercus ſtantes adhuc decorticare, ſex reſponderunt, alii adfirmantes, alii negantes, ſed nullus ſententiam ſuam idoneis experimentis confirmauit; tria tamen ſcriptorum illorum edidit Academia, de argumento quaeſtionis praefata, quam in annum 1766 duplicato praemio
p. 76. 20 ducatorum proponit. Ad alteram quaeſtionem de erucis, quae arborum pomiferarum flores et folia comedunt, deſtruendis, 11 ſcripta Academia accepit, nullum tamen remedia, quae poſtulabantur, idoneis experimentis nixa propoſuit: igitur etiam aliquot ſcripta edit, quae hiſtoriam inſectorum optime

optime illuſtrant; quaeſtionem denuo duplicato praemio proponit, et alias intra biennium ſoluendas.

Trimeſtre ſecundum.

1) *Barometra quomodo conſtruenda ſint*, vſu proprio edoctus praecipit IO. LECHE. Variationes barometri, quae tempeſtatibus reſpondent, alias eſſe aliis anni temporibus notat, et caloris viciſſitudines ſequi, igitur in menſibus calidiſſimo et frigidiſſimo, iulio et ianuario, tales eſſe, quales in nullo alio reperiantur et alias in quolibet menſium, quos diximus; ſed ſimiliter iungi barometri mutationes tempeſtatis mutationibus; in iunio et auguſto; maio et ſeptembri; aprili et octobri; martio et nouembri; februario et decembri, quorum menſium, qui duo in eodem pari nominantur, etiam eosdem caloris gradus habent *). Vidit etiam barometra aeque ampla et aequali induſtria conſtructa, tamen non plane harmonica eſſe, ſed vna forte, aut ad ſummum duabus decimis digiti decimalis Suecici differre. Id tribuit metallis aliis mercurio admixtis, quae ſola deſtillatione poterant ſeparari. Sane aurum, quod aliquando fertur mercurio admixtum fuiſſe, breuiorem columnam mercurii faciet, ſtannum longiorem. p. 97.

2) *Ob-*

*) TOB. MAYERUS Prof. Gotting. in thermometro 1755 conſtructo ſingulorum menſium calores medios notauit, vbi menſes eodem, quo hic recenſentur modo, iunguntur. Erat is labor ſpecimen conſilii de legibus viciſſitudinum tempeſtatum inueniendis, ab eo Soc. Reg. Scient. Gottingenſi propoſiti; quod recenſuit Cl. KAESTNERUS in *Anfangsgründen der angewandten Mathematik*. Edit. 2. (1765) p. 560.

p. 100. 2) *Obſeruationum meteorologicarum Oboenſium annis* 1750 - 1761 *habitarum partem quartam* edit IO. LECHE. Generalioribus his obſeruationibus
p. 104. ſimul ſubiungit barometricas; v. c. altiſſimum eſſe mercurium in barometro ianuario menſe, antecedentibus et ſubſequentibus menſibus altitudinem paullatim decreſcere, minimam eſſe iulio; ſi valde conuexa ſit mercurii ſuperficies in barometro, adſcenſurum, ſi plana aut caua, deſcenſurum: ſi barometri altitudo magna hyeme diu ſubſiſtat, eos, qui tuſſi et pectoris morbis affecti ſunt, peius ſe habere, ſi inſigniter deſcendat, metuere debere, qui haemorrhagiis obnoxii ſunt, et vehementius aegrotare paralyſi aut capitis dolori obnoxios.

p. 107. 3) *Picturae inſititiae quomodo in tabulas marmoreas fiant*, deſcribit EM. SWEDENBORG. Scalpro loca marmoris cauantur, poſt ſpati calce varie colorata ita rurſus explenda, vt figurae quaelibet repraeſententur.

p. 113. 4) *De faſciola inteſtinali, et aliis vermibus a virgine nobili eiectis* refert LAURENTIUS MONTIN. Remediis anthelminticis, vt ALSTONI ex ſtanno praeparato, purgantibus et aquis mineralibus, expulſa eſt inſignis copia muci, vermium partes aut membranae ſemeſae, et vermium plura genera, vt taeniae partes, lumbrici, aſcarides lumbricoides LINN. Syſt. Nat. ed. X. p. 648, faſciolae, tandem aegra conualuit. Inter faſciolas fuit inteſtinalis
p. 114. LINN. ib. p. 649. frequens in piſcibus. Illam ex piſcibus exemtam igni Noſter iniecit, quem aliquoties muco ſuo extinxit, et cui ſaepe 2 minutis diutius reſtitit. Igitur in Hallandia et Smolandia facile intrat corpus humanum, cum ibi multi piſces ex lacubus edantur, minus ſollicite purgati et cocti.

Faſciola

Faſciola viuens ex piſce in ſpiritu mercuriali dimidiam horam vixit.

5) *Solis parallaxin* computat ANDR. PLANMAN, vſus transitu veneris per ſolem 1765; cuius obſeruationes plurimas operoſe comparando parallaxin illam inter 8 ſecunda et 8, 5 coercet. p. 117.

6) *Differentias meridianorum*, quibus in his computis vſus eſt PLANMANNUS, examinat et firmat PETR. WARGENTIN. p. 134.

7) *Inſtrumentum acus magneticae declinationi inueniendae idoneum, etſi non detur linea meridiana*, exhibet IO. CAR. WILKE, vtile futurum, ſi vel in itinere non ſatis diu in vno eodemque loco moremur, vel alia impediant, quo minus conſueta methodo declinatio reperiri commode poſſit. Nititur autem methodo altitudinum correſpondentium. p. 143.

8) *De tenthredinibus illarumque laruis* obſeruata quaedam edit TORBERN BERGMAN. Laruae Noſtro ſunt, quas FRISCHIUS et REAUMUR *erucas falſas* vocant, difficulter a veris, quae in papiliones abeunt, diſtinguendae, quod momentis quibusdam illuſtrat Noſter. Genera ex pedum numero diſtinguit. *Primi* corpus ſegmenta duodecim habet, pedes carneos ſex, carneos abdominales quatuordecim, duos in extremo corporis; *ſecundo* extremi duo deſunt, *tertio* duodecim ſaltim ſunt abdominales, *quarto* decem, *quinto* pedes omnino nulli, niſi apices quosdam hoc nomine deſignes. Iam ſpecierum quarundam ſingularia deſcribit. In betula et alno reperitur quinti generis, folia filis in cylindros conuoluens, ſimul inhabitans et comedens. In aliud folium progreſſum, vt dorſo incumbit, inſtrumen- p. 154. p. 158. p. 159.

ſtrumento filatorio ſub ore poſito fila trahit, quorum ope apices, quos pedum loco habet, et corporis ſegmenta in auxilium adhibet, ſuper dorſo in aliud folium promouetur. Si vero exemta cylindro ſuo tabulae imponatur, fila ducere non tentat, ſed
p. 161. abdominis et capitis ope qualicunque ſerpit. Duae ſpecies materia, per poros earum exſpirante, teguntur, altera velut farina, altera velut lana, ſed foliorum ad modum diſpoſita. Eae vero ipſa fere die, qua metamorphoſi vltimae ſubeundae locum idoneum quaerunt, cutem deponunt graminis ad modum virentes, oculis et dentibus nigris, nullo lanae aut farinae veſtigio ſuperſtite Pellem ſaepius deponunt et vt videtur multo facilius veris erucis.
p. 168. Immo ex ore aliquid ſimul educunt, quod inteſtinorum quaedam tunica eſſe videtur. Modum, quo tenthredines oua inſerant foliis, vt laeſionis veſtigium nullum obſeruare potuerit REAUMURIUS,
p. 174. diſtinctius cum viderit, enarrat. Epidermidis folii particulam ita tollunt, vt aliquo adhuc extremo adhaereat folio, hoc facile cognoſcitur, ſi ouum recens eiectum conſideratur; ſed vbi ſiccata ſunt omnia, iungitur rurſus folio particula epidermidis et apertura, quae fuerat, occluditur, ſine dubio a liquore cum ouo ſimul ex animalis corpore exeunte.

Trimeſtre tertium.

p. 177. 1) *Obſeruationum thermometricarum ann.* 1750-1761 *Oboae habitarum compendium* edit IO. LECHE, quod ita ordinauit, vt multa ad clima loci pertinentia facile oculis ſubiiciat, e. g. calorem medium annuum eſſe graduum thermometri Celſiani 5, vnde clima pro temperato haberi vult, refertque, frigus etiam vehementius quarundam hyemum minus penetrare frigore leniori regionum magis auſtralium,

quod

quod et exteri teſtantur et incolae, qui aliis in locis commorati ſunt.

2) *Machinam frumento, quod ſeri debet, ab aliarum herbarum ſeminibus admixtis purgando idoneam* deſcribit CAR. IO. CRONSTEDT. Aliam iam olim ediderat, ſed haec tempori melius parcit. p. 190.

3) *Tentamina electrica cum phosphoro inſtituta* edit IO. CAR. WILKE. Phosphorum vrinoſum corporibus electricis illinit, et ex vaporum lucentium motu materiae electricae motus colligit, non tamen ignarus, et ab aere eosdem agitari. Eiusmodi tentamina cum olim inſtituiſſet et publicaſſet, fatetur tamen, poſt etiam in WINKLERI noſtri de aqua vim electricam adiuuante libello ſe legiſſe. Hic ſollicite inſtituta enarrat tentamina cum priſmatibus ferreis in apices deſinentibus, quae omnia ita propellere vapores phosphori illiti reperit, vt dubitari nequeat, eos a materia electrica eiecta moueri. Plurimum autem variauit tentamina, apices adhibendo poſitiue et negatiue electricos, et paria illorum iungendo, quotquot diuerſis modis combinari poſſunt, ſemper eadem reperiens, et ab apicibus negatiue electricis aeque proiici vapores, ac a poſitiuis, quod obſtat FRANKLINI theoriae, negatiuam electricitatem priuationem ſaltim eſſe et defectum. Cum theoriae omnes, quotquot prodierunt, difficultatibus ſuis premantur, coniecturam proponit: eſſe forte plures vna materias electricas, quae ſingulae a corporibus trahantur, ipſae vero mutuo ſe repellant, in corporibus autem vnitae illud non electricum efficiant, quod reſoluendo mixtum hoc in elementa velut ſua actuoſum reddatur. Ipſe tamen fatetur, et huic ſuſpicioni aliquot ſuorum experimentorum obſtare.

p. 193. p. 207. p. 208. p. 214.

4) Ni-

p. 214. 4) *Nitrum quomodo purificetur*, enarrat FRID. VLRIC. MANDERSTRÖM. Deſtinat laborem ſuum vſui pulueris pyrii conficiendi, et quomodo in molendino quodam, vbi eiusmodi puluis conficitur, nitrum lixiuii ope purificetur, recenſet. Cum duo inprimis, ſal nimirum commune et pinguedo,
p. 222. nitrum impurum efficiant, dum coquitur et ebullit lixiuium, plus aquae frigidae affunditur, ſi ſal praedominetur, minus, ſi pinguedo abundet; quae accuratius determinat et omnem proceſſum deſcribit.

p. 226. 5) Formulas, quibus *iridum origo* explicatur, via, quae ipſi noua et facilior vulgaribus videtur, inueſtigare docet FRID. MALLET.

p. 229. 6) *Experimenta cum Mandragora* (Atropa mandragora LINN.) *inſtituta* recenſet CAR. FRID. HOFFBERG. Pleraque in militibus bello praeterito aegris ſunt inſtituta. Egregiam mandragorae, cataplasmatis et emplaſtri forma adhibitae, vim repellentem et diſſipantem expertus eſt in glandularum, vt parotidum et maxillarium cet. tumoribus, etiam induratis, dummodo nimium vetuſti non fuerint, item in colli tumoribus tam ſcrophuloſis, quam inflammatoriis. Vulnerum ſuppuratio vbi ſiſtebatur, et a materia congeſta glandulae axillares ac inguinales tumebant, tumores 3 vel 4 dierum ſpatio diſſipauit cataplasmate ex radice in puluerem redacta et emollientibus commixta. Similes effectus praeſtitit radix in tumoribus glandularum venereis, item in bubonibus inguinalibus a gonorrhoea cohibita, vſurpatis ſimul ſanguinem purificantibus et diureticis, nec non in inflammatione teſticuli a cauſſa
p. 231. venerea. Vſum radicis externum pro re nata inſtituit, cataplasma ex radice cum melle confecit, item in lacte illam coxit et calentem impoſuit, aut cum

empl.

empl. de meliloto vel aliis emollientibus miſcuit. Interna medicamina nulla adhibuit, niſi bis ſingulis ſeptimanis pilulas aluum cientes ex extr. panchymag. CROLL. reſin. ialapp. et 2, 3 vel 4 granis mercurii dulcis vel panaceae mercurialis. Poſt hunc externum radicis vſum etiam internum tentauit in milite, arthritide vaga diu vexato, contra quam nihil valuerant aquae minerales, decocta aut alia; praebuit illi grana 3 pulueris radicis mandragorae, p. 232. cum 30 gran. ſacchari veſpere cubitum ituro, eumque poſtea decoctum hordei copioſe bibere iuſſit. Arthritidis effectus ſtatim ceſſare viſi ſunt, ſed vires aegri proſtratae et ipſi ſenſus obtuſiores, aeger ſomnolentus tamen ſomno caruit, viſus hebetior factus, excretiones imminutae, pulſus mane ſequenti debilis, ſed paulò velocior, ſudor largus. Medicamenti effectus paullatim ceſſarunt, et veſpere nihil eorum ſuperfuit, ſed tunc arthritidis incommoda redierunt, quae tandem ad priſtinam vehementiam excreuerunt. Aliis duobus arthriticis initio ſemel, deinde bis vel ter quotidie praebuit tincturam, ex ſcrupulo radicis cum ſesqui vncia vini Hiſpanici digeſtione 24 hor. extractam. Effectus inde ſimiles, ſed blandiores fuerunt; dolores arthritici leuati poſt aliquod tempus redierunt.

7) *Tecta quomodo ex terra argillacea fiant*, deſcribit PETR. DAHL. Terra in cylindros conuoluta tignorum interſtitiis inſeritur. Obiter monet, parietes domuum ex ſcoriis ad praeſcriptum Cl. SVAB in Comm. Soc. R. Sc. 1761. trim. 3. factos vſu ipſo plurimum ſe commendaſſe. p. 235.

8) *Phlyctaenae genus* deſcribit ANT. ROLANDSON MARTIN, ſequutus obſeruationes 10 fere annorum. Veſiculae ſuper cutis ſuperficiem emi- p. 238.

nent pellucidae, punctulum ſeri aut ſaniei craſſioris continentes, raro ſponte ſuppurantes, maturae pruriunt, ardent, hinc apertae ſerum effundunt, ſed locus rurſus intumeſcit et ardet, cauum profundum conſpicitur, celluloſam cutis quaſi acu factum penetrans, vngue ſuperducto velut reſiſtentia quaedam in carne ſentitur, cum tamen nihil aliud appareat, quam apertura vsque ad carnem pertingens. A ſiccis cutis ſquamae albae forma ſecedit, nulla cicatrice ſuperſtite. A motu, febribus, ſpirituoſis, et quaecunque transpirationem augent, eleuantur et inflammantur. Sibi relicta phlyctaena 4 aut 5 diebus, ſaepe etiam pluribus durat, antequam veſicula ſubſidet, ſed aperta 2 aut 3 diebus poteſt ſanari. Quae album ſerum continent et pellucidum, tardius matureſcunt, citius, quae flauum, et coagulante ſero in corpus flauum durum, deciduum mutan-
p. 240. tur. Si preſſione ſanguis in illas adigatur, breuiſſimo tempore indigent, ſero colore rubro indureſcente, vt arenae granulum tactui exhibeant. Si prorſus intactae relinquuntur, 8 aut 10 diebus indigent, flaueſcente ſero et ſquama ſuperiore, quae diſci circularis forma excidit, annulo ſquamoſo reſiduo, qui paulatim conſumitur. Plerumque veſpere maxime pruriunt, qui pruritus criſis eſt, et indicat, maturas eſſe et aperiendas. Igitur praecipuum momentum in eo ſitum videtur, vt ad carnem expellantur et remedium quoddam inueniatur, cuius ope ſponte diſſiliant. Qui primum hoc malum ſentiunt, iis ſaepe cutis ad vnguium radices finditur et decidit, manus coeruleae ſunt, a frigore maculis rubris notantur. Locus affectus igni admotus ita dolet, ac ſi reuera ambuſtus eſſet. Quaeuis igitur phlyctaena inflammatio eſt, cuius ſigna omnia in ea deprehenduntur, rubor, dolor, tumor, calor, cet. Inprimis oriuntur in extremis corporis, ad indura-

tiones

tiones carnis, verrucas, cet. poſt febres criſis ad modum, poſt ambuſtiones, venaeſectionem, bezoardica ſpirituoſa, et quaecunque carnem flaccidam reddunt. Saepe 18 aut 20 tales veſiculas, vnam iuxta alteram poſitam Noſter numerauit, ſingulas operculo ſuo circulari et puncto ichoroſo diſtinctas, vt quaeuis propriam velut cutis cellam occuparit, in aliam non intrarit. Reliqua illarum a corporis conditionibus pendent, quod ſi ſucci plenum ſit, multo ichore tument, alias ſiccae et paruulae. Infantibus ob lymphae ſerique maiorem copiam et carnem laxiorem magna vulnera efficiunt, difficilius ab achore et pſora diſtinguendae, niſi eſſentialibus ſuis ſymptomatibus, exacerbationibus quotidie vel alternis diebus pomeridie aut ſub noctis ingreſſum ingruentibus, viribus proſtratis et laſſitudine. Morbus chronicus eſt, mox apparens in cute, mox interiora corporis occupans, vbi viſcera corrumpere illum et hectica mala producere Noſter ſuſpicatur. In hominibus vehementer motis, ſub veris initium in aere incaleſcente, petechiarum forma comparuit malum, nullis veſiculis tumentibus, quod ſaepius obſeruatum eſt in corporibus ſubitam caloris mutationem paſſis.

p. 241. p. 242.

9) *Ex diario Academiae et ſcriptis miſſis excerpta.*

1) Idea tabulae productis et quotientibus numerorum inueniendis aptae, Auctore BENED. AGREN. p. 243.

2) Cl. CRONSTEDT in Commentariis anni 1764 ſuaſerat, ſcorias, inprimis dum ferrum liquatur, oriundas, modulorum certorum ope ita formare, vt lateres velut parietibus exſtruendis idoneos praebeant. Hi lateres, ſi lapidis calcarii addendi magna fruſta nondum igne domata contineant, diſſiliunt, lapide ab humore ex aere attracto volumen ſuum augente. Igitur calcem addendam ſollicite comminuere et cribrare ſuadet. p. 245.

p. 247. 3) Cl. ROSENADLER fructus rubi arctici, cuius plantationem docuit Ill. LINNAEUS in Comm. 1762. trim. 3. vino grato praeparando adhibere docet. Id diu in Suecia ex recentibus baccis factum eſt; Noſter ſuadet baccas lento igne torreri, et cribro a membranis et impuritatibus ſeparari; ita diu ſeruari poſſunt et, quod inprimis vſum illarum commodiorem et vniuerſaliorem reddit, facile transferri. Siccatis vinum, quod Gallicum vulgo vocant, ſuperfunditur, cui ſapor valde gratus ab illis conciliatur.

p. 249. 4) *Anonymus* ſues non in hyemem ſeruandas, ſed aeſtate foliis variis plantarum ſaginandas ſuadet. Ipſe inde a vere 1762 ſuem tunc 9 menſium ſolis foliis nutriuit, vt aegopodii, philadelphi coronarii, ceraſi, pruni, cynosbati, mali ſylueſtris, helianthi tuberoſi, helianthi annui, chenopodii, cichorii, polygoni auicularis; die 1 octobris caeſum animal pingue erat et optime ſaginatum, licet nihil frumenti, quod alias dari ſuibus ſolet, accepiſſet. Siccis foliis minus delectantur ſues, recentia itaque praebenda ſunt, et in aqua ſeruanda. Alius narrat, folia ſecalis progerminantis reſecta pluribus annis ſuibus ſaginandis ſuffeciſſe, idque, niſi folia propius ad radicem reſecentur, magis prodeſſe ſecali, quam obeſſe.

p. 253. 5) Liguſtri folia ſiccata ex Nericia miſſa ſunt theae loco adhibenda. Tinxerunt infuſum colore primum pallide luteo, poſtea, qui rubiginis ferri eſt, vaporis odor ingratus, ſapor nauſeoſus et aliquantum adſtringens; examina liquorum chemicorum ope inſtituta oſtenderunt partes virides, reſinoſo gummoſas, infuſum aquoſum intrantes, ſaporis nauſeoſi cauſſas praecipuas, deinde ſalſi aliquid, oleoſi et terrei; theae quidem infuſum hoc absque periculo ſubſtituendum, dummodo ſapor placeat.

Trimeſtre quartum.

1) *Obſeruationum meteorologicarum Oboenſium partem ſextam et vltimam* edit IO. LECHE. Miſcellae ſunt, vt: glacies quibus diebus ſolui et fluctuare incipiat in fluuiis Pemarienſi et Oboenſi, quod plerumque medio aprili contingit. Aues veris nunciae ſunt: motacilla (*alba et flaua L.*) apparet, cum glacies ſoluitur; inter hirundines primum (*vrbica L*); illam proxime ſeqitur circiter d. 10 maii hirundo (*ruſtica L.*) cum aqua in ſinubus maris 9 aut 10 gradus thermometri Suecici calet. Ea adueniens monet, hortos oleribus colendis deſtinatos curari debere. Vltima eſt apus, turres habitans, aeſtatis ineuntis index. Eadem prima omnium auolat, plerumque ante 20 aug. cum inſecta, quae capit, poſt illud tempus ad magnam in aere altitudinem, vbi ipſa habitat, non amplius adſcendant; reliquae abeunt, cum eſca ipſis deficiat; hinc in vrbibus ob calorem maiorem diutius manent, quam in pagis. Motacilla diutiſſime omnium in campis, et tectis inſecta, quibus veſcatur, reperit. Poſt hirundinum abitum adhuc 17 gradibus calet aqua maris. Ille calor cauſſa eſt, cur nocte in arundine degant hirundo et motacilla. Errare credit Noſter, qui exiſtimant, hirundines haec loca quaerere, vt hyemem in aquam demerſae poſt peragant, cum aues, quarum pennae integrae ſunt, ne quidem ſubmergantur, et motacillae ſaepe, antequam fluuii omnino glacie liberi ſint, adueniant, certo non ex aqua redeuntes, arundinem tamen aeque ament. Florendi medium tempus Oboae eſt groſſulariae d. 16. maii, malo d. 1. iun. ſyringae d. 7. iun. Iuglandis et ſorbi aucupariae perimetros dimenſus eſt Noſter, incrementi leges inueſtigaturus. Maio menſe vix notabiliter augetur arborum craſſities, maxime

p. 257. (margin, at line 1)
p. 262. (margin, at "Vltima eſt apus")

maxime vero iunio menſe, paulo minus iulio, adhuc minus auguſto; aequale iunio et auguſto eſſet arborum incrementum, ſi a calore ſolum creſcerent, dependet autem ſimul a ſucci arbores intrantis copia. Sequuntur fulgurum et aurorae borealis obſeruationes.

p. 268. 2) AXEL FR. CRONSTEDT *obſeruata ad Iämtlandiae hiſtoriam mineralem pertinentia* edit, ex quibus nihil fere huc transferri poteſt, cum et ad geographiam phyſicam particularem eius regionis per-
p. 284. tineant, et in breuitatem contrahi vix poſſint. Terras planitierum a montibus originem ſuam trahere multis rationibus confirmare ſtudet. Ita montibus ex cote conſtantibus vicini agri argillacei quodammodo ſunt, terra tamen non cohaerente, colore ceterum aliisque proprietatibus coti ſimiles. Particulas, a montibus aqua coelo decidua auectas, in planities deferri facile concipitur.

p. 289. 3) *Obſeruationes occaſione finium Herjedaliam et Iämtlandiam inter ac Norvegiam conſtitutorum* factas edit NIC. MARELIUS. Omnia fere ad topographiam regionum illarum pertinent. Id tamen contra quosdam Suecos auctores monet, non reperiri
p. 300. lacus et aquarum receptacula in ſummis montium verticibus, ſed, vbi reperiuntur, altioribus montibus circumdari, vnde collecta aqua defluere illuc poſſit. Ex falconum aucupio ad clima concludi poteſt; quod circa annum 1743 aliquot aeſtatibus glacies, paludibus incumbens, liquata non fuerit; anno
p. 309. 1759 die 24 iunii glacies currus onuſtos ſuperuehere paſſa ſit, diebus proxime ſequentibus diffluens; 1758 ante diem Michaelis nix ceciderit. Igitur frumentis ſerendis vix apta ſunt haec loca, ſed pecudibus nutriendis idonea, dummodo coloni

longa

longa hyeme habeant, quibus occupentur et vitam ſuſtentent, ſatis copioſi in his montibus habiti, ſi 40 aut 50 homines intra milliaris Suecici quadrati ſpatium reperiantur.

4) *Emendatiorem modum mineras machinis contuſas tractandi* exhibet ANT. V. SVAB. Minerae contuſae aqua adfluente a machina mineris diffringendis apta remouentur, quae aqua in lacunis ſubſidit, contuſas mineras ſedimenti admodum depoſitura, ſed ob motum aquae vehementiorem multae particulae et fere ditiſſimae longius auehuntur et omnino cum aqua elabuntur; talem igitur lacunarum conſtructionem exhibet Noſter, qua cohibeatur vehementior aquae fluxus et ſedimenta melius deponantur. Simul planum illud inclinatum, ſuper quo defluentes minerae purificantur, mobile fieri ſuadet, quod inferiori ſui parte ad obſtaculum quoddam immotum allidi repetitis ictibus poſſit, quibus efficitur, vt minerae verſus ſuperiora repellantur, alias motu accelerato citius defluentes, quam vt ſatis purae euadant, vt in metallifodinis Vngaricis et Salisburgenſibus vſu receptum eſt, et cum fructu Noſter in Suecicis tentauit. Multa continet ſcriptum hoc, quae docent, quantum exactior legum mechanicarum et hydroſtaticarum cognitio ad perficiendas has artes valeat. p. 313. p. 319.

5) *Experimenta electrica cum faſciis ſericeis variorum colorum* edit TORBERN BERGMAN. Animus auctoris erat, experimenta Cl. DU FAYE, parum adhuc repetita, de colorum in electricitatem effectu, accuratius inſtituendi. Apparatum igitur iis commodum excogitauit, et varia inſtituit, ſed ex iis leges generales nullas condit, potius euentus non ſatis inter ſe conſpirantes aliis cauſſis tribuen- p. 328. p. 325.

 dos

dos cenſet, calori inprimis, de quo ſuſpiciones
p. 329. quasdam ſatis ingenioſas profert; quam tamen rem alio tempore plenius ſe expoſiturum eſſe promittit.

II.

GERARDI L. B. VAN SWIETEN, Auguſtiſſ. Imperator. et Imperatric. a Conſiliis, Archiat. Com. Bibliothecae Auguſtae Praefecti, Inclyt. Facult. Med. Vienn. Praeſidis perpetui, nec non Academiae Reg. Scient. et Chirurg. Pariſ. Acad. Scient. Petropolit. Acad. Nat. Curioſ. Inſtitut. Bonon. Collegii Regii Medic. Edinburg. Societ. Scient. Harlem. Botanic. Florent. Germanic. Ienenſ. degli Agiati di Roveret Membri, Commentaria in HERMANNI BOERHAAVE Aphoriſmos de cognoſcendis et curandis morbis. Tomus IV. Lugd. Batav. apud Iohannem et Hermannum Verbeck. 1764. 4. Alph. 4. pl. 2.

Cum tertium horum commentariorum tomum indicaremus, *) totius operis ideam dedimus, et compendium rerum propoſitarum ideo facere noluimus, quod lectoribus noſtris ipſius operis lectionem commendabamus; nunc vero cum de quarto tomo exponamus, et ex praefatione intelligamus, quintum et vltimum proxime ſequuturum eſſe, omnes, qui veram morbis medendi rationem aſſequi cupiunt, adhortamur, vt in lectione huius libri cum cura verſentur. Quo autem doctrinae dignitas ex quibusdam ſpeciminibus pateat, quaedam

*) vid. Comment. noſtr. Vol. III. Part. III. p. 457.

dam paſſim excerpta cum Lectoribus noſtris communicamus, ex quibus Ill. Auctorem vera BOERHAAVII doctrina, hoc eſt, ex praeſtantiſſimorum veterum et recentiorum medicorum fontibus hauſta, imbutum, propriisque obſeruationibus inſtructum eſſe intelligent. Agit autem hic tomus de phthiſi pulmonali et aliis, hydrope, podagra, morbis virginum, grauidarum, partu difficili, morbis puerperii et infantum.

Phthiſis eſt corruptio, ſiue conſumptio et diminutio, varie, a veteribus quoque, accepta, hinc in vniuerſum dicitur conſumptio et diminutio totius corporis habitus, ſpeciatim per labem purulentam, ſpecialiſſime autem ad pulmones refertur, ſi ſedes vlceris in hoc viſcere eſt, quam ob rem phthiſis pulmonalis dicitur. Cum autem ex eius cauſſis primaria ſit haemoptoe, de hac paulo luculentius agitur. Remouet ita Cel. Comment. ſanguinis ſputum ex faucibus et cauis vicinis eductum, et cum veteribus vel ex vaſis ruptis, vel eroſis, vel ampliatis oriri monet. Quoniam etiam prognoſis et curatio his tribus differentiis accommodanda eſt, illas paulo accuratius ſignis diagnoſticis additis declarauit. p. 1.

Ruptura vaſis a cauſſa violenta eſt, ictu, lapſu, clamore vehementi, iracundia, cet. vti vero ruptura vaſis magni mortem haud raro ſubitaneam inducit, ſic vulnus recens in ſano corpore conſolidationem ſperare iubet; ruptis enim vaſis larga copia ſanguinis eiicitur quidem, ſed ſedatur citius. Vbi, eroſis vaſis, haemoptyſis accedit, longe difficilior cura eſt, cum vlcus non ita vt vulnus ſanetur. Cognoſcitur, quando nulla vis externa illata, et tuſſis diuturna irritans praegreſſa eſt, ſi dolor aliquis in thorace interno perceptus fuit, ſi parca quidem ſanguinis copia tantum exſpuitur, ſed vere perpetuo, vel ſaltim redeat frequentiſſime ſanguinis ſputum. Longe p. 5.

minus periculum eſt, ſi per anaſtomoſin dilatata vaſorum oſcula extrema ſanguinem in vaſa pulmonum aerea effundunt, vaſa enim integra manent et humores boni ſunt, diameter igitur vaſorum ſanguine egreſſo iterum minuitur, ita, vt paulo poſt humores ſanguine tenuiores tantum transeant. Haec haemoptoes ſpecies in foeminis, ſuppreſſione menſium laborantibus, accidit, et niſi curetur, ſaepius reuertitur, hinc etiam huius ſpeciei licet minus periculoſae curatio negligenda non eſt. Qua ratione vero haemoptyſis in phthiſin per vlceris geneſin transeat, porro definire tentat.

p. 18. Non tantum excretiones ſanguineae, ſed etiam ſeroſae conſuetae nunc ſuppreſſae haemoptoen et inde natam phthiſin accelerant, qua occaſione oſtenditur, excretiones acrioris ſeri per vlcera, aliis in locis nata vel arte excitata, v. c. per ſetacea, progreſſum morbi cohibere.

p. 33. Larga et repetita venaeſectio haemoptoen curat, et quidem non tantum in cauſſa rupturae, ſed etiam eroſionis; in vtroque tamen caſu, ſi poſt magnam ſanguinis copiam emiſſam debiliſſima eſt vita, venaeſectione non opus eſt, quoniam iam adeſt illa conditio, quam venaeſectione attingere annitimur. Cum vero repetita venaeſectio et copia ſanguinis mittendi a prudenti medico tantum definiri queat, ad ſequentia Noſter attendit: ſi poſt primam venaeſectionem haemoptoe ceſſat, aeger nullum dolorem in pectore ſentit, pulſus aequalis, tardus, nec plenus eſt, calor in toto corpore, in primis in extremis, minor, quam in ſano, et reſpiratio libera, tunc venaeſectio differenda eſt, ex contrariis itaque et repetita et accelerata venaeſectio et ſanguinis mittendi copia diiudicari poteſt. Quae quidem ſigna eo ſtudioſius perquirenda ſunt, cum cruſta inflammato-

matoria, quae interdum ſanguinis repetitam miſſionem vrget, non ſemper adſit.

Mittamus nunc alia, quae de medicamentis et rerum ſex non naturalium vſu addit, nec tuberculorum, vomicae et puris rationem in phthiſicis examinemus, ſed tantum moneamus, in cura phthiſeos eo reſpiciendum eſſe, vt expectoratio intra iuſtos limites conſeruetur: pure enim non ſatis excreto acrimonia eius et vlceris incrementum ſuccedit, quod ſi vero ea nimis intendatur, abſtergitur pus bonum, quod tamen ſanationi vlceris fauet. Hinc ſaepius de nocte tuſſis cohibetur anodynis, quo matutino tempore pus blandum ſine vehementi tuſſi reiiciatur; balſama interim natiua, immo ea, quae ex ſulphure cum oleis parantur, caute iterata, ſed parca doſi exhibenda ſunt. Secretiones praeterea omnes liberae ſeruentur, quo pus forte reſorptum iis propellatur. Hinc patet, plantarum vulnerariarum decocta, quae in phthiſi commendantur, vſu ſuo diureſin ex voto promouere, et alia ex diaphoreticis et aluum ducentibus, ſed caute ſelecta, in hunc finem adhibenda eſſe. Inter ea vero medicamenta, quae ſanguinem contra infectionem purulentam muniunt, cortex peruuianus non vltimum eſt. Examen aliorum remediorum et pauca etiam de vſu lactis ſubiunguntur. p. 87.

De phthiſi ex vlceribus aliorum viſcerum oriunda pauca traduntur, cum eius ratio ex phthiſi pulmonali cognoſcatur. p. 114.

In hydropis conſideratione ea, quae generalia ſunt, breuiſſimis attingit, miſſis igitur, quae de hydrocephalo habet, ad thoracis hydropem progredimur, vbi ſerum, extra vaſa miſſum, in quinque diſtinctis locis haerere poſſe oſtendit, in vtroque pectoris cauo, in pericardio, retrorſum extra pleuram p. 131.

circa

circa corpora vertebrarum (in mediaſtino poſtico), et antrorſum ſub ſterno inter binas pleurae lamellas (in mediaſtino antico), quem tamen nullibi deſcriptum inuenit. Multus quidem eſt Cl. Commentator in diagnoſi harum ſpecierum enodanda, plura tamen ſigna incerta eſſe, morbique tantum ſuſpicionem mouere, libere profitetur.

p. 157. Leucophlegmatiam ab anaſarca diſtinguit; in illa adeſt mucoſus lentor, qui in habitum corporis diffunditur, et quidem magis aequabiliter per totum dispergitur, in anaſarca eſt aquoſa tenuitas humorum, et tumor aquoſus ab inferioribus partibus ſurſum aſcendit. Addit vero ex obſeruatione veterum, leucophlegmaticum humorem in aquoſam tenuitatem, hoc eſt, in anaſarcam tranſire; et alia ſigna ſubiungit, cum tumor, in anaſarca digitis preſſus, cedat et ſenſim iterum aſſurgat, in leucophlegmatia vero integumenta magis reſiſtant.

p. 172. Cum periti ſaepe medici in diagnoſi aſcitis et tympanitidis errent, ſigna earum quoque perpendit Noſter. In tympanitide nunquam abdomen in tantam molem extenditur, quam in aſcite; in illa quoque abdomen ad latera compreſſum verſus mediam partem magis eminet, et in vario decubitu ventris forma non mutatur, quod in aſcite fieri ſolet; tandem addit, ſonum tympani inſtar edere percuſſum abdomen, et aegrum ad ſtateram leuem eſſe, cum in aſcite pondus ob collectas aquas inſigne ſit. Inaequalitas etiam tumoris tympanitici non negligenda eſt, cum canalis inteſtinorum variae partes et ſcybalis duris et aere vario modo diſtendantur.

p. 188. Num vaſa lymphatica rupta humorem in caua diffundant? quaeſtio eſt, quam non nulli negant. Quod ſi igitur a ſanguinis venoſi motu impedito diſtendantur lymphatica vaſa, ob teneram fabricam rupturae obnoxia eſſe aſſerit, cum ipſe ductus thoracicus

racicus, tanquam vas lymphaticum magnum, interdum diſruptus repertus fuerit. Praecipua autem ratio effuſorum humorum in debilitato vaſorum robore, in diminuta parte cruoris, et in tenuitate ſeroſa ſanguinis poſita eſt, ita, vt perſpiratio cauorum interna largius ſuccedat, quam reſorptio per venulas.

Effectus hydropis ceu ſymptomata varia in aegris occurrentia ſtudioſe explicat, ſic dyſpnoeam et tuſſim ex impedito diaphragmatis motu; ſitim partim ex immeabilitate humorum, partim ex deriuatione ad loca aliena, ſimili ratione aluum duram et vrinam parcam, maciem ex defectu elaborationis humorum, ad vltimam nutritionem ducendorum; haemorrhagiam narium a motu ſanguinis per partes inferiores inprimis per abdomen impedito, indeque ad ſuperiora directo, deducit, et ſimili ratione alia, a nobis non repetenda, ſymptomata declarat. Simili ratione etiam in indicationibus curatoriis verſatur. p. 199.

Sanguinis miſſionem hydropicis non conuenire, res certa eſt, cum defectus cruoris et ſeroſa tenuitas eandem non exigant, et ſaepe exitioſam reddant: forte autem tunc concedi poſſet, vbi poſt morbos acutos ingreditur hydrops, vt Noſter ex veterum medendi rationibus oſtendit, forte tantum in anaſarca, et vbi reſorptione ſuccedente hydrops curatur. Cum etiam impedimenta motus ſanguinis venoſi hydropis cauſſae ſint, forte in hoc caſu illa quoque concedenda eſſet. Profert enim exemplum ex HILDANO, vbi in homine robuſtiſſimo ſanguineo, trigeſimum annum agente, tumor corporis vniuerſalis, aliis remediis fruſtra tentatis, effluxu quatuor librarum ſanguinis ex nare dextro diſcuſſus fuit. p. 216.

A potu nimio abſtinendum hydropicis eſſe, certum eſt, vſu tamen aquarum mineralium caute exhibita- p. 221.

hibitarum hydropem in eo caſu diſcuſſum fuiſſe patet, vbi obſtacula, quae liberum lymphae venoſae motum impediunt, harum aquarum efficacia ſolui et remoueri poſſunt. Sequitur itaque, tunc tantum fieri diſcuſſionem aquarum, ſi vitales motus adhuc adeo validi ſunt, vt ingeſtas aquas mouere et per vrinam, ſudorem aut aluum, excernere poſſint.

p. 225. Remedia ex argento viuo, antimonio et cupro parata, ſi violentiora ſunt, corpus turbant et ſurſum deorſumque euacuant. Minime autem ob hanc rationem conueniunt hydropicis, ea potius horum medicamentorum debet eſſe efficacia, vt humorum tenacitatem ſoluant, adeoque in vaſis et viſceribus illa obſtacula tollant, quae hydropi anſam dederunt. Tunc enim ſequuntur profuſae euacuationes, inprimis per ſudorem et vrinam, rarius per aluum, et quidem cum leuamine aegrorum et viribus auctis. Monet autem Noſter, horum remediorum praeparationem accuratam eſſe debere, et ſimul de validis aliis remediis, doſi refracta datis, in genere diſſerit.

p. 232. De paracenteſi abdominis diligenter diſſerit Cl. Commentator, et diſſenſum medicorum componere annititur. In genere monet, in aſcite coercendo paracenteſin ad aquas educendas tutius remedium eſſe, quam ſi per emetica et purgantia, immo valida diuretica, corpus nimium commoueatur; illam tunc temporis nocuiſſe, poſtquam alias methodos incaſſum adhibuerunt medici, vires aegrorum iam collapſae ſunt, et viſcera in aqua putrida contabuerunt. Vbi vero abdomen nondum in magnam molem excreuit, et recens adhuc morbus eſt, audacter tentari poſſunt efficacia remedia. Omnium tutiſſime et certa cum ſpe curationis inſtituitur paracenteſis, ſi hydrops recens, nec a labe viſcerum productus fuerit, ſed a cauſſa externa corpori ſubito

appli-

applicata. Quando vero cauſſae in viſceribus latent, et poſt euacuatas aquas in abdomine tanguntur duri tumores, facile praeuideri poteſt hydropis recidiua. Inſigne tamen per paracenteſin aegris ſaepe affertur leuamen, tollitur metus ſuffocationis et intolerabilis anxietas, et licet humor emiſſus non ſanet, medicinae tamen locum facit. Ex quibus patet, quantum proſit paracenteſis, interdum ſanando aegrum, interdum ei leuamen afferendo.

Lectu quoque digna eſt discuſſio quaeſtionis; an aqua ex abdomine pertuſo debeat ſimul et ſemel educi omnis, an vero partitis vicibus? Cum variorum auctorum diſſenſum eiusque cauſſas examinet et ſimultaneam tandem eductionem approbet: alia etiam, quae ad ampliationem vulneris et iniectionem liquorum mundificantium ſpectant, diiudicat. Sed his et aliis remediis, in variis hydropis ſpeciebus adhibendis, diutius inhaerere non poſſumus, cum copia dicendorum nos ad alia ducat. p. 238.

Podagra eſt dolens aegritudo circa ligamenta oſſium pedis et iuncturas, haec quidem et alia quoque loca et alios articulos occupat, locus tamen, quem primo aggreditur, pes eſt. Licet vero podagra quandoque cum arthritide confundatur, Noſter tamen aſſerit, diſtinctos eſſe morbos. Arthritis praeterea cum febre continua debet incipere, podagrae prima inuaſio inopinantes tangit; primi porro podagrae inſultus breues eſſe ſolent, qua re ab arthritide diſtinguitur, quae diu affligit, ſi autumno inceperit, vix ante vernum tempus ceſſat, ſaepeque diu ſuperſtitem articulorum motum difficilem relinquit. Nec arthritis ſemper redit, cum plures morbo hoc grauiter quondam afflicti poſtea ab eo immunes vixerint. p. 287.

Licet fluida corporis animalis chemico examine ſalem volatilem alcalinum non acidum exhibeant; p. 294.

licet

licet calx podagrica in acidis liquoribus integre reſoluatur; licet lac ſponte ſua aceſcens podagricis toties profuerit: tamen vina acidula, quotidie et magna copia ingeſta, vt cauſſa podagrae per experientiam comprobata, aliaeque rationes, tandem licet ſerius acidam acrimoniam ſanguinem (vel forte lympham) inficere poſſe, confirmant.

p. 310. Partes, quae primo dolere ſolent in podagra, ſunt tendines et ligamenta, per quorum vaſa difficillime transeunt liquida, et quidem in pedibus calceis preſſis, et totum corporis pondus ſuſtinentibus, qui ſaepius frigent et madeſcunt, et a corde, motus principio, remotiſſimi ſunt. Agit hac occaſione contra HALLERUM et alios, qui ligamenta omni ſenſibilitate carere affirmant, et dolores podagricos tantum neruis, per ſuperficiem internam cutis decurrentibus, tribuunt, auctoritate SYDENHAMI proprios cruciatus deſcribentis. Hic enim affirmat, hunc dolorem ligamentorum tarſi et metatarſi dilacerationem, nunc morſum canis rodentis, quandoque preſſuram et coarctationem expreſſiſſe. Porro etiam vrget, dolentiſſimam obſeruari podagram absque vllo tumore partis affectae, absque mutato colore cutis, lenimen autem dolorum percipi, dum tumet et rubet cutis, immo dolorem ſenſim imminui, ſi tumor et inflammatio cutis ad ſummum gradum accedunt, qui tunc potius intenſiſſimus foret, ſi ſedes podagrae in cute eſſet. Morbum quoque articuli ſedem occupare, ex eo patere videtur, quod magnam debilitatem poſt finitum paroxysmum relinquit, atque tandem articulorum motum prorſus tollit.

p. 324. In examine calcareae et cretaceae materiae, quae articulos occupat, ſtudioſius verſatur, et praeſtantiſſimorum auctorum placita adducit, ex quibus inter ſe comparatis concludere videtur, terream hanc

hanc ſubſtantiam ſeparari ab oſſe, et ſeparatam exire de corpore per conſuetas vias, quibus inutilia e corpore eliminantur, ſed ſimul per vaſa allatam ſimilem materiam ſupplere hanc iacturam. Si ergo per repetitos podagrae inſultus ſic mutata fuerint vaſa, ſic laeſa ſit oſſium fabrica, vt materia reparanda ad debita loca venire nequeat, non mirum eſt, illam ad vicina loca depoſitam tophos podagricos conſtituere. Si id, quod ad reparanda oſſa requiritur, in cauis articulorum colligitur, vix medicabiles anchyloſes, et ligamenta articulorum minus flexibilia efficit.

Licet curatio podagrae difficilis et ferme impoſſibilis ſit, variae tamen indicationes examinantur, et ſudoriferis multum tribuitur; non enim tantum ad vaſa ſubtiliſſima et copioſiſſima exhalantia cutis Ill. Auctor attendit, ſed etiam neruulis copioſiſſimis, ad habitum cutaneum ductis, multum tribuit, quia nimirum, ex ſententia BOERHAAVII, ſubtiliſſimum exhalant, quod diutius in corpore relictum nocuiſſet; narrat tamen ſimul, SYDENHAMUM intercalari tempore calida ſudorifera damnaſſe, quoniam materiam podagricam, nondum ſatis ſubactam, vi ſua ad artus detrudunt, et inuita natura nouos paroxyſmos excitant. p. 345.

Cum autem a podagrica materia, non ad articulos, ſed ad alias partes progrediente, tot mala oriantur, adeoque de auertendo morbi augmento ſemper cogitare conueniat; cum porro viſcerum praecipue vigor reſtituendus ſit, vt nutrimenta in prima digeſtionis officina bene ſubigantur; cum denique ventriculi et inteſtinorum actio in ingeſta augenda, ſimul vero ad praeſtantiam liquorum affluentium, digeſtioni inſeruientium, inprimis bilis, attendendum ſit: medicamenta, in quibus gratus aromaticus ſtimulus et ſimul amaror климат biliofus eſt, ad viſce- p. 362.

rum efficaciorem motum efficiendum et bilis inertiam corrigendam vtilia ſunt. Oſtendit itaque, hac in re cum veterum medendi ratione conuenire puluerem Ducis Portlandiae, quo in haereditaria podagra vſus eſt, et qui ex partibus aequalibus radicis ariſtolochiae rotundae, gentianae, ſummitatum chamaedryos, chamaepityos et centaurii minoris componitur, et cuius drachma mane ſumitur ieiuno ventriculo per tres menſes, poſtea etiam continuato per annum vſu in minori doſi. Adducitur tamen exemplum curationis minus proſperae; etenim poſt huius pulueris vſum podagrici inſultus fuerunt nulli; materia tamen ad pulmones translata.

p. 367. Maior attentio adhibenda eſt in vſu ſalium alcalinorum, acrimoniae podagricae acidae viſae oppoſitorum, cum certum ſit, haec podagricis bilioſis omnino nocere. Mittimus alia, quae de ſolo victu vegetabili, animali omni excluſo, et de cura lactis, nec non de dolore in paroxyſmo temperando, ex variis auctorum obſeruationibus proponuntur.

p. 394. Ad morbos virginum progredimur; agitur itaque prolixius de ortu et cauſſis catameniorum, et concluditur, non ad plethoram tollendam vel minuendam inſtitutum eſſe menſtruum fluxum, cum et in non plethoricis debito tempore contingat, inde tamen et in iis, quae ſanguine abundant, plethoram hoc fluxu ſolui, hinc otioſas foeminas, lauto victu nutritas, menſtruum fluxum copioſiorem experiri, quam duro labore exercitatas, tandem parcum fluxum ſufficere, vt foecunda ſit mulier. Ex defectu menſtruorum tamen plethoram, et ex hac multa incommoda oriri, certum eſt, quae nunc recenſentur et inſolitae menſtruorum viae ex obſeruationibus declarantur. Liceat nobis raram quandam obſeruationem a BOERHAAVIO et ab haeredibus cum Cl.

p. 403. (beside "xum ſufficere")

p. 426. (beside "declarantur")

Commen-

Commentatore communicatam huc transferre. Puella, decem annorum, ob luis venereae ſuſpicionem pillulas mercuriales et decocta lignorum felici cum ſucceſſu ſumſerat, poſt nouem menſes dolorem tenſiuum in brachio dextro ſenſit, et eruperunt puſtulae, cum pungente dolore, ex quibus paulo poſt ſanguis fluxit, dolore et puſtulis ipſis euaneſcentibus; poſt menſem et cum duodecimum ingrederetur annum, fluor menſtruus prima vice erumpebat, rediens menſe proximo poſt praegreſſam ex puſtulis haemorrhagiam. Emmenagogis exhibitis et vena in pede inciſa, absque brachii puſtulis et haemorrhagia, redierunt ordinata menſtrua. Cum digiti manus dextrae rigida hyeme frigerent, ex apicibus illorum ſtillabat ſanguis ſine fiſſura et puſtula: calore foci et tepore verno ceſſit malum, menſtruis iterum rite ſuccedentibus. Deinde poſt, habita circuitus menſtrui lege, quotidie vel alternis diebus iterum ex digitis procedebat ſanguis ſine vlla apertura. Cum mane adhuc ſtillaret ſanguis ex digitis, poſt meridiem vertigo cum rubore faciei aegram angebat, mox larynx in tumorem attollebatur cum ſuffocatione quaſi hyſterica; haec cuncta ceſſabant, poſtquam ſanguinis fonticuli in collo aperti erant. Alio tempore inflabatur hypochondrium dextrum cum acerbo dolore; adhibitis medicamentis variis, inprimis venaeſectione inſtituta et balneis, ceſſauit dolor, menſtruis tamen ſimul ſuppreſſis. Erubuit facies et larga ſequuta eſt haemorrhagia narium, qua nondum ceſſante, intumuit larynx, et ſanguine ex collo exſudante, iterum detumuit; vna eademque die ex brachio dextro et ſura pedis dextri ſanguis ſtillabat, ſub veſperam ſpaſmi lateris dextri, mente conſtante. Haec exceperunt alternae conuulſiones variarum partium, et ventriculus intumuit, decima tamen hora ceſſarunt omnes hae turbae,

ſupererat brachii dextri laxa immobilitas, nec extendi poterat genu dextrum, epigaſtrium erat inflatum, et accedebat amauroſis oculi ſiniſtri, quae vnica pars erat ſiniſtri lateris affecta. Tentatis variis remediis, non niſi brachii mobilitas reſtituta eſt. Poſt menſem oculus ſiniſter ſubito intumuit, et lacrymae ſanguineae effluxerunt, non tamen ceſſauit amauroſis. Succeſſit ſudor ſanguineus naſi ex ſiniſtra parte et haemorrhagia narium, quam mox excipiebat ſputum ſanguineum et ſanguinis riuuli ex vnguibus et brachio dextro. Intumuit ſura absque ſudore ſanguineo, poſt biduum terrore perculſa, ſanguis ex oculo ſiniſtro, brachio et manu dextra ſtillauit. Menſtrua, per bimeſtre ſpatium ſuppreſſa, poſt vſum nonnullorum remediorum emmenagogorum prodiere, ſed parcius, detumuit tamen abdomen. Dolemus, hiſtoriam hanc morbi ſingularis non ad finem perducere potuiſſe accuratiſſimum obſeruatorem. Ea vero, quae nunc fuſius de fluxu menſtruo promouendo et de ſelectis in hunc vſum remediis propoſita ſunt, omittimus, cum pauca etiam ex morbis grauidarum annotanda ſint.

p. 450. De ſignis grauiditatis primo agitur, quatenus vel in ipſa conceptione, vel poſt illam ſe monſtrant, nonnulla etiam de hydrope, cum grauiditate con-
p. 455. iuncto, ex obſeruationibus adducit. De augmento ſanguinis in grauidis poſtmodum perhibet, illud in vterum impendi, et ab hoc ſanguine vterino ſecerni tenuiores humores, vſibus embryonis deſtinatos. Propinqua obſeruatione confirmare annititur, nihil rubri ſanguinis ad embryonem venire primis menſibus, nec ad membranas, nec ad placentam. Cum autem vterus totus vaſculoſus ſenſim diſtendatur, de craſſitie eius in grauiditate aucta vel imminuta diuerſas Auctorum ſententias refert.

Nauſea,

Nauſeam, vomitum, aliaque grauidarum incommo- p. 462.
da, ſanguini menſtruo retento non adſcribenda eſſe, Cl. Commentator vrget, quoniam in grauidis oculi magis contracti et caui cernuntur, et oculorum album liuidum apparet, cum in plethoricis oculi potius promineant, et vaſa rubra in albo appareant. In multis grauidis quoque facies pallida et contracta inuenitur, et ſymptomata adducta ſaepe mox poſt conceptionem, et antequam plethora moleſta fieri poteſt, apparent. Quoniam vero BOERHAAVIUS p. 469.
affirmat, ſanguinis miſſione ſymptomata grauidarum tolli poſſe et debere, Noſter, qui venaeſectionem in grauidis non prorſus improbat, oſtendere tamen annititur, illam in omnibus grauidis neceſſariam non eſſe, immo nec ſemper vtilem, ſed quandoque noxiam.

In genere quidem patet, validos corporis con- p. 499.
cuſſus in grauidis vitandos eſſe, cum hi vero ſaepe ab iis cauſſis eueniant, quae vitari non poſſunt, v. c. a ſternutatione valida et tuſſi, his occurrere debet medicus: hinc in coryza fomentationes narium ex aqua et lacte tepidis conueniunt, et tuſſis vltimis geſtationis menſibus ſaepe moleſta diacodiatis coercenda eſt.

Cum adſtringentia, vaſis vterinis apertis, ad abor- p. 505.
tum praecauendum non applicari queant, opiatorum vſum Noſter cum BOERHAAVIO vrget; quoniam eorum vſu motus ſanguinis circulatorius retardatur, quod experimento ALSTONI in ranis capto demonſtratur, et ſimul certum eſt, in validis haemorrhagiis prodeſſe, ſi vita ſit debiliſſima. Ligaturae vero artuum, quae idem efficiunt, ita adornandae ſunt, quo venae tantum, minime autem arteriae premantur. Vbi autem haemorrhagia incipit minui, ſiue ex collapſis vaſis, ſiue ex thrombis obturantibus orificia vaſorum illud eueniat, non

omnes ligaturae ſimul, ſed vna poſt alteram relaxanda eſt.

p. 581. Ne nimium extendamus recenſionis limites, mittimus ea, quae ex variis auctorum ſententiis et obſeruationibus de partu difficili proponuntur, et ad morbos puerperarum progredimur. Recenſentur primum omnes cauſſae, quae in circulo ſanguinis mutato puerperas ad lipothymiam et ſyncopen diſponunt; omnis enim ſanguis verſus inferiora vaſa corporis iam laxa et patula vergit, et parca copia ad cerebrum et cerebellum venit; cum itaque tempus puerperii, quod immediate partum ſequitur, periculoſiſſimum ſit, maius diſcrimen foret, niſi vterus ipſe ſubita contractione vaſa ſua anguſtaret. Placenta itaque non ſoluenda eſt, niſi conſtet, vterum iam ſe contrahere; inde etiam metuunt vterum flaccidum, in abdomine fluctuantem, nec in globum contractum, non raro enim ob inanitionem ſubitam vaſorum conuulſae pereunt puerperae. Ob eandem rationem ſuſpectus habetur nimis facilis partus, dum vna cum aquis ruptis vno quaſi impetu prodit foetus, vel quando membranis adhuc integris concluſus vna cum placenta prodit.

p. 589. Ex hac cauſſa puerperis mox poſt partum non conceditur ſomnus, cum tamen blanda quiete adeo reficiantur. Verum, ſi lata faſcia abdomen conſtringatur, et vterus ſigna contractionis ſuae dederit, ille metus abeſt. Prudentia iubet, vt primis poſt partum horis non deſeratur puerpera, ſed nullo modo requiritur, vt perpetuo ſtrepitu excitata vigilare cogatur.

p. 603. Si ſanguinis puri copia poſt partum vndatim effluit, et vaſa, diſtendente ſanguine libera, ſe contrahunt, lochiorum rubedo paucis ſaepe poſt partum horis imminuitur; quod vero nondum lochiorum ſuppreſſio dici poteſt, nec tunc conuenit varia artis moli-

molimina ad ea excitanda adhibere; imminutio enim haec a vaſis contractis naturalis eſt, et cum nulla alia mala ſymptomata adſint, non videtur periculoſa.

Febricula illa, quae in puerperis lactea dici ſolet, non tantum a lacte ad mammas delato naſcitur, ſed etiam a depuratione vteri per blandam et ſuperficiariam ſuppurationem pendet. Ideoque non ſemper timendus eſt purulentus lochiorum fluxus, cum naturalis ſit. Narrat Ill. Auctor, medicos eo non raro turbatos fuiſſe, dum periculoſum vteri vlcus adeſſe crediderint. Subputridus etiam odor non raro a linteis haud ſatis mutatis et purgatis pendet, et grumoſus ſanguis, qui in vteri ſinubus diutius haeret, in tabum ſubputridum deliquescit. Febris vero lacteae vera ſigna paulo poſt fuſius recenſentur, et oſtenditur, promptum lactis acceſſum ad mammas et facilem ſuctionem infantis hanc febrim exiguam ſaepe reddere. Qua data occaſione etiam de metaſtaſi lactis nonnulla proponuntur, et oſtenditur, lochiis ſuppreſſis ſaepe tribui, quae forte a metaſtaſi lactis producuntur. p. 605. p. 608.

Quamuis puerperis quies concedenda, et aeris frigidioris acceſſus arcendus ſit, ideoque induſiorum mutatio vix ante decimum a partu diem concedatur; quod ſi vero in his ſordibus diutius maneant; alia incommoda et grauiora inde oriri, certum eſt: omnino itaque conducit, lintea citius mutare, omnis interim adhibenda eſt cautela, ne frigidus aer corpus tangat. p. 625.

Grauiditas alui libertatem ſaepius impedit, hinc obſtetrices mox ante partum clyſma iniiciunt, maximo parturientium commodo, et ſi in ipſo partu aluus exoneretur, per biduum vel triduum alui deiectio exſpectanda eſt, aluo tamen ſtrictae clyſmate aut aliis remediis lenioribus ſuccurrendum. Sunt p. 627.

tamen medici, qui ob metum diarrhoeae per octo et plures dies aluum non ducunt, licet nixu ſaepius noxio tandem euacuatio magis vrgeatur, quam ſuccedat. Adduntur porro plura de diarrhoea, in puerperis magis ſalutari quam noxia, et concluditur: criticam diarrhoeam inhibere vetant artis regulae, ſymptomaticam coercere parum videtur tutum, cum putrida in corpore retineantur. Sudores puerperarum, qui cubiculi intenſo calore, ſtragulorum pondere vel calidis ſudoriferis medicamentis exprimuntur, recte damnantur, ii vero concedi poſſunt, qui blando lecti tepore et dilutis humoribus promouentur.

p. 647. Accedimus tandem ad morbos infantum, vbi in recens nato de ligatura funiculi vmbilicalis, de balneis ad puritatem conciliandam, de nondum aperto ani orificio et de primo purgante ex melle, ſyrupo, addito etiam ſapone veneto, ad glutinoſum abſtergendum, agitur, et incommoda a meconio retento conſiderantur.

p. 667. Ex ipſa natura lactis oſtendit Auctor, illud optimum eſſe nutriendo infanti alimentum, perſuaſum enim ſibi habet, lac, antequam in mammis colligatur, omnium viſcerum atque vaſorum corporis humani actionem expertum eſſe, omnibus humoribus permiſtum per vniuerſi corporis vaſa fluxiſſe, immo iam proxime ad naturam humorum corporis humani accedere, et nullam artem praeuiam eam mutationem inducere poſſe ingerendis cibis, quae in

p. 671. lacte iam adſit. Lactis vero bonitas cognoſcitur, ſi odorem non ingratum ſpiret, album ſit, dulcis et ſaccharini quaſi ſaporis, et aqua pura optime diluitur. Si guttula, vngui impoſita, inclinato paulum digito, non illico defluat tota, ſed aliqua pars in ſuperficie vnguis haereat, conſiſtentia bona eſt, craſſa autem et viſcoſa, ſi nimis adhaeret. Laudatur etiam lac, quod

quod non omnino album et opacum eſt, ſed aliquid ſubcoeruleſcentis habet, ſemipellucidum quaſi. His de victu et reliqua diaeta nutricis varia ſubiunguntur.

Magnum in recens natis hepar copioſam bilem ſecernit, quae, coloſtro caſeoſo per pylorum egredienti admiſta, illius tenacitatem ſoluit, et acidam acrimoniam cauet; bile vero inerte reddita, albicantes grumi caſeoſi cum foecibus exeunt, vel harum flauedo in viridem colorem mutatur; vti vero iam acidum abundat, ſi flauae foeces poſt deiectionem virides redduntur, ſic, ſi virides euacuantur, acidum ſpirantes, totum canalem inteſtinorum acido lactis coloſtro repleri, certum eſt. Cum itaque ſalia fixa alcalina, vt antacida, non commode adhiberi queant, ſaponis vſum prae reliquis commendat. Laudat tamen etiam vitellum ouorum, quoniam nullam acrimoniam habet, et blandum dat nutrimentum, et praeterea lactis coagulum ſoluit. p. 681.

De ortu vermium ex ouis inſectorum aliisque multiplicandi viis, de iis non tantum inteſtinalibus, ſed etiam in aliis corporis cauis reperiundis, diſſeritur, paulo poſt de differentiis vermium inteſtinalium agitur, et variae morborum hiſtoriae adiiciuntur. Pruritus narium nexui, quem tunica pituitaria cum membrana pharyngis et continuata ventriculi et inteſtinorum tunica habet, tribuitur, licet itaque diuerſam obtineant fabricam, tamen irritatio, per vermes in inteſtinis excitata, ad nares vsque producitur. p. 691. p. 698. p. 713.

Subiungitur amplum examen medicamentorum anthelminticorum, v. c. mellis, ſtanni raſi, limaturae ferri, allii, etc. de mercurialibus pauca adduxiſſe ſufficiat. Cl. SCOPOLI obſeruauit, nullibi plures aut frequentiores obſeruari lumbricos inteſtinorum, quam circa fodinas argenti viui, cum tamen homi- p. 723. p. 730.

nes illi viuant in aere, volatili per ignem reddito argento viuo inquinato, et ſaepe ab his exhalationi-
p. 731. bus male afficiantur. Experimenta demonſtrant, per infuſionem, digeſtionem, coctionem argenti viui in aqua pura, nihil deceſſiſſe huic argento viuo, cum autem raro aquae, potui inſeruientes, purae ſint ab omni ſale, et ſimul cognitum ſit, mercurium non tantum ſolui ab acidis, verum etiam a ſalibus alcalinis et neutris affici, non mirum eſt, ſi cum aqua
p. 738. aliquid mercurialis communicetur. Traduntur etiam variae obſeruationes de effectu ſpecifici anthelmintici Cl. HERRENSCHWAND, licet ipſa medicamenti compoſitio adhuc inter arcana referatur, ſub finem tandem de dentitione agitur.

III.

HENRICI IOA. NEPOM. CRANTZ, S. C. A. Majeſtatis Conſiliarii etc. Stirpium Auſtriarum faſciculus I. Viennae Auſtriae apud Ioſephum Kurtzböck. 1762. 8. pl. 5. tab. aen. 3. Faſciculus II. ibid. apud Paulum Kraus. 1763. pl. 10. tab. aen. 6.

Si eos in ſcientia botanica ſcriptores omni laude proſequimur, qui plantas, ſponte in patria prouenientes, non ſine ſummo ſaepius labore colligunt, collectasque ſyſtematice poſteritati tradunt: certe etiam CRANTZIUS Noſter eandem gloriam pari iure ſibi vindicare poteſt. Nullas ille moleſtias curans, ſolo erga plantas amore excitatus, repetito itinere disquirit patriam ſuam, iuga, montes, aliaque loca difficiliora adit, quo plantas decerpat, et inde, quem CLUSIUS ante eum iamiam inchoauit, catalogum plantarum Auſtriacarum emendet, ditioremque reddat. In tanta autem copia plantarum,

quas

quas Auſtria producit, cum cognoſcat Cl. Auctor, ſe omnium deſcriptionem non vno tempore, vnoque volumine abſoluere poſſe, iniit conſilium, hunc laborem per faſciculos ita ſuſcipiendi, vt in quolibet, ſecundum methodum ad naturalem proxime accedentem, claſſem quandam indigenarum Auſtriae plantarum euulgaret. Ordines harum claſſium ex affinitate plurium generum, natura dictitante, effecit, deridens LINNAEI fragmenta ſyſtematis naturae, vt lubrica, et a natura prorſus aliena, ROYENII atque HALLERI veſtigiis inſiſtit, et non niſi ab vltimo hoc ſolo aliquod ſyſtema naturae omni numero abſolutum perfici poſſe, ſibi perſuadet.

In primo ergo faſciculo claſſem *plantarum antiſcorbuticarum ſiliculoſarum* recenſet, quas diſtinguit in eas, quae ſiliculam integram et apice emarginatam habent. Omnium generum huc relatorum characterem deſumit Noſter ex ſilicula, quatenus apice vel integra eſt, vel diſſecta, et ſtylo praedita, vel eo deſtituta, reſpiciens ſimul ad ſepti praeſentiam variamque eius figuram. Calycem et corollam rarius attendit, de numero autem ſtaminum, eorundemque ſitu, peculiari alias, ſatisque conſtanti prorſus ſilet. Eadem ratione glandulas nectariferas, quae in multis huius claſſis generibus intra ſtamina tum breuiora, tum longiora inueniuntur, negligit; non ſolum inde disquiſitionem generum ob paruitatem harum glandularum difficiliorem fieri, verum etiam anomalias inde oriri adfirmans. Etenim in *Eryſimi* nonnullis ſpeciebus, *Barbarea*, v. c. et *Cheiranthoide*, non duas, ſed quatuor eiusmodi glandulas ſe detexiſſe contendit. Eundem numerum tuberculorum in *Heſperide* inuenit. In *Dentariae* LINNAEI, (quae alias eiusmodi glandulis deſtituitur) ſpecie *enneaphyllos* dicta, quatuor, in *bulbifera* Faſc. I.

autem

autem ſex obſeruauit. Et ita pluribus aliis exemplis demonſtrat, glandulas hasce non eiusmodi characterem pro definiendo genere ſuppeditare, cui fides habenda ſit, partim, quoniam numerus earundem inconſtans, partim etiam, quoniam, vt certe contendit, hae ſquamulae vel glandulae ſaepius factitiae tantum ſint, et poſt euulſionem petalorum vel ſtaminum oriantur, prout idem in *Heſperide*, *Raphano*, et *Sinapi* frequentius obſeruauit. Conſtantiorem ergo et eſſentialem characterem fructum ſuppeditare affirmat, ſecundum hunc ergo omnes plantas huc referendas diſtribuit, earumque deſcriptiones ita nobiscum communicat, vt, charactere generico indicato, ſynonyma ex HALLERO et CLUSIO praecipue adducat, et ſub finem in plerisque nonnullas obſeruationes addat. Interdum etiam, quando cognouit, plantam ob characterum differentiam ſub genere quodam cognito iamiam ſtare non poſſe, nouum genus, nomenque effecit, et
p. 2. plantam adiecta icone delineare curauit. Sic v. c. *Thlaſpi* I. *montanum* CLUSII neque ad *Clypeolam*, neque ad *Lunariam* et *Iſatidem* LINN. referri poteſt, quoniam ſilicula orbiculata, apice integra, ſepto deſtituta, ſtyloque dubio ab his generibus differt, nouum itaque genus conſtituit plantamque *Bohadſchiam* dixit, cuius folia radicalia petiolata cordata, caulina amplexicaulia lanceolata, in icone depin-
p. 5. guntur. Ex *Lepidii* genere duas potiſſimum ſpecies accuratius deſcripſit atque delineauit, quarum vnam vſitato nomine HALLERI, alteram LINNAEI appellat; prior petalis calyce longe maioribus, ſilicula tricuſpidi mucronata, foliis carnoſis pinnatis, pinnis lanceolatis, extima ouata inſignitur, et ab omnibus aliis *Lepidiis* LINN. ſilicula integerrima, ſtylo notabili diſtinguitur; altera petala habet calyce vix maiora, et ſiliculam, ſtylo carentem. Cum ergo

ergo prior ſub *Lepidio* LINNAEI ob characteris diſferentiam ſtare non poſſit, et ab HALLERO iamiam deſcripta fuerit, ei quoque nomen HALLERI Noſter impoſuit. *Drabae* genus ex eſſentiali charactere in valuularum planarum membranacearum ellipſi inueniendo definitur. Species quaedam *Auſtriaca* dicta, et in icone depicta, roſulas habet hirſutas, incanas, raro dentatas, folia ad caulem ampliora, ſemper dentata. Alia *Pyrenaica* dicta, et in eadem tabula delineata, ſcapum habet nudum, folia cuneiformia trifida, habitum minimum, radicem compoſitam, et *Saxifragae* inſtar in plures ceſpites et tubercula diuiſam. *Naſturtii* character genericus in ſilicula apice integra, ſepto ſtylo gaudente, ſtylo ſepto proprio, valuis concauis hemiſphaericis conſiſtit, duae ſpecies, ſaxatile nempe naſturtium et Auſtriacum, depinguntur; prius folia habet hiſpida, longe petiolata, ſerrata pinnata; alterum vero folia glabra, ſeſſilia ſerrata, fructum minimum, et radicem lignoſam perennem. *Camelina* a Noſtro p. 17.
pro nouo genere aſſumitur ob ſiliculam apice integram, ſtylo et ſepto gaudentem ſed ſtylo valuis proprio. Habitus eſt hirſutus, folia ſcabra ſagittata, leuiter dentata, florem habet exiguum obſolete luteum. Creſcit in agris inter linum. *Clypeolae* cha- p. 19.
racter deſumitur ex valuis ſcutiformibus. Speciei cuiusdam *Alyſſoides* dictae character eſſentialis in calyce perſiſtente conſiſtit. *Thlaſpi* diſtinguitur in ſpecies, quae petala habent aequalia, et quorum exteriora maiora ſunt. Vt autem ex ſynonymis cognoſcimus, Cl. Auctor praecipue in vltima ſubdiuiſione *Iberidem* cum *Thlaſpi* coniunxit. Plantas antiſcorbuticas ſiliquoſas Noſter ſubdiuidit in eas, quarum calyx plus minusque longitudinaliter conniuet, vt in *Dentaria, Eryſimo, Heſperide, Turritide, Raphano,* et *Braſſica,* et quarum calyx plus minusque hiat, vt

in

in *Arabi, Cardamine, Cheirantho, Sinapi et Siſymbrio.* Omnia *Eryſima* ſiliquam maturam quadrangularem habere adfirmat, ideoque eandem pro charactere generico eſſentiali aſſumit. Quoniam vero Auctor glandulas nectariferas, hoc genus alias diſtinguentes, prorſus negligit, fieri non poteſt, quin exinde confuſio ſynonymorum oriatur, ita vt *Cheiranthi* et *Heſperidis* ſpecies aliorum cum hoc genere coniungat. *Eryſimum* enim *Pannonicum* eſt *Cheiranthus Eryſimoides* LINNAEI; et *Eryſimum ramoſiſſimum* Noſtri eſt *Cheiranthus Chius* LINN. quam plantam idem in horto Cliffortiano olim *Heſperidem* caule
p. 45. ramoſiſſimo dixit. *Arabis Thaliana*, ſecundum deſcriptionem iconemque a Cl. Auctore datam, folia habet radicalia petiolata lanceolata, partim integra, partim dentata, ideoque definitioni LINNAEI repugnat, qui huic ſpeciei folia integerrima attribuit. *Arabis bellidifolia*, vt ex icone videmus, folia habet villoſa, radicalia longe petiolata, caulina ſubamplexicaulia; incertus vero Auctor eſt, num haec planta Naſturtium Alpinum bellidis folio maius BAUHINI ſit? Inuenit eandem paucos ante annos in montibus inter pediculares. *Cardamines* genus, ſecundum Noſtrum, calyce hiante, ſiliquarum valuis ſurſum
p. 50. reuolutis, ab omnibus reliquis diſtinguitur. In *Sinapi* calycem patentem, ſiliquam dehiſcentem, cornu aut fere ſiliquis aequale, aut maius pyramidale leuiter bifidum pro charactere generico aſſumit, et HALLERO vitio quaſi fert, quod ille, LINNAEI veſtigiis inſiſtens, ad glandulas nectariferas in hoc genere reſpexerit, cum eas hanc plantam neque a *Raphano*, neque a *Braſſica* diſtinguere poſſe Noſter affirmet.

Faſc. II. Alter faſciculus continet claſſem plantarum multiſtaminum. Poſtquam Cl. Auctor in praefatione multa de ſexuali ſyſtemate LINNAEI diſputauit,

uit, et, quantis anomaliis illud obnoxium ſit, comprobauit: conſultius tandem duxit, has fabulas *Linnaeanas*, vt dicit, negligere, et naturam in ſuis mutationibus conſiderare, et ex ea conſtantiores notas pro definiendis generibus repetere. Itaque multitudinem ſtaminum vt characterem claſſis aſſumit, multiſtamines autem dicit plantas, quae viginti et plura ſtamina habent; icoſandrias et polyandrias LINNAEI ad hanc claſſem refert, dodecandrias autem, vt valde variantes, reiicit, ne confuſio in determinatione ſtirpium exinde oriatur. Claſſem hanc in quinque ordines ſubdiuidit, 1) in plantas *calycifloras*, quae ſtamina multa calyci inſerta habent; has denuo diſtinguit in eas, quae ſemina nuda, et incluſa, poma vmbilicata, et vmbilico deſtituta gerunt; 2) in *multiloculares*, vbi ſtamina multa, et capſula ſicca multilocularis deprehenditur; 3) in *multiſiliquas*, quae ſtamina et ſiliquas multas habent, huius ordinibus denuo nonnullas ſubdiuiſiones addidit, dum nimirum conſiderat plantas ſiliculis clauſis liberis, ſiliculis clauſis receptaculo communi exceptis, et ſiliculis apertis; 4) in *rhoeades*, quae ſtamina multa et vim ſoporiferam habent; 5) tandem in *columniferas*, quarum multa ſtamina in columna poſita ſunt. Breuiter indicemus, quae in his ordinibus notatu digna nobis videntur. *Geum* prima planta inter calycifloras, ſe- p. 5.
minibus nudis. Character genericus conſiſtit in calyce monophyllo octo vel decemfido, et ſeminibus caudatis. Quod non omnia *Gea* ſecundum LINNAEUM ſemina caudata piloſa habeant, comprobat Noſter exemplo *Gei vrbani*, quippe cuius ſemina nuda, nec vnquam piloſa ſint. *Geum chamaedryfolium* (quod *Dryas* eſt), differt a reliquis huius generis ſpeciebus flore erecto octopetalo, fructu oblongo, ariſtis lanigeris. *Potentillam*, *Comarum*, p. 9.

Tormen-

Tormentillam, *et Fragariam* coniunxit, vnumque genus *Fragariae* effecit. In adiecta tabula duae exhibentur ſpecies *Fragariae*, vnam triuiali nomine vernam inſigniuit, quae folia habet ternata et quinata ſubtus cana, caulina ternata; altera folia gerit radicalia quinata, obtuſe et alte ſerrata; floralia
p. 25. ſuboppoſita trifida, et petala maculata. Inter plantas calycifloras, ſeminibus incluſis, *Rubus* vnicum genus eſt, cuius character in calyce quinquefido, petalis quinque, bacca compoſita, acinis monoſpermis conſiſtit. Eiusdem ordinis plantae, ſed ob poma vmbilicata a Cl. Auctore in nouam quandam ſub-
p. 27. diuiſionem redactae, *Roſae* ſunt, *Meſpilus* et *Sorbus*. In his generibus ſtabiliendis plures difficultates eſſe monet, quoniam *Meſpili* potiſſimum et *Sorbi* characteres vix ſatis diſtingui poſſunt, praetereaque alia genera hiſce valde affinia inueniuntur. Ex ſolo itaque fructu notas diſtinctiuas deſumit, et cum cognouerit Cl. Auctor, *Pyrum, Malum, Cydoniam* et *Meſpilum a Sorbo* non eſſe diſtincta genera, ea etiam ad *Sorbi* genus retulit. *Roſae* character conſiſtit in calyce carnoſo quinquefido, petalis quinque, fructu vmbilicato, coriaceo, colorato, ſeminibus hiſpidis,
p. 36. calycis interiori lateri affixis. *Meſpilus* autem definitur ex calyce quinquefido, petalis quinque, fructu vmbilicato, diſſepimento et loculis carente. *Cotoneaſter*, vt huius generis ſpecies, adiecta icone delineatur, et diſtinguitur foliis ouato acuminatis, integerrimis, ſubtus lanatis, bacca globoſa. Tria quatuorue ſemina in omni fructu *Cotoneaſtri* ſe reperiſſe teſtatur Noſter, licet LINNAEUS et CLUSIUS baccam quinqueſpermam deſcripſerint. *Sorbi* character genericus eſt fructus vmbilicatus, loculis inſtructus, calyx quinquefidus, et petala quinque. Vna huius generis ſpecies, *Chamaemeſpilus* dicta, et in icone delineata, caulem habet fruticoſum,
folia

folia oblongo oualia ſerrata, fructum ouatum, bilocularem. Cum auctorum ſententias de hac planta diuerſas repererit Noſter, eam accuratiſſime disquiſiuit, et tandem inuenit, fructum non baccam poſſe nominari, neque pentaſpermum eſſe, vt LINNAEUS deſcripſit, nec vnilocularem, ſed ſolo habitu fruticoſo, fructu biloculari, et ſeminibus duobus, ab omnibus congeneribus facile poſſe diſtingui. *Sorbus Aria*, in icone depicta, fructum habet pomi formam repraeſentantem, et ſemper in duobus loculis quatuor ſemina continet, quapropter vitio fert Noſter LINNAEO, quod ille huic plantae duo ſemina adſcripſerit, eandemque ad *Crataegi* genus retulerit. *Sorbo domeſticae* in figura delineatae fructum quinquelocularem Cl. Auctor attribuit. In *Aucuparia* autem quandoque in vno loculo duos fructus ſe reperiſſe teſtatur. *Pyrus* tandem, *Malus*, et *Cydonia* vt ſpecies ad hoc genus referuntur, et a ſe inuicem diſtinguuntur, fructu turbinato quinqueloculari, in *Pyro* obſeruando; fructu ſphaerico quinqueloculari, *Malo*, et fructu lanato quinqueloculari *Cydoniae* proprio. Inter plantas calycifloras, quarum poma p. 58.
vmbilico deſtituta ſunt, *Prunus* vnicum eſt genus, cuius characterem Noſter ex calyce quinquefido, petalis quinque, drupae nuce ſuturis prominulis deſumit. Sequitur ordo ſecundus plantarum mul- p. 61.
tilocularium, in quo *Tiliam*, *Hypericum*, et *Ciſtum* Cl. Auctor deſcribit. Differt *Hypericum a Tilia* filamentis in manipulum ſeſe decuſſantibus et fructu conico triloculari. *Ciſti* autem character genericus in calyce quinquefolio, foliolis duobus minoribus, petalis quinque caducis, ſtylo vnico, ſtigmate orbiculato, capſula triquetra triualui conſiſtit. Huius generis tres ſpecies delineari curauit Auctor, *Ciſtum* nimirum *Helianthemoidem*, qui a *Ciſto Helianthemo* vix, niſi habitu minori, et foliis et caule leuiter pilo-

ſis differt, *Ciſtum ſerpillifolium*, qui folia in margine
parum ciliata habet, et *Ciſtum alpeſtrem*, qui ſuffru-
ticoſus procumbens exſtipulatus eſt, et folia gerit
oppoſita ciliata, calyces laeues. Tertius ordo con-
tinet plantas multiſiliquas. Inter eas, quae ſiliculas
liberas non dehiſcentes habent, *Thalictrum* et *Spi-
raeam* Noſter recenſet, iis autem, quae ſiliculas non
dehiſcentes, receptaculo vero communi exceptas
habent, *Adonidem*, *Ranunculum*, *Anemonem*, *Clema-*
p. 83. *tidem* et *Atragenen* adnumerat. *Ranunculi* chara-
cterem eſſentialem in fouea nectarifera ponit. Inter
icones duae occurrunt, quarum vna *Ranunculum,
Breyninum* dictum, ſiſtit, cuius folia profundiſſime
tripartita, hirſuta, et receptaculum lanuginoſum
eſt; altera *niualem* repraeſentat, qui ex radice tu-
beroſa caulem ſubuniflorum, folia radicalia palmata,
caulina multipartita ſeſſilia, lanuginoſa emittit.
p. 100. *Anemonae* pro charactere generico calycem nullum,
ſed loco eius aut inuolucrum, aut terna folia No-
ſter adſcribit. Vna ſpecies, *narciſſiflora* dicta, folia
bilobata, profundiſſime diuiſa, flores vmbellatos, et
ſemen depreſſo ouale nudum, in icone depicta ha-
bet, altera, *alpina*, et in eadem tabula delineata, ex
radice pauca tantum folia multipartita, et caulem
nudum emittit, cui ſuperius inſiſtit inuolucrum,
ſeminibus piloſis, longiſſime caudatis, coronatum.
p. 111. *Atragenes* character genericus conſiſtit in calyce ex
quatuor facto foliolis maximis. Corolla duodecim,
pluribus petalis, minoribus. Semine cauda plu-
moſa arcuata. Eam ſpeciem, cui LINNAEUS tri-
uiale nomen *alpinae* impoſuit, Cl. Auctor ſpecifico
nomine *Clematidem* appellat, eiusque deſcriptionem
paullo exactiorem iconemque elegantem exhibuit,
e qua cognoſcimus, plantam hanc habitu ſcandente,
foliis duplicato ternato ſerratis a congeneribus
optime eſſe diſtinctam. Eiusdem ordinis plantas,

quas

quas Cl. Auctor vltimo loco in eas, quae ſiliculas
dehiſcentes habent, ſubdiuidit, conſiderat, quate-
nus florem habent irregularem, prout *Aquilegia*,
Aconitum, *Delphinium* et *Nigella*, et regularem, vt
Helleborus, *Trollius*, *Iſopyrum*, *Poeonia*, *Caltha*. Quar- p. 127.
tus ordo exponit plantas rhoeadas. Hunc ordi-
nem ex fragmentis ordinum naturalium LINNAEI
retinuit Noſter, et pro charactere aſſumit cum LIN-
NIO calycis folia decidua, petala patentia, et vires
ſoporiferas; monet tamen, hunc characterem non
omni numero eſſe abſolutum, quoniam calyx in
Nymphaea perſiſtat, nec omnibus plantis huc refe-
rendis vires ſoporiferae poſſint adſcribi. Genera
in hoc ordine definita ſunt *Papauer*, *Chelidonium*,
Glaucium, *Actaea* et *Nymphaea*. Inter tres papaue-
ris ſpecies, quas Cl. Auctor deſcripſit, vnam deli-
neari curauit, *Papauer* nimirum *alpinum* dictum,
cui triuiale nomen BURSERI impoſuit; diſtingui-
tur a reliquis foliis bipinnatis, ſcapo nudo vnifloro,
et capſula hiſpida. Quintus tandem et vltimus ordo p. 130.
ſiſtit plantas columniferas, quarum filamenta ſta-
minum in tubum compoſitum columnarem coalita
ſunt, et calyx duplex deprehenditur, vt in *Malua*,
cuius calyx duplex, exterior triphyllus, et capſulae
plurimae monoſpermae, in *Althaea*, cuius calyx ex-
terior nouemfidus, et in *Lauatera*, quae calycem
habet exteriorem trifidum, et interiorem quinque-
fidum, cum capſulis plurimis monoſpermis.

IV.

Deſcriptio anatomica embryonis obſeruationibus illuſtrata. Diſſ. inaug. Auctore HENR. AUG. WRISBERG. Gotting. 1764. ex officina Schultziana. 4. pl. 7½. tab. aen. 1.

Continet hic libellus quatuor foetuum abortu reiectorum accuratiſſimas deſcriptiones. Quamquam enim in figura quinta embryo aliquis deformis delineatur, eius tamen deſcriptio fruſtra in hoc opuſculo quaeritur, cum a Cl. Auctore in
p. 1. aliud tempus reſeruata ſit. Prima obſeruatio eſt deſcriptio foetus trium circiter menſium a foemina ictero et febre quotidiana laborante ſecedens. Praemiſſa morbi matris hiſtoria, externam dat Cl. WRISBERG corpuſculi foetus deſcriptionem. Inter chorion et amnion vbique gelatinam copioſam tremulam deprehendit, quae aliquot in locis digiti minimi craſſitiem aequabat. In cerebri membranis, choroidea et ciliari corpore, vaſis, cartilaginibus, oſſibusque vbique flauedinis indicia apparebant, cuius cauſſa ſine dubio in humoribus matris, per icterum mutatis, quaerenda eſt. Albuginea tamen, quae, vti notum eſt, in adultis, ictero laborantibus, flaua eſſe ſolet, hic alba deprehendebatur. Hepar reſolutum plane erat, fellea autem veſicula continebat mucum ſubrubellum heterogeneum. In epicriſi huic primae obſeruationi adiecta, praeter alias res huc ſpectantes, potiſſimum de cauſſis, viam bilis naturalem impedientibus, diſputatur.

p. 17. Secunda obſeruatione de foetu decem ſeptimanarum, integris adhuc velamentis incluſo, agitur, qui etiam figura prima, ſecunda, et tertia tabulae aeneae delineatur. Tunica villoſa, oui et reliqua foetus velamenta accurate deſcribuntur. In hoc

foetu

foetu inter amnion et chorion veſiculam liquore pellucidiſſimo repletam Noſter obſeruauit, ex qua longum filamentum tenue oriebatur, ſub amnio decurrens, et ad funiculi vmbilicalis in placentae ſubſtantiam inſertionem perueniens. Conſtabat vero hoc filamentum ex duobus filis inter ſe iunctis, atque ad funiculi in abdomen inſertionem iterum a ſe ſecedentibus. Horum filamentorum vnum meſenterio inſerebatur, alterum vero in membrana, duodenum ambiente, deſinebat. Similem fere veſicam et filamentum Ill. ALBINUS in annotationum academicarum Libro primo deſcripſit. Abdomen in hoc foetu vmbilicum verſus prominebat, herniaque vmbilicalis aderat. Deſcribit deinde Cl. WRISBERG viſcera tenelli huius corpuſculi, tanto quidem ſtudio tantaque elegantia, vt certi ſimus, neminem hanc deſcriptionem eſſe lecturum, quin inſignem exinde capiat voluptatem.

Tertia obſeruatio de foetu trium circiter menſium inſcribitur. Praemittitur hiſtoria morbi matris, quae fluore albo maligno primum affecta, poſtea in febrem malignam incidit, qua etiam periit. Pariter viſcerum habitum in hoc corpuſculo ſollicite Noſter deſcribit. Thyroidea glandula in duas partes a ſe inuicem diſtinctas diuiſa erat. In figura quarta, quae ad hanc obſeruationem ſpectat, renum potiſſimum teſtiumque ſitus declaratur. p. 27.

Quarta obſeruatio ad hiſtoriam foetus, quinque cum dimidio menſium, ſex digitis inſtructi pertinet. Velamenta primum deſcribuntur. Inter chorion et amnion etiam in hoc foetu tremulam gelatinam Noſter obſeruauit, quae ad extremos placentae limites ſita propriam membranam habebat, atque in chorii laminam internam continuabatur. Digito minimo in vtraque manu ſuccenturiatus quaſi digitus mediante membrana intermedia adhaerebat, p. 37.

vnico tantum internodio, nullo metacarpi oſſe in-
p. 46. ſtructus, cui paruus vnguis albus inſidebat. Pulmones in hoc foetu Cl. WRISBERG per aſperam arteriam inflauit, eiusque rei phaenomena hic deſcribit. Si vero diu aerem immitteret, ſubito in pericardium penetrauit, ita, vt illud pellucentem ſaccum referret, expanſionemque etiam, pulmoni-
p. 50. bus iterum ſubſidentibus, retineret. In hoc foetu vnica tantum arteria vmbilicalis aderat, ex iliaca dextra continuata orta, quae in dextro latere ſextuplo maior, quam in ſiniſtro erat, in quo ſcilicet nullum omnino ad vmbilicum ramum dabat. In figura quinta, cuius deſcriptionem Cl. WRISBERG in huius elegantiſſimi opuſculi continuatione daturum ſe eſſe pollicetur, foetus deformis quatuor menſium exhibetur.

V.

IOANNIS ANTONII SCOPOLI, Med. Doct. S. C. R. et Apoſt. Majeſt. Montanae Ciuitatis Idriae Phyſici, Entomologia Carniolica, exhibens inſecta Carnioliae indigena et diſtributa in ordines, genera, ſpecies, varietates, methodo Linnaeana. Vindobonae, typis I. Th. Trattner. 1763. 8. Alph. 1. pl. 6.

Quod ſcientia rerum naturalium tot tantaque augmenta ceperit, noſtraque aetate in magna ſit exiſtimatione, non adeo mirandum eſt, ſed potius hoc, quod non, vt facile fieri potuiſſet, longe altius faſtigium attigerit; cuius rei plures quidem poſſunt eſſe cauſſae, quarum praecipuas has arbitramur: primum, deſcriptionum multarum imperfectionem; deinde rerum in patria ſponte creſcentium ignorantiam. Plantarum quidem magnam ſemper curam botanici

botanici hac in re habuerunt, hinc tot florae Suecicae, Pariſienſes, Lipſienſes etc. inſectorum aliorumque animantium vero non item, ſi modo LINNAEUM et paucos alios excipias. In laude itaque eſt inſtitutum Auctoris, quod inſecta patriae ſuae e tenebris quaſi in lucem protraxerit in libro ſuo de inſectis Carniolicis, cuius nunc praeſtantiam, ordinem, et proprietatem paucis declarare aggredimur.

Continet hic liber inſecta ab anno 1759 ad annum 1762 in ducatu *Carnioliae* ab ipſo Cl. Auctore maximam partem collecta et deſcripta. Ingenue fatendum eſt, multum diligentiae deſcriptionibus ineſſe, cum ratione colorum, qui nominantur, tum partium dimetiendarum aliarumque rerum, de quibus poſtea. Tradita ſunt multa inſecta noua, multa aliter deſcripta, at in meliorem quaſi formam redacta. Ordines et genera a LINNAEO ſtabilita aſſumſit Auctor, mutatis tamen characteribus fixisque limitibus. Neque nomina triuialia, a LINNAEO ſelecta, ab eo neglecta ſunt, differentias tamen mutauit, vbi opus videbatur; quod ſaepe etiam factum eſt.

Praemiſſa praefatione, in indice quodam ordines, genera, et ſpecies indicantur, ſic vno quaſi adſpectu, quae deſcripta ſunt inſecta, adparent. Ordines ſeptem ſunt, nimirum:

1. *Coleoptera;* alae anticae coriaceae.
2. *Proboſcidea;* os proboſcide inflexa.
3. *Lepidoptera;* corpus piloſum, alae ſquamis coloratis tectae.
4. *Nevroptera*; alae 4, aculeus nullus.
5. *Aculeata*; alae 4, abdomen vni ſexui aculeo armatum.
6. *Halterata;* apice palpigerum, palpis 2 incuruis.
7. *Pedeſtria;* alae nullae.

Pauca occurrunt genera noua, nam reliqua omnia cum Linnaeanis nominatim conueniunt. Ad noua pertinent

Lucanus. Antennae apice dentibus 4 vno latere pectinatae, maxillae porrectae.

p. 358. *Anthras.* Roſtrum biſetum, vagina baſi retractili, medio palpigera.

Rhingia. Roſtrum triſetum, vagina vniualui, attenuata, canali oris adplicata.

Erax. Roſtrum triſetum, vagina vniualui, capite non longiore.

p. 367. *Styrex.* Roſtrum vniſetum, vagina retractili palpigera.

Hirtea. Roſtrum vniſetum, vagina retractili, apice labiata, baſi palpigera.

Sicus. Roſtrum vniſetum, vagina e medio refracta.

Quum definitionum generum ſaepiſſime magna ſit a Linnaeanis diſſenſio, ſuperuacaneum foret, de ſingulis dicere. Hic modo monemus, numerum ſpecierum in hoc libro deſcriptarum eſſe 1153.

Sequitur colorum, quibus Auctor in deſcribendis inſectis vſus eſt, explicatio, quorum diſcernendi ratio cum ea conuenit, quam P. PODA e *Soc. Ieſu* hoc experimento docuit: diuidatur orbiculus axi oſſea inſtructus in octo partes aequales, obducantur harum quaedam binis, tribus aut pluribus coloribus primariis, adhibita denique celeri et vniformi relatione vnicum colorem habebis. Colores primarii autem ſunt:

1. Cinnabarinus	-	Cinnabaris.
2. Flauus	-	Gummi guttae.
3. Caeruleus	-	Caerul. Berolin.
4. Niger	-	Atramentum Indicum.
5. Albus	- -	Ceruſſa.
6. Viridis	-	Compoſitus ex caeruleo et flauo.

Inde

Inde compoſiti v. c.

Roſatus partes	2 Albi	6 Rubri.	
Pudorinus -	6 Rub.	2 Flaui.	
Luteus -	6 Flaui.	2 Nigri etc.	

Porro decompoſiti v. c.

Cinamomaeus	4 Flaui.	2 Rub.	2 Nigr.
Viridanus -	4 Virid.	2 Caerul.	2 Flau.

In dimetiendis quoque partibus omnem Cl. Auctor nauauit operam, et vt nobis videtur, interdum nimia ſubtilitate; ſic apud inſecta coleoptera longitudines alarum ſuperiorum ac latitudines; apud lepidoptera, neuroptera et reliqua, quae ſequuntur, modo longitudines dictarum alarum ad pedem Pariſinum definiuntur. Rem exemplis illuſtremus v. c.

Scarabaeus Melolontha. El. long. lin. fere 7. latit. 2 $\frac{2}{3}$.
Papilio vrticae. Long. lin. 11. lat. 7 $\frac{3}{4}$.
Libellula Virgo. Long. vnc. 1. et lin. 2.
Muſca domeſtica. Long. lin. 3. p. 327.

Nouarum ſpecierum adeo magnus eſt numerus, vt, ſi omnes ſingulaeque indicandae ſint, librum potius deſcribere, quam iudicium ferre videremur; huc pertinent v. c.

Cimex Meriopterus, cuius diagnoſis eſt: Antennae articulus ſecundus compreſſus, terminatus articulis binis ſetaceis pallidis. Roſtrum pedesque citrini. p. 132.

Mutilla Saltatrix. *Acarus piger* etc. p. 314.

Sunt quoque ſpecies, quas facile quis pro nouis habere poterit, nec tamen nouae ſunt, vt aranearum ſpecies ferme omnes. In cauſſa eſt neglectus ſynonymorum. A Linnaeanis ſaepe Auctoris ſpecierum deſcriptiones diſpoſitionesque diſcrepant v. c.

Sic Acarus Veſpertilionis *Auct.* eſt Pediculus n. 4. apud LINNAEUM. p. 387.

Iubus Lagurus *Auct.* Scolopendra n. 1. apud LINN. p. 420.

p. 100. LINNAEUS Staphylini politi differentiam eſſentialem ſtatuit in punctis decem thoracis excauatis; monet Auctor, numerum horum punctorum a 3 - 8 valde eſſe variabilem, rariſſime decem adeſſe.

p. 120. Cimicis Mauri character ſpecificus a corporis colore petendus non eſt, qui modo obſcure ruber, modo rubro et flauicante varius, modo pallide ferrugineus. En diagnoſin Linnaeanam, quae haec eſt: Cimex ſcutello longitudine abdominis, *corpore griſeo.*

p. 389. De Acaro Muſcarum Auctor commemorat: pedes eorum aeque diſſitos, medios et poſticos craſſiores; hos vero longiſſimos et filiformes eſſe, nunquam, vt LINNAEUS, reperit.

Nouae ſpecies etiam nouis nominibus ornatae ſunt triuialibus v. c. Papilio *Achine*, Papilio *Polymeda*, Muſca *Caeſarina*, Muſca *Coloſſus*, etc. Pediculi, in vniuerſum omnes, quos deſcripſit, huc pertinent.

Quibusdam inſectis nouis in honorem praeſtantiſſimorum virorum, quibus hoc animantium genus in deliciis fuit, nomina ſunt impoſita v. c.

p. 234. Phalaena *Lambergiana;* Phalaena *Wulfeniana*, a R. P. FRANC. XAV. WULFEN *e Soc. Ieſu.* Phalaena *Podana* etc.

Inprimis aranearum ſpecies peculiaribus nominibus ab inſectorum amantiſſimis et principibus ſumtis ſunt inſignitae v. c.

Quae olim Aranea Diadema, nunc Aranea LINNAEI appellata eſt; ſic aranea REAUMURII; Aranea SWAMMERDAMII; Aranea RAII etc.

Ceterum araneae omnes ad oculorum ſitum in ordinem redactae ſunt.

Hinc et inde quoque obſeruationes quaedam ſunt inſperſae, velut de inſectorum exſtirpandorum quorundam remediis v. c.

A Veſper-

A Veſpertilione murino Scarabaeus melolontha p. 7.
colligitur; autumnales morbos copioſior ſaepe
praenunciare creditur; oleum infuſum cimicifugum
reddere commendatur.

Gryllos Blattasque fumum carbonum foſſilium p. 103.
occidere ſtatuunt.

Grylli Gryllotalpae fimo equino alliciuntur, por- p. 106.
cino pelluntur. Ab incolis Carniolicis applicantur
ſcrophulis diſcutiendis.

Papilio vrticae etiam circa *Idriam* et alibi, vbi ta- p. 145.
men nulla vrtica vrens creſcit, reperitur.

Apes mellificae magna copia et ſedulo in *Carnio-* p. 303.
lia, praeſertim ſuperiore coluntur. In iisdem locis p. 121.
cimex lectularius volatilis quoque occurrit, noctu
domibus inuolans. Capitur plerumque foliis pha-
ſeoli, pulmonariae aliisque aſperioribus. Necatur
oleo, vt ſupra dictum, infuſo Scarabaei Melolon-
thae, Agarico muſcario, Actea et Nicotiana.

Tantum de libri ratione, ex quo a partium ſtudio alienus quisque et induſtriam, et laborem et ad optimam quamque normam inſectorum deſcriptiones exaratas ſine omni dubitatione intelliget atque admirabitur.

Verum ſunt quaedam, pace tamen cuncta Auctoris dixerimus, quae, niſi fallimur, hiſtoriae naturalis intelligentem dubium reliquunt. Haeſitamus primo de nominibus triuialibus, quae dicuntur, nouis, araneis a viris doctis impoſitis; abſit, vt vllo modo inſectorum nomina, a peritis in hac re petita, contemnamus, vt potius maxime commendemus. Sed noſtra haec eſt ſententia, cum iam ab aliis, hac rerum intelligentia imbutis, nomina triuialia ſelecta ſint, non ſine magna difficultate poſſe naturae res cognoſci, nobis perſuademus. Ad quod accedit, ſi quilibet hoc mutandorum nominum ius ſuum eſſe vellet, magna incommoda et difficultates in diſcen-

dis

dis rebus euenturas eſſe. Superflua quoque haec nominum innouatio eſſe videtur, cum iam alia inſecta eruditorum nominibus ſint ornata v. c. Phalaena Schwammerdamella; Ph. Reaumurella; Ph. Linnaeella; Ph. Rajella, etc. Miramur porro, cur Cl. CLERCKII *de araneis* liber ne citatus quidem ſit. Nonne melius fuiſſet, ſi Auctor pediculorum nomina a loco, animalibus, vbi reperiuntur, ſumſiſſet? Denique inopinata nobis res eſt, nulla, vbi commode quidem haberi poterant, ſynonyma aliorum Auctorum inueniri, vt adeoque de nouis Auctoris ſpeciebus ſaepius dubitandum ſit.

Commemorare etiam nos oportet, Cl. Auctorem ſuaſu plurium entomologiae cultorum conſilium cepiſſe, omnes in hoc libro deſcriptas inſectorum ſpecies iconibus exhibendi delineatas, easque vel ſolas diuulgandi, vt adiici potuerint ad calcem libelli, vel addendi ſupplementis, quae iam meditatur.

VI.

IOSEPHI THADDAEI KLINKOSCH, Ph. et M. Doct. in alma C. R. Vniuerſitate Pragenſi Anat. Prof. Regii Publ. ac Ord. Programma, quo diuiſionem herniarum nouamque herniae ventralis ſpeciem proponit. Pragae, literis Io. Ioſeph. Clauſer, 1764. 4. pl. 4½.

Poſtquam Cl. Auctor abdominis terminos atque viſcera intra vel extra peritonaeum ſita deſcripſit, firmitatemque parietum abdominis quam maxime differre oſtendit: viſcerum abdominalium mobilitatem contemplatur, quae, ſi aequilibrium inter partes continentes et contentas tollitur ita, vt illae extra abdominis limites cedant, herniis oriundis occaſio-

caſionem ſuppeditat. *Hernia itaque*, inquit, *eſt egreſ-* p. 6.
ſus ſeu dislocatio partis mollis abdominalis e ſede ſua naturali in cauum aliud morboſe factum. Diſtinctionem herniarum vel loci, in quo oriuntur, vel partis dislocatae ratio praebet: differentiam in veras et ſpurias reiicit, quia hae definitioni repugnant, eas tamen recenſet. Herniae verae itaque fiunt ratione loci et ſedis, vbi vel per foramen natiuum vaſa transeunt, quorſum pertinent 1) hernia vmbilicalis, *exomphalocele*, 2) inguinalis, *bubonocele*, 3) femoralis, *merocele*, aliis cruralis, HEISTERO inguinalis externa dicta; vel vbi nullum adeſt foramen natiuum, ſed parietes tantum cedunt, quorſum ſpectat vnicum genus, hernia nimirum ventralis, *hypogaſtrocele*, quae aut externa aut interna eſt: p. 9.
ſedes priorum in dictis foraminibus natiuis ſemper certa eſt, ventralis vero herniae ſedes in omni abdominis circumferentia, exceptis foraminibus dictis. Hinc omnes ad latus vmbilici, aut in linea alba ſupra aut infra eum oriundas, ad vmbilicales ſaepius relatas hernias, ad ventrales referri cenſet Cl. Auctor, vmbilicalis herniae verum locum in vmbilico ſolum ponens. Has atque alias ventralis herniae quam plurimas ſpecies ex praeſtantiſſimorum chirurgorum obſeruationibus in notis additis collectas exhibet, quibus et ſuas adiecit. Peritonae- p. 17.
um, vi parietum abdominis imminuta aut ſublata, vel in ſaccum extenditur, vel rumpitur. Viſcera vero abdominalia, quae eſt altera diſtinctio, omnia dislocari poſſe aſſerit, et pluribus itidem collectis obſeruationibus confirmat, nouamque ſimul herniae ſpeciem, herniam ſcilicet, ligamentum rotundum hepatis continentem, in cadauere foeminae 70 annorum a ſe obſeruatam deſcribit. Eſt porro quoad partes deuolutas hernia vel ſimplex, vno ſcilicet viſcere e ſede dimoto, vel compoſita, pluribus viſce-

viſceribus ſimul prorumpentibus; quorſum et ſpe-ctat hernia duplex, triplex, quadruplex cet. quarum exempla ab auctoribus denotata adiunxit. Simplex hernia denuo in incompletam, quae in viſceribus membranaceis contingit, quorum paries vnicus tantum prodit, et vel appendicularis, vt in diuerticulis inteſtinorum, vel ſacciformis eſt; aut in completam, vbi paries vterque prorumpit, diuiditur. Cum inſuper viſcera abdominalia plurima ſedem tam in naturali ſtatu, quam morboſo ſaepius mutent, fit, vt pluribus in locis in hernias dimoueantur ventriculus, omentum, inteſtina, veſica vrinaria, vterus, hepar, lien, de quorum magnitudine nimia vel vario et morboſo ſitu plura adduxit exempla, a ſe aliisque obſeruata. Differentiis his ex natura partium deſumptis alias vſu magis inductas et accidentales addit. Eſt itaque hernia 1) ratione cauſſae haereditaria, vel congenita, vel acquiſita; 2) ratione ſubiecti, quoad aetatem et ſexum diuerſa; 3) ratione ſtatus vel mobilis, vel adhaerens, vel denique incarcerata, inflammatione et dolore ſtipata. Inflammatio tandem, quae vel herniae mobili vel adhaerenti ſuperuenit, vel in ſaccum herniae parteſque continentes, vel in partes elapſas in ſacco contentas, vel in vtraſque ſimul progreditur, ſtatum herniarum diuerſum ſimul definit.

VII.

Diſſ. inaug. ſiſtens herniarum communia attributa et partitionem. Praeſ. RUD. AUGUSTIN. VOGEL, Reſp. *Andr. Gottfr. Zimmer.* Gott. 1764. 4. pl. 4.

Ob rei ſimilitudinem, et hanc diſſertationem ſubiungimus, cuius caput primum ſiſtit *herniarum communia attributa.* Hernias veras tantum, quarum ſedes

ſedes in toto abdomine eſt, contemplatur Auctor, easque definit, eſſe *tumores a mollibus partibus abdomen cingentibus relaxatis, viſceribusque contentis e ſede ſua ad haec loca promotis, excitatos*. Viſcera poſtea, quae hernias faciunt, ortum, varietates et cauſſas exponit. Rupti peritonaei nullam conſtare obſeruationem aſſerit: ſaccus enim hernioſus, qui in ruptura abeſſe deberet, ſemper adeſt, et, ſi deficeret, aut vulnus peritonaei, aut putredinem aut veſicae herniam indicaret. Herniae, quae vel ex parte vel totae non reduci poſſunt, immobiles a Noſtro dicuntur; in his enim deſunt ſymptomata, quibus incarceratae ſunt affectae, durities, tenſio dolorifica cum alui adſtrictione, dolores aliaque. Plurimas tamen hernias immobiles demum fieri, et ſaccum hernioſum, licet viſcera deuoluta interdum reducantur, nunquam niſi in recentiſſimo malo curari, affirmat. Herniae porro non raro inter ſe vel cum ſacco concreſcunt, cuius rei rationem, cauſſas atque repoſitionis difficultatem ſimul proponit. Vberius itidem in contemplatione cauſſarum, quae hernias incarceratas faciunt, verſatur; cauſſam immobilitatis in anguſtia orificii ſacci hernioſi eiusque conſtrictione ponit, quae accedente inflammatione potiſſimum fit et augetur. Alias ſimul ſubiungit cauſſas rariores, poſt mortem ſectione demum inuentas et a variis ſcriptoribus adnotatas. Signa, ex quibus herniae cuiusuis immobilitatis cauſſa pateſcat, ambigua et maximam partem fallacia eſſe exiſtimat: immobilitatem dolorificam tamen ab inflammatione inteſtinorum exoriri, veroſimile eſſe cenſet. Hinc in hernia incarcerata remedia conuenire contendit ea, quae inflammationi, verae et vnicae cauſſae dolorificae, medentur. Curatio duplici indicatione abſoluitur: partes enim deuolutae ſunt 1) in ſedem ſuam reducendae; 2) in eadem retinendae; prius p. 13.

manu,

manu, alterum vinculis faſciisque fit. Herniae immobiles doloroſae, ſi manus et medicamenta nihil amplius valent, niſi permagnae ſint, ſecentur, ſi non dolent, intactae quieſcant, quum ob coalitionem reponi vix poſſint, ſectionem vero earum, ſi permagnae ſunt, lethalis ſequatur effectus, et repoſitio, quae per ſe difficilis, facile ſyncopen aliaque mala ob maiorem elapſorum molem in abdomen redigendam producat. Incarceratae herniae interdum gangraena et ſphacelo corripiuntur; rumpitur etiam ex ſuppuratione inteſtinum delapſum et ſtercora effluunt, ſaepe lumbrici, ano tamen artificiali in ſede herniae relicto vita ſeruatur, qui etiam, ſi paucis balſamicis et traumaticis remediis vtuntur chirurgi, et in curatione a turundarum vſu abſtinent, ne quidem remanet, ſed interdum perfecte coit vlcus, vel exiguum reſtat, parum foeculenti liquoris exſtillans. Tempus, quo inteſtina elapſa gangraena et ſuppuratione affici ſolent mortemque producunt, magnopere differre, neque certum definiri, ex nonnullis obſeruationibus adductis, neque ſectionis earundem tempus determinari poſſe, patet. Mortis ex gangraena ſubſecuturae ſigna his tandem adiungit.

p. 19. In *herniarum* vero *partitione*, quam *Caput ſecundum* continet, ita verſatur Noſter, vt eas in genera et ſpecies diſtinguat. Generum characterem a ſede, ſpecierum vero a viſceribus deuolutis deſumpſit, qua in re a Cl. SAUVAGES, qui a partibus deuolutis hernias diſpoſuit, recedit eam ob cauſſam, quoniam partium elapſarum determinatio aliquando fallax et non niſi poſt mortem deprehendenda, ſedes autem ſemper certa eſt. Genera ſequentia hinc Cl. Auctor ſtabiliuit:

Genus I. Hernia ventris; hypogaſtrocele. H. Zirbalis Carpi.

II. Omphalocele; exomphalus.

III. Bu-

III. Bubonocele, cum qua cyſtocelen ſimul tradit.
IV. Oſcheocele.
V. Merocele ſ. hernia cruralis.
VI. Hernia oualaris.
VII. Hernia vaginalis.
VIII. Hernia dorſalis.

Horum generum ſpecies XLII conſtituit, optimis auctoribus, qui eas deſcripſerunt, additis, et non niſi in vulgatiſſimis omiſſis. Adponamus exempli loco ſpecies generis VII. herniae vaginalis.

Species 38. Epiplocele vaginalis. GARENGEOT *Mem. de l'Acad. de Chir. I.*
39. Enteroepiplocele vaginalis. LEVRET *obſ. ſur les Polyp.*
40. Cyſtocele vaginalis. VERDIER *obſ.* 18.

VIII.

ANTONII DE HAEN C. R. A. Majeſtatis Conſiliarii et Archiatri, etc. Pars ſeptima rationis medendi in noſocomio practico, quod in gratiam et emolumentum medicinae ſtudioſorum condidit MARIA THERESIA, Auguſtiſſ. Romanorum Imperatrix etc. Viennae Auſtriae, ſumptibus H. I. Krüchten, 1762. 8 mai. pl. 15. Pars octaua ib. 1763. pl. 17.

Quum has partes eadem diligentia, eruditione et iudicio, quam praecedentes, concinnatas deprehendamus, ſuperfluum arbitramur, eas lectoribus commendare. Ex iis enim, quae nunc tradimus, et harum partium praeſtantia colligi poterit.

Pars *ſeptima* quinque complectitur capita, in quorum *primo aneuryſmatis externi ſpurii* vlterior exhibetur explanatio, quod Cl. Auctor in prioribus

partibus *) iam deſcripſerat, et nunc varias obſeruationes adiungit, quae hanc doctrinae chirurgicae
p. 3. partem illuſtrant. Pictori nimirum, 25 annorum, ex infelici venae in brachio ſectione ſpurium aneuryſma contigit, cuius operationem ſequenti modo Cl. LEBER peregit. Inciſo tumore, prodibat in conſpectum corpus globoſum, congrumato ſanguine plenum, quo aperto ſanguineque abſterſo, arteria brachialis ſupra bifurcationem a latere interno ſauciata eſſe videbatur. Agaricus ideo non modo huic imponebatur, verum etiam toti vulneri ex conſilio Noſtri idem pulueriſatus inſpergebatur, machinaque tortilis admouebatur. Die ab operatione decimo quinto, cum ſub quarta deligatione agaricus decideret, nihil iam ſanguinis e vulnere effluebat, nihilo minus tamen agaricus iterum imponebatur. At enim vero cum poſt duos dies denuo ille decideret, et nihil plane cruoris prodiret, arteriam iam coalitam eſſe iudicabatur, vulnus conſolidabatur, et aeger perfecte ſanatus dimittebatur.
p. 17. Alius iuuenis, 24 annos natus, in quo ſpurium aneuryſma in crurali arteria ab inflicto vulnere ortum erat, die a vulneratione vigeſimo ſeptimo, facie lurida, febri cum pulſu debiliori, tuſſicula continua pectoriſque anxietate ſtipatus, et ſemimortuus quaſi ad noſocomium deferebatur. Chirurgus die ſequenti arteriae ligaturam, quam ob locum compreſſioni minus aptum, et ob ipſam plagam profundiorem, agarici applicationi praeſtantiorem iudicauerat, poſthabitis omnibus, quae ab hoc conſilio auocare poterant, difficultatibus, tentabat. Die ab operatione vigeſimo facies tota vulneris gangraenoſa corticis peruuiani vſum poſtulare videbatur, qui

*) vid. Comment. hor. Vol. IX. p. 659. et Vol. XII. p. 133.

qui etiam adeo felici cum effectu exhibebatur, vt, quicquid corruptum in vulnere erat, poſt aliquot dies aut egregie ſeparatum, aut in ſanum vtique mutatum conſpiceretur. Eodem cum ſucceſſu idem remedium, cum bis adhuc gangraenae indicia cum febricula vaga et inſigni horrore ſe manifeſtarent, ipſiusque ſphaceli ſigna adeſſent, exhibebatur. Sciendum vero eſt, non modo interius Cl. viros corticem propinaſſe, ſed et toti vulneri inſperſiſſe vnguentisque admiſcuiſſe, ita quidem, vt ſeptem et dimidii menſium ſpatio extracti vnciae ſeptem, pulueris librae ſex cum dimidia, in decoctis librae triginta quatuor cum dimidia, in fomentis autem vndecim librae conſumerentur. Cum itaque in hoc p. 46.
aegro, ſi in vllo alio, inſignis corticis in debellanda gangraena virtus elucefcat, eiusdem vindicationem aduerſus iniquos ipſius aduerſarios ſuſcipit, variisque adnititur probare argumentis, quod, ſi ſperatum effectum non exſerat, id non remedio, ſed malo immedicabili, falſae indicationi, adſumentis corpori, doſi iuſto minori, aut virium neceſſariarum aegrotantis defectui imputari oporteat. Narrat, vrinas in hoc aegro binis prioribus gangraenae periodis iumentoſas admodum, pelleque pingui, craſſa, verſicolore tectas, profluxiſſe, quam primum autem cortex adſumtus fuerit, meliores apparuiſſe; at vero tertio ſuperueniente gangraenae affectu, eas ita variaſſe, vt nihil certi in prognoſi ab earum mutatione colligi potuerit. Varietas vrinae tanta erat, vt ne quidem eorum quid, quae grauiſſimi viri in diagnoſi aeque ac prognoſi obſeruarunt, indicarit, quin potius contraria omnino ſignificauerit. Agarico tandem et lamellatim oris vaſorum impoſito, et in puluere toti plagae inſperſo, meritas tribuit laudes; metumque, ne reſorptus funeſtas obſtructiones pariat, ex eo, quod vt reliqua adſtringentia, ſibi ipſi

 aditum

aditum praecludendo, reſorberi non poſſit, inanem eſſe oſtendit.

p. 70. *Caput ſecundum veri aneuryſmatis deſcriptionem* continet. Quemadmodum ſaepius quidem accidit, vt nullum plane mali, quod ſubeſſe in corpore ſuſpicamur, veſtigium in aperto poſt mortem cadauere inueniatur, ſic non minus frequenter cauſſae multae in defunctis deteguntur morborum, quarum effectus homo, dum viueret, non ſentiebat. Illud ſectio cadaueris docet feminae, quam aneuryſmate laborare interno, in quarta huius libri parte*) Cl. Auctor putauerat, cuius tamen ne vlla quidem nota apparuit. Idem ſequentes obſeruationes com-
p. 82. probant. Homo, qui foliis aurantiorum a conuulſionibus liberatus videbatur, perfectam ab eo tempore, cum hiſtoriam eiusdem Noſter deſcriberet, nondum recuperarat ſanitatem; ſanus enim modo viſus pulſum habebat, qui ipſi iam tres ante morbum annos familiaris fuerat, celeriorem fortioremque, tuſſim cum exſcreatione ſeroſa aut glutinoſa, flatuumque ex vtroque gutture exploſionem enormem. His tandem ſuperueniebat extremorum intumeſcentia, tuſſis violenta, rarius purulenta, decumbendi impoſſibilitas et inſomnia; graui demum vltimo octiduo accedente peripneumonia extinctus eſt. Cadauere aperto, ſupra dextram orbitam cranium carioſum, eodemque in loco menynges accretae, ipſum cerebrum aliquantisper inde mutatum, ſerum ſub pia matre, vt in toto cerebro, ſic vel maxime in hemiſphaerio ſiniſtro effuſum, plexus choroidei muco quaſi pleni, pulmones ſubinde liuidi flaccidique, annuli aſperae arteriae et bronchiorum oſſei, cor magnum, flaccidum, extenuatum, valuulae mitrales ad marginem fere oſſeae, ſubſtantiam

*) Commentar. hor. Volum. IX. p. 659.

tiam oſſeam oblongam, phalangam primam digiti auricularis aequantem, in ipſum cor dimittentes, ventriculus decem menſuras capiens, non craſſus, viſcera abdominalia iuſto flaccidiora conſpiciebantur. In iuuene, 28 annos nato, aſthmate ſpasmodico ſuffocato, dexter pulmo diaphragmati, pleurae et iugulo accretus, ſuperius tubercula fere cartilaginea partim pure ſanioſo, partim materie dura ac ferme caſeoſa plena includens, annuli tracheae bronchiorumque rigidiores, cor ſiniſtrum reſpectu dextri robuſtum valde, ſed minus flexile, capacitate aneuryſmaticum, aorta a cordis baſi ad annulum dictum dilatata, poſt anguſta, deinceps ad iliacas vsque denuo duplo amplior, ventriculus magnus, iecur ingens, ponderoſus, ſplen durus, colon maxime coarctatum et vacuum detegebantur. p. 97.

In capite tertio de hydrope cyſtico et hydatidibus loquitur Noſter, priorisque doctrinam obſeruatione, in femina in Part. IV. cap. 3. et P. V. cap. 2. deſcripta, inſtituta illuſtrare ſtudet. Peritonaeum nimirum non modo cum partibus, in ventre ſitis, firmiter connatum, gelatinaque flaua in diuerſis cellulis incluſa plenum, vterum minorem, tubam Fallopianam dextri lateris in ſaccum, ſanie glutinoſiſſima infarctum, variosque iterum tumores continentem totumque abdomen diſtendentem detexit, verum etiam circa vmbilicum alium inuenit tumorem priori adnatum, innumeris hydatidibus compoſitum, atque has quidem in toto inteſtinorum ambitu, et in vtraque meſenterii ſuperficie ita copioſas, vt vel ipſa inteſtina vix cognoſci potuerint. De hydatidibus ipſis poſtquam varias obſeruationes lectu vtique dignas protulit, earundemque diagnoſin incertam ſaepius eſſe, propria edoctus experientia oſtendit, naturam ipſarum pathologice examinat, eorundemque ſententiam, qui ipſas aut ex glandulis degene- p. 110.

raſcentibus, aut vaſculis lymphaticis dilaceratis, aut vermibus, aut lymphaticorum valuulis, aut demum ex contextus celluloſi cellulis fieri exiſtimant, refutat, ſuam ignorantiam in hac re ipſe fateri non erubeſcit, variaque theoremata inde colligit.

p. 159. *Caput quartum* obſeruationem *inteſtini in inguine perforati, excrementis inde foras expulſis*, continet. Feminae ſcilicet, 37 annor. ſubitaneam inguinis inflammationem cum omnibus ilei morbi ſymptomatibus per quinque dies paſſae, ſexto morbi die tumor in inguine ſurgit dextro, qui ruptus die duodecimo primum oleum lini clyſmate iniectum, breui vero poſt ipſas foeces cum alimentis ſemicoctis emiſit, ipſamque inflammationem in ſphacelum iam transiiſſe, et hoc corruptam aliquam ilei partem periiſſe oſtendit. Femina poſt multas aerumnas perfectam recuperauit ſanitatem.

p. 203. *Quintum caput* complectitur *varia.* En primaria eorum! Mulier in tertio grauiditatis menſe a marito pedibus in hypogaſtrio conculcatur, vnde per reliquum geſtationis tempus venter quidem creuit, attamen adeo inaequaliter, vt gemellos includere vterus videretur. Doloribus ad partum fruſtra per ſeptem dies fatigata mulier ſubitanea enormique haemorrhagia extinguitur. Vterus in facie antica diſſectus, pollicem craſſus, vaſis numeroſis anguſtis amplioribusque, omnibus tamen vacuis, intertextus, dextraque ſui parte ſteatomate tredecim librarum et quatuor vnciarum obſitus conſpiciebatur. Poſtea, caloris cauſſam quidem attritum eſſe, eundem vero a multis aliis etiam cauſſis in animalibus intendi, obſeruatio in femina, putrida febre decumbente, comprobat. In ipſa ſiquidem, de calore intus vrente conquerente, calorem naturali ſex, octo, decem, duodecimque gradibus in thermometro maiorem Noſter obſeruauit, praeterquam quod pulſus notabiliter

biliter mutatus apparuerit. Deinde, nullam eſſe febrim haemorrhoidalem dicendam, contra auctorem alicuius theſis, qui eam defenderat, pluribus argumentis docere ſtudet. Tandem dum denuo litem de exanthematibus ſpontaneis vel factitiis recoquit, plura bezoardicorum remediorum breuiter perſtringit.

Pars octaua totidem capitibus ac praecedens absoluitur, quorum *primum* varia *de ſudoribus in morbis acutis* complectitur. Rem, quam experientia docet, cum Hippocraticis regulis comparare, ſtudium eſt vtile et iucundum; quod a Cl. HAEN saepius factum eſſe ac fieri, ſua comprobant ſcripta, et hoc caput nouum exhibet teſtimonium. Quicquid enim HIPPOCRATES de ſudoribus protulit, quod nimirum ii demum optimi ſint, qui calidi ex toto corpore cum euphoria profluant, ſuſpecti vero, qui ſine rigore praegreſſo ſtillauerint, et quod aliquando, licet iis omnia bona ſigna ſeſe adiungant, nihil tamen certi ſignificent, id Cl. Auctor in femina ſynocho putrida decumbente obſeruauit. Septimo enim morbi die ſudor apparebat multus, calidus, vniuerſalis, qui, quum per ſex horarum ſpatium continuaretur, ita recreabat aegram, vt, tranquilla nocte peracta, non niſi de capitis grauitate ſequenti die conquereretur. Dicti Hippocratici, quod bonum ſudorem rigor antecedere debeat, memor Noſter, num perfecte criticus ille fuerit, dubitabat, neque erraſſe, euentus confirmabat. Poſt haec enim per plures dies tanta ſaburrae copia per vomitus aluique deiectiones eliminabatur, vt ſolis his euacuationibus, nequaquam ſudoribus, iudicata aegra videretur. Porro docet Auctor, ſudores frequentiores aut continuos, vi morbi productos, nunquam pro ſalutaribus habendos eſſe, cum ſanguinem, li- P. VIII.

 quida

quida ſui parte defraudando, ſpiſſiorem reddat, indeque obſtructiones pariat longe periculoſiſſimas. Recte hinc damnat methodum eorum, qui lectorum, cubiculorum, aeris calore medicamentisque calefacientibus morbi materiam per ſudores in acutis eiicere ſatagunt, idque exemplo Itali cuiusdam comprobat, qui putrida decumbens febre, regimine calidiore, nimiaque calidae Theae ingurgitatione ſudores ſibi eliciebat adeo profuſos, vt cum iisdem et vires et ipſa vita effluerent.

In capite *ſecundo* varia de *criſibus morborum* Noſter proponit, hasque, dum ſaepius imperfectae videntur, abſolutiſſimas, et perfectiſſimas contra viſas, minus integras eſſe oſtendit. Ecquis neſcit, HIPPOCRATEM aliosque viros grauiſſimos vrinas nigras ſubnigrasque, ſeu tenues ſeu cum contentis etiam nigris, ita reformidaſſe, vt, niſi abſolute lethales, ſumme tamen periculoſas pronunciauerint, et nihilo minus ſaluberrimae aliquando cum ipſis criſes obſeruantur, cum alio tempore cum bonis vtique ſudoribus optimisque vrinis malas admodum criſes aegri experiantur, quin imo, dum hae felicem exitum promittunt, ſuccumbant. Maxime igitur neceſſarium eſt, vt medicus de valetudinis exitu iudicaturus non in vnico ſigno acquieſcat, ſed multa colligat, et ex his, bene inter ſe collatis, demum iudicet, quid in aegro ſperari poſſit, nec ne. Quod enim de vrinis, idem etiam de reliquis cunctis ſignis valet, morbique rarius vnica ſolummodo euacuationis ſpecie ſoluuntur, licet negari non poſſit, fieri interdum, vt vno quaſi impetu per vrinas ſudoresue omnis morbi materia ex corpore eiiciatur. Magnam etiam difficultatem in determinanda criſi medico parit, quod multi aegrotantium diem, quo acuto morbo conflictari ceperint, neſciant, plurimaque ſigna, quibuscum morbi incipere ſolent, praeſentem

ſentem aeque ac futuram morbi indolem praenuncient. Neque facilius eſt ex bona criſi praeſagitu, vtrum perfecte aegrum a morbo liberatura ſit, an recidiua aliusue morbus ſequuturus. Bene hinc Cl. Auctor eam auditoribus commendat prudentiam, ne vnquam hic certi quid determinare audeant, niſi forte morbum epidemice regnantem reuerti ſolere nouerint, cum innumerae cauſſae ſint, quae aut recidiuam, aut morbi mutationem in alium aut ipſam denique mortem cum ſaluberrima criſi inducere valeant.

In *tertio*, quod inſcribitur: *de morbis acutis cum petechiis aut miliaribus, capite* ſententiam ſuam de exanthematibus his factitiis, multoties iam impugnatam, totidemque defenſam denuo repetit, nouisque obſeruationibus et argumentis corroborare ſtudet. Cuncta itaque, quae ipſi obiiciuntur dubia, quorum 13 deprehendimus, in hoc capite colligit, ſingulaque ſeorſim diluere ſatagit. Ex pluribus pauca adferre nobis libet, ne rei taedium lectores capiat. En tertium! Calidam methodum non ſolam cauſſam eſſe horum exanthematum, ex eo colligitur, quod miliaria etiam Viennae, vbi medicorum hac methodo nunc pauci vtuntur, quin imo quandoque in noſocomio, cui ipſe HAEN praeeſt, obſeruentur. Cl. HAEN vero primo nondum concedit, ab omnibus medicis Viennenſibus calidam methodum eſſe abrogatam; deinde non ſolum calida medicamenta, ſed etiam calidum aerem, diutinam aegrorum in lectis manſionem, venaeſectionem neglectam, nimiam aegrorum in vno loco copiam, haec exanthemata producere perhibet; poſtea miliaria, ſuo in noſocomio viſa, ex cauſſis extra id iam praegreſſis orta eſſe contendit, nec intra decem annos plures, quam 24, alterutro exanthematum genere affectos habuiſſe aegros, quorum 14 ea in noſoco-

p. 103.

ſocomium iam ipſi ſimul apportaſſent, reliqui autem ibi demum iis correpti fuiſſent; tandem ex omnibus his in 9 tantum eruptionem diebus criticis, in 9 aliis, diebus non criticis, in 4 aliis, diebus incertis et in 2 reliquis iam ſtatu reconualeſcentiae contigiſſe narrat, in nullo autem aegro criſeos notam, vel morbi leuamen ſe obſeruaſſe. 4) Obiicitur HAENIO, certam eruptionis exſiccationisque periodum ſeruare miliaria ſaepius, adeoque critica eſſe. Quod vero, vt ex praecedentibus liquet, Cl. Auctor negat. 5) Quum ex miliaribus retropreſſis vitae periculum oriri ſoleat, apparere dicitur, non eſſe ſymptomatica, nam id, quod tantum ſymptoma eſt, poſſe tolli ſine diſcrimine, non aeque criticum. Sed HAEN refrigerante methodo ea omnino poſſe imminui, etiam auferri, hinc ſymptomatica eſſe regerit. Noſtrum quidem non eſt officium, hanc litem componendi. Si interim dicere nobis liceat, quod ſentimus: ab vtraque parte haec res nimis acriter et infeſto animo agitari videtur: quo inde fit, vt vtriusque partis patroni, odio occoecati, quid certum ſit, vel non videant, vel videre nolint. Certum vero eſt, ineptum regimen exaeſtuans, olim vſitatum, ſaepius exanthemata haec genuiſſe, quae ſponte, natura ſibi relicta, non proueniſſent. Conſtat etiam, ex eo tempore, quo medici priorem methodum reliquerunt, ea rarius in aegris oriri, cuius rei et ipſa Lipſia noſtra, ob hunc ipſum morbum olim admodum famoſa, luculentiſſimum praebet teſtimonium, in qua ea impraeſentiarum longe rarius obſeruantur ac olim. Negari tamen non poteſt, methodum Hippocraticam, Boerhaauianam et ipſam Haenianam non ſemper exanthematum horum eruptionem poſſe praecauere, ſed eam interdum ſingularis humorum morbique malignitatis euolutae eſſe comitem; ſaepe tamen quo-

que

que ea tempore critico et maximo cum ſymptomatum leuamine prorumpere, adeoque nec ſemper eſſe factitia, nec calidae medendi methodo ſolummodo adſcribenda, ſed ſaepe critica et ſalutifera appellanda. Et nos experientia edocti loquimur et nulli dubitamus, fore, vt quilibet a partium ſtudio alienus nobiscum conſentiat.

Quartum caput complectitur *problemata de ſcorbuto.* Cur hodie notior, atque apud ſeptentrionalis maris accolas inprimis frequentior ſit ſcorbutus, disquiritur, et cauſſa eius proxima ponitur in cruore ſanguinis craſſo, ſeri vero vna parte mucoſa, altera ſpecifice acri, ſcil. muriatica, acida, alcalina, quas tamen acrimoniae ſpecies ab acrimonia humorum ſpontanea differre, ex variis adductis et inter ſe comparatis ſymptomatibus oſtenditur. Non plures et diuerſas eſſe ſcorbuti, tum marini, tum terricolarum ſpecies, ſed vnicam tantum eamque putridae indolis, ex eo colligit, quod omni ſcorbuto vna eademque remedia, alcalina quippe antiſcorbutica vel acida, vel vtraque miſta medeantur. Id ex diariis itinerum marinorum comprobat. Varias recenſet cauſſas, quae in terra boreali ſcorbutum rariorem ac mitiorem reddiderunt, num vero eaedem et marinum tollere queant, ſcire intereſt, vndenam iſte in nauibus? Aerem marinum, humidiorem atmoſphaeram, ſalita et vegetabilium penuriam putat non ſufficere generando ſcorbuto, quia iisdem, licet vniuerſalibus, non omnes obnoxii ſint, ſiquidem nautae ſaepiſſime, nauium praefecti rarius ſcorbutum experiantur. Naſcitur itaque is a victu corrupto, aere humido et frigido, veſtibus et lectis tenuibus et humidis, vegetabilium ſucculentorum defectu cet. Curatur herbis calidis et frigidis alcaleſcentibus et acidis, licet vnius ſpeciei ſit morbus. Machinam Suttonianam vtilem praedicat, eam tamen p. 196.

men aeris humiditatem vniuerſalem non emendare, neque ſcorbutum praecauere poſſe, credit. Contra Cl. PRINGLE monet primo, non eſſe ex acore percepto ad acidum cochleariae concludendum; experientia ſe edoctum eſſe, tum vegetabilia alcalina, tum iura carnium, ſi certo gradu corrumpuntur, acidi quid redolere; fugax vero eſſe hoc acidum, breui in alcalinum abiens; deinde eum non diſtinxiſſe ſatis inter fermentationem et putrefactionem, inter putrida et alcalina, quippe putridum cum acidis non efferueſcit, priusquam in alcalinum vergit; inde cochleariam, naſturtium cet. ob acre iis inſitum recte vocari putat remedia calida alcaleſcentia. Succulenta vegetabilia ſale condita in doliis ſeruari ſuadet. Aeris puri, ſicci et tepidi vtilitatem in curatione concedit, eum tamen hanc abſoluere poſſe negat. Cauſſa citae curationis nautarum in larga remediorum ingeſtione, tardae vero terricolarum in parca medicamentorum aſſumtione poſita eſſe, Noſtro vero ſimile videtur.

p. 240. *Caput quintum* de *machina ad curandum ileum deſperatum* agit, et epiſtolas duas Cl. IO. DE VIDEMAR, Practici Mediolanenſis, ad Cl. HAENIUM datas, continet, in quibus cum vſus eius tribus aegris, iliaca paſſione laborantibus, profuiſſe euincitur, tum obſeruata in denatis et experimenta in cane viuo inſtituta traduntur. Machina haec, clyſteris loco adhibenda, haud abſimilis eſt ei, quae ad extinguenda incendia deſcribitur apud Cl. MARTIN in *Grammatica ſcientiarum;* cuius ope aqua tepida ad plures libras iniicitur, vt motus periſtalticus, praeſente vomitu ſtercoreo inuerſus, reuocetur. Noſter itidem plura in canibus viuis cum hac machina inſtituit experimenta, quibus conſtitit, vim continuatam ſuperaſſe reſiſtentiam valuulae coli, et vomitus effeciſſe. De vermibus vna cum aqua a canibus

reiectis

reiectis atque circa actiones vitales quaedam notantur; tandem corollaria 14 inde ducta finem libri faciunt.

IX.

Diſſ. inaug. anat. de ſtructura mammarum ſexus ſequioris nuperrimis obſeruationibus ex experimentis ſuperſtructa. Praeſ. ANDR. WESTPHAL. P. P. O. Auctore *Alex. Bernh. Kölpin.* Gryphiswaldae, literis Röſenianis. 1764. 4. pl. 5. tab. aen. 2.

Elegantiſſimum hoc opuſculum, praeter aliorum auctorum obſeruationes collectas, varia quoque notatu digna planeque noua continet, quae Cl. KÖLPIN, Cl. WALTHERO, theatri anatomici Berolinenſis Profectori, ſe debere fatetur.

Papilla mammae muliebris ex ſola condenſata et plicata cute externa fit, fibraeque NUCKII, KEILII, WINSLOVIIque non adſunt. Interna papillae pars ex multa tenaci quidem, ſed ſatis molli tela celluloſa componitur, quae tubulos lacteos reuincit. Nihil itaque intus continet, quod cauernoſum ſiue ligamentoſum dici mereatur. Hinc erectionem papillae in libidine vel ex quacunque irritatione Cl. KÖLPIN negat, corpore ſcilicet cauernoſo, ſine quo nulla erectio fieri poteſt, deficiente; quamquam concedit, foeminas voluptatem ſentire ex contrectatione mammarum, quae voluptas tamen ſyſtematis neruoſi irritati tantum effectus eſt. Arteriarum mammae hiſtoriam ſecundum HALLERUM, venarum vero ſecundum WINSLOVIUM tradit. Neruos vero mammae, ab aliis Auctoribus fere neglectos, ex Cl. WALTHERI obſeruationibus, qui ſingularem in iis disquirendis diligentiam adhibuit, deſcribit Noſter.

p. 7.
p. 8.
p. 17.

ſter. Nerui autem mammae duplicis ordinis ſunt, cum alii ad cutem tantum, alii ad ipſius mammae ſubſtantiam interiorem procedant. Omnes vero thoracici anteriores nuncupantur, et a Noſtro in neruos thoracicos anteriores internos. et externos diuiduntur. Oriuntur communi origine a neruis dorſalibus cum radicibus nerui intercoſtalis iunctis, ea ratione, vt neruus hic coſtalis, ad marginem coſtae procedens, in media coſtae parte intercoſtales muſculos perforet, et *exterior thoracicus* fiat, atque horum in vniuerſum ſex numerentur. Qui vero ex trunco, magis antrorſum procedente, rami inter cartilagines coſtarum tandem procedunt, ii *thoracici interni* a Noſtro dicuntur. Hos omnes ſubtiliter disquirit, eorundemque diuiſiones vlteriores et fines examinat.

p. 25. Vaſa lymphatica mammarum tam ex cauis tubulorum lactiferorum, quam ex tela celluloſa, glandulis minoribus, ex quibus mammae componuntur, interiecta prodeunt. Colliguntur in ſuperficie mammae poſteriori in ramos maiores, ad glandulas conglobatas et ex iis procedunt, ad plexus lymphaticos maxillares in ſubclauias venas tandem inſertos, quos MECKELIUS deſcripſit, et vti Noſter refert, etiam in tabula aeri inciſa, nondum tamen publi-
p. 27. cata, delineauit. Mammae, ex experimentis Cl. WALTHERI, tot diuerſis a ſe inuicem conſtant glandulis, quot numerantur in papilla ductus excretorii. Omnes vero hae glandulae arcte inter ſe cohaerent, nullaque arte a ſe inuicem ſeparari poſſunt. Nulla tamen anaſtomoſis aut commercium inter tubulos lactiferos, aut inter diuerſas glanduloſas partes exiſtit. Hinc Noſter, cum nulli acini a ſe inuicem ſeparari poſſint, neque vnicus tantum ductus
p. 29. excretorius adſit, concludit: mammas non ad glandulas conglobatas pertinere, ſed eſſe corpus glandu-

dulosum peculiaris generis. Tubulorum galactophororum ſemper quindecim numerantur, conſtanti numero. Eorum tamen tredecim tantum omni ſtudio et diligentia repleri poſſunt. Nam duo vltimi, ad ſupremum et externum papillae ambitum collocati, ſubtiliores ſunt, quam vt repleri queant.

In tabula aenea prima mammae anterior facies, cute et pinguedine detractis, tubulisque ipſis mercurio repletis delineatur. In tabula ſecunda poſterior ſuperficies traditur, in qua vaſa lymphatica potiſſimum ad plexum lymphaticum axillarem progredientia apparent, quae pro parte ex ipſis tubulis galactophoris oriuntur.

X.

Diſſ. inaug. med. ſiſtens Pylorum anatomico phyſiologice conſideratum. Auctore HENR. PALMAT. LEVELING, Treuir. Argentorati, typis I. Henr. Heintzii. 1764. 4. pl. 4. tab. aen. 2.

Primo capite Cl. Auctor de fabrica pylori ita agit, vt iis, quae ab aliis ſcriptoribus de hac parte dicta ſunt, breuiter enarratis, ſuas obſeruationes proponat. Membrana exterior pylori eſt productio p. 7.
peritonaei, per omnem ventriculum diffuſi, quae tamen tenuis eſt, et cum ſubiecta ſecunda tunica tam arcte cohaeret, vt ſine dilaceratione ſeparari nequeat. Ad latera immittuntur in eam ligamenta pylori vulgo dicta. Membrana muſculoſa ſemper p. 8.
ad pylorum craſſior eſt, duplicisque ordinis fibras, exteriores longitudinales, interiores circulares habet. Longitudinales validam faſciam carnoſam referunt, et pylorum ſupergrediuntur, atque ſupra duodeni conuexitatem pergunt, vbi inter inteſtini fibras

fibras circulares euaneſcunt. Circulares non circulos integros efficiunt, ſed finibus ſuis cum fibris ſibi ſimilibus anſarum in modum nectuntur. Harum circularium fibrarum fabricam ſubtiliter Noſter deſcribit, inprimis vero modum, quo cum fibris duodeni coniunguntur, explicat. In neruea pylori tunica glandulae folliculoſae ſedent, tanta quidem in copia, vt pylorum ex meris folliculis quaſi componi diceres.

p. 18. In altero capite, quod inſcribitur: *de vi et actione pylori* in ingeſta, duplicem pylori vim facit, *retentricem*, quae alimenta non rite praeparata in ventriculo retineat, et *expultricem*, qua alimenta, in pultem redacta virium ventriculi ope et liquorum huc affluentium ad inteſtina elabi permittantur. Haec a fibris muſcularibus ventriculi pendet, quibus ſumma irritabilitas ineſt. Circa retentricem vero pylori vim Cl. LEVELING varia experimenta inſtituit, tum in cuniculo, tum in humano quoque cadauere, quae docent, ventriculo cibis repleto, valuulam pylori totam clauſam eſſe, digitoque in ventriculum adhuc calentem immiſſo, ad duodenum penetranti reſiſtentiam opponere, eaque ſuperata, val-
p. 22. uulam hanc ſe iterum perfecte claudere. Situs etiam ventriculi pleni ad retentionem ciborum aliquid confert. Repletus enim ventriculus orificium ſuum ita contra duodeni tubum applicat, vti accurate Noſter in experimentis ſuis obſeruauit, vt et pylori oſtium hac appreſſione clauſum maneat, et omnis ciborum impediatur exitus. Accedit ad impediendum nimis celerem ciborum e ventriculo egreſſum compreſſio hepatis et plica duodeni, aliaeque
p. 25. cauſſae, a Noſtro explicatae. Quando vero rima duodeni aperitur, tunc fibrae quoque longitudinales actione ſua ad hunc motum praeſtandum concurrunt. Dum enim ſe ſupra molem intus haerentem

tem contrahunt, ventriculi extremitatem diducunt quoque, et ampliant, quo cibi eo melius pylori reſiſtentiam ſuperare poſſint.

Tabula aenea prima adiecta duodeni et ventriculi portionem in aqua explicatam et fluitantem ſiſtit, per minorem curuaturam ſectam. Hac ratione ruga pylori modusque, quo ea ex variis tunicis formatur, optime in conſpectum prodit. In altera tabula portio duodeni et ventriculi inuerſa, ablataque tunica villoſa et neruea, delineatur, quo fibrae circulares eo melius ſeſe conſpectui offerant.

XI.

Verſuch vom Daſeyn des Eiſens im Carlsbader Brudelſteine, in einem Sendſchreiben an den Herrn D. GOTTLOB CARL SPRINGSFELD *etc. Dresden* 1763. 8. pl. 1.

h. e.

Epiſtola ad Virum Cl. G. C. SPRINGSFELD data, ſiſtens experimentum, quo probatur, ferrum lapidi ſeu topho fontis feruidioris thermarum Carolinarum ineſſe.

Notum eſt, Cl. HOFFMANNUM et BERGERUM thermis Carolinis ferri materiem adſcripſiſſe, eam vero Cl. SPRINGSFELD per experimenta non reperiiſſe. Vt in dubia hac re, quid certum ſit, definiri poſſit: Cl. SPRINGSFELD huius rei inueſtigationem et aliis viris commendauit. Cum itaque KLINGHAMMERI, medicinae tunc temporis ſtudioſi Lipſienſis, qui Auctor eſt huius epiſtolae, eximiam in arte chemica peritiam haberet cognitam, Auctor ei fuit, vt in hanc rem inquireret. Quid ille igitur per varia et repetita cognouit experimen-

ta, hic exponitur. Praecipuum vero experimentum hoc eſt. KLINGHAMMERUS nimirum tophum iſtarum thermarum in mortario vitreo tenuiſſime comminuit, puluereṁque cum oleo oliuarum in paſtam redactum in crucibulum immiſit. Eum vero ignis gradum excitauit, vt maſſa flammam conciperet, qua excitata, crucibulum ab igne remouit, donec flamma ſponte exſtingueretur. Id aliquoties repetiit, vsque dum nulla flamma appareret. Tandem crucibulum, externe tantum candeſcens, ab igne abſtulit, eoque frigefacto, maſſae in mortario vitreo iterum comminutae magnetem admouit, cuius ope magna copia particularum mouebantur, eidemque adhaerebant. Ferrum itaque ineſſe concludit. Monet autem, nunquam maſſam illam igne fortiori tractandam eſſe: experientia enim edoctus deprehendit, omne phlogiſton iterum conſumi, et meram terram relinqui, a magnete nunquam attrahendam. Tandem etiam aſſerit, aquam thermarum Carolinarum ſubſtantiam martialem continere. Ope enim alcali, in aquis his contenti, ſubſtantiam hanc ſolutam eſſe, ideoque in vaſa minutiſſima delatam, vim roborantem leniorem praeſtare, colligit.

XII.

Della Inoculazione del Vajuolo Trattato di SAVERIO MANETTI, Medico del Collegio Fiorentino. In Firenze, appreſſo Andrea Bonducci 1761. 4. Alph. 1. plag. 11.

h. e.

Tractatus de inoculatione variolarum, Auctore XAVERIO MANETTI.

In libello hoc conſcribendo Cl. Auctor non medicis, de fundamentis artis ſalutaris iam certo perſuaſis, nec iis, qui indocti imperitique ſunt, nec argumentis conuinci poſſunt nec volunt, ſed iis tantum vtilis eſſe voluit, qui de praeſtantia methodi artificialis variolas excitandi argumentis facile explicandis inſtruendi ſunt. Tractatus vero in quatuor ſectiones diuiſus eſt, in quarum *prima* rationes politicae, obſeruationes et tentamina recenſentur, quibus praeſtantia methodi variolas inoculandi declaratur; in *ſecunda* rationes phyſicae et mechanicae, quae inoculationem commendant, adducuntur; in *tertia* varia dubia proponuntur, et obiectionibus eorum, qui inoculationi minus fauent, reſpondetur; in *quarta* demum obſeruationes et monita practica adduntur, quae methodum inoculationis, morbos inde oriundos, praeparationem et ſelectum hominum, ad inſitionem aptorum, concernunt. Nos ex his ſparſim quaedam adducturi ſumus, quae, etiam ſi non prorſus noua ſint, ideam tamen operis ſiſtunt.

In ſectione prima igitur Noſter colligit omnes obſeruationes, quae egregios inoculationis effectus declarant, et ſimul commemorat inſtituta, quae ad hanc medendi methodum vlterius perficiendam faciunt, oſtenditque, medicos, ipſos licet rationales p. 1.

 viſos,

viſos, opinionibus vero praeconceptis occoecatos ſe huic methodo opponere, et imperitos confundere.

p. 41. In ſecunda ſectione adducit et explicat rationes, quibus parentes ad inoculationem in liberis admittendam impellendi ſunt. Scilicet nec vnicum ex tot hominibus, qui inoculationem ſubierunt, ex morbo varioloſo mortuum eſſe; paucos ex aliis morbis ſuperuenientibus periiſſe; inoculationem ſemper excitare variolas benignas, et nullum ex his
p. 49. faciem cicatricibus foedam habuiſſe. Cl. PEVERINI inoculationem ſine vlla praeparatione in puerulo tabido, ſcabie affecto, mammas matris, venerea labe affectae, ſugente inſtituit; purulentam materiam ex puero, confluentibus variolis affecto et inde mortuo, collegit, paucas tamen variolas conſpexit, et aeger breui ſanatus fuit, licet de ſequenti ſtatu huius aegri, et an ex alio morbo obierit, nihil compererit.
p. 61. Porro monet Noſter, inciſionem materiam morboſam, vlcere facto, ita ſubducere, vt, cum in peſte aliisque morbis vlcera artificialia malignam materiam auertant, illud quoque in variolarum inſitione
p. 69. exſpectandum ſit. Prouocat etiam ad inoculationis tentamina in contagioſo boum morbo, et felicem eius ſucceſſum.

p. 81. In tertia ſectione varia dubia mouet, ſcilicet inſitionem religioni eſſe contrariam; variolas inſitas non eſſe veras; homines inoculatione ad varios morbos disponi; immo inſitas interdum confluentes fieri; poſt variolas ſuperatas alios morbos ſequi; et
p. 106. breui reſponſione eadem tollere annititur. Inprimis vero dubium illud remouet, quod amori paterno contrarium ſit, liberos ſanos morbo afficere, et in periculum vitae coniicere, qua in re vtitur omnibus argumentis a Cl. CONDAMINE et aliis propoſitis, quibus oſtenditur, minus periculum eſſe in in-

ſitis,

ſitis, quam naturalibus, et praeterea vrget, multa in medicina et medicamentis admitti, quae veneni vim habent, et in ſe nocent, licet iuſto moderamine adhibito egregios et ſalutares effectus producant.

In ſectione quarta primo de ſelectu eorum, quibus variolae artificiales applicandae ſunt, agit. Infantibus quidem conuenire multis ex rationibus confirmat, v. c. quod lympha abundant et parum rubri ſanguinis habent, quod humores in acidum vergunt, quod ſpiritus nondum concitati ſunt et omnis timor abeſt, quod in ſomnum procliues ſunt et motu non adeo exercentur, quod fibra molli et rara corporis textura inſtructi ſunt, quod calorem internum et bilem acrem non habent. Subiungit tamen et alias rationes, quae contrarium vrgent v. c. quod ad morbos cutaneos procliues ſunt, quod variis fluxibus ventris, et ſaepe dentitionis incommodis excruciantur. Inter ſeptimum itaque et decimum annum aptiſſimum tempus inoculationi ponit, et annorum pubertatis ac prouectioris aetatis incommoda recenſet. Vernale et autumnale tempus huic rei prae reliquis conuenire, et temperamentum ſanguineum optimum eſſe, affirmat; fomitem enim variolosum putat partem denſiſſimam ſiue phlegmaticam lymphae ingredi, cum pallidi et laxa fibra inſtructi praecipue cicatricibus foedi reddantur. Ad inoculationem minus aptos iudicat eos, qui corpora male conformata habent, graciles, in varios morbos, inprimis in dyſenteriam procliues, qui ex acri lympha rubore, aſpritudine et puſtulis in facie afficiuntur, vrget tamen, nec ſcrophuloſos, niſi alia lymphae vitia coniuncta habent, nec feminas iuſto tempore menſtruatas eximendas eſſe. Quae de praeparatione et methodo inſitionis per inciſionem, nec non de ſelectu materiae varioloſae et pro-

p. 144.

p. 160.

p. 171.

 greſſu

p. 225. greſſu morbi proponit, non repetenda ſunt. De venaeſectione vero in progreſſu morbi adminiſtranda vel repetenda monet, eam, vrgente febre, ſumme neceſſariam eſſe, neque ea progreſſum morbi varioloſi impediri. Haemorrhagiam enim narium et fluxum menſtruum, in foeminis minus ordinato tempore accedentes, non vt ſymptomaticas, ſed vere criticas, haemorrhagias conſiderandas eſſe. Cum autem Noſter ſigna varia haemorrhagiae narium futurae exhibuerit, pulſus dicroti mentionem non iniecit, ſed hac occaſione oſtendit, Cl. SOLANO et aliorum obſeruationes, hac in re prolatas, in vniuerſum non valere, pulſum dicrotum potius, praeter haemorrhagiam narium, alias quoque excretiones ſanguineas praecedere.

p. 258. Sub finem quaedam exempla inoculationis variolarum ex voto ſuccedentis proponuntur.

XIII.

Lettera del Sig. Dott. SAVERIO MANETTI, che puo ſervire di Supplemento al ſuo Trattato ſull' inoculazione del vajuolo, diretta al Dottore GIUSEPPE ANGELO CASAGRANDE, Cremoneſe, Medico aſtante in Firenze nel Reg. Sped. S. Maria nuova. In Firenze, appreſſo Andrea Bonducci. 1762. 4. pl. 6½. h. e.

Epiſtola Cl. XAVERII MANETTI, vt ſupplementum libelli de inoculatione variolarum ad Cl. CASAGRANDE.

Hanc quidem epiſtolam Cl. Auctor ad Cl. CASAGRANDE dedit, Cl. IOANNI CALVI, medico Mediolanenſi, dedicauit, et ſimul aliquot inoculationis ex voto peractae, in dedicatoria

ſua

ſua epiſtola adduxit exempla. Ipſa vero Cl. MANETTI epiſtola praecipue de inoculationis tentaminibus, a Cl. NICOLAO BATTINI, medico Lericenſi, ſuſceptis, agit, quae quidem omnia proſpero cum ſucceſſu finita ſunt. Inprimis autem annotari meretur inoculatio, in iuuene octodecim annorum inſtituta, qui, licet puſtulae copioſae in facie oriundae ferme habituales fuerint, et inciſiones etiam viuum excitauerint dolorem, eruptionem tamen et reliquas mutationes variolarum ex voto ſuſtinuit. Cum vero inoculatio in iis familiis, quae ſubſidiis curationis non deſtituuntur, optime perficiatur, in plebe autem defectus ſubſidiorum et negligentia ſalutares effectus peruertere poſſit, optandum eſt, vt noſodochia publica conſtituantur, quo infantes pauperum definitis temporibus in iis ſuſcipiantur, et inoculationis vires accurate experiantur. Hoc quidem Florentiis fit in noſodochio St. Matthaei, in quod quotannis menſe aprili et auguſto viginti infantes vtriusque ſexus ſuſcipiuntur, et artificialibus variolis afficiuntur. Euentum autem in omnibus felicem fuiſſe, nec alium morbum ſuperueniſſe, Noſter confirmat.



XIV.

Dresdniſches Magazin, oder Ausarbeitungen und Nachrichten zum Behuf der Naturlehre, der Arzneykunſt, der Sitten und der ſchönen Wiſſenſchaften. Erſter Band. Dresden, bey Michael Gröll, 1760. 8. *m.* 4. *Kupfert.* Alph. 1. pl. 12. *Zweyter Band.* ibid. 1765. *m.* 5. *Kupfert.* Alph. 1. pl. 9.

i. e.

Promptuarium Dresdenſe, ſiue elaborationes et relationes, ad hiſtoriam naturalem, artem ſalutarem, doctrinam morum et literas humaniores pertinentes. Tomus I et II.

Quamquam prima pars huius diarii iam anno 1759 prodiit, vix tamen poſſumus, quin de eo nunc mentionem faciamus, cum hic liber inprimis ad hiſtoriam naturalem Saxoniae ſpectet, et ex hac doctrina plurima notatu maxime digna lectoribus offerat. Nos autem ex his praecipua tantum eligamus, et ea praeſertim, quae ad nos pertinent. Deſcriptiones animalium, hic occurrentes, vt plurimum e multis ſcriptis compilatae ſunt.

Tom. I. p. 32. Tom. I. Part. I. N. 3. *De natura et medela morbi, anno* 1759 *in Saxonia graſſantis.* Cauſſa proxima erat effuſio bilis corruptae, qua ſanguis putreſcebat. Vomitorium e tartaro emetico, vel ipecacuanha cum lapidibus cancrorum, et decoctum cremoris tartari, optime profuit; in aliis, vt grauidis, hernioſis, cet. rhabarbarum et decoctum cremoris tartari cum pulpa tamarindorum idem praeſtitit; ſi febris maligna non cedebat, electuarium diaſcordii FRACASTORII cum aceto, et interpoſita antiphlogiſtica, maxima cum vtilitate ſunt adhibita.

4) *Re-*

4) *Relatio de arbore petrificata cum eius icone*, cu- p. 39.
ius iam alias mentionem fecimus *).

Part. II. N. 3. *Relatio de monte prope Dresdam* p. 73.
ſito, vbi petrefacta deprehenduntur, Auctore S. Eſt proprie ſummitas collis, a pagulo *Krebs* ad *Zehiſt* per quartam circiter milliarii partem adſcendentis, cuius ſtratum ſuperius eſt humus griſea, arenoſa, fertilis, ſub qua inuenitur ſtratum griſeum, lapideo calcareum. Summitas, ob arenoſo lapideam terram ſterilis, plurimis petrefactis abundat, quorum inprimis haec indicari merentur; 1) *tophus albus, optimus, flauis ſtriis notatus;* 2) *arenarius cinereus, particulis maioribus compoſitus, in quo pectinitae paruae et ammonitae haerent;* 3) *arenarius cinereus, particulis minoribus, cum adſperſis gryphitis;* 4) *arenarius vulgaris, et flauus, et cinereus, cum variis entrochis petrefactis, vel rectis, vel in ramos diuiſis.* Haec petrefacta in ſtratis inueniuntur.

6) *Relatio de maſſa carneo ſanguinea, per vias vri-* p. 108.
nae excreta, anno 1757 *et* 1758. Quinquagenarius, mictu cruento affectus, ſubito per vrethram eiecit fruſtulum carni ſimile, craſſitie digiti et longitudine ſpithamae; poſt aliquot dies rediit mictus cruentus, et paulo poſt rurſus emiſſa eſt portio ſimilis maſſae, eademque excretio intra duodecim dies ter facta eſt, praegreſſo ſemper languore inſigni et animi deliquio. Haec maſſa minime polypoſa erat, ſed potius ex ſanguine tenaci in ipſa veſica vrinaria producta videbatur.

Part. III. N. 5. *Relatio de aſtroitis prope Chemni-* p. 179.
tium reperiundis, Auctore S. Ibi inuenitur 1) *lapis ruber;* 2) *albus*

*) vid. Commentar. noſtror. Vol. I. Part. III. pag. 522.

2) *albus et ruber; 3) niger, maculis albis et rubris, duritie ac politura achatae ſimilis.* Diſſecti et politi in ſuperficie oſtendunt ſtellas albas vel rubicundas, cum 4-8 radiis inſtructas. Quae ſtellae cum ex molliori conſtent maſſa, quam lapis, in quo continentur, ac formam vel cylindricam vel pyramidalem ſiſtant, et cum lapidibus aſtroideo cylindricis conueniant: Cl. Auctor putat, eas eſſe lapides aſtroideo cylindricos petrefactos, et a lapide achatae ſimili incluſos. Qui cum ſint partes pedunculi encrinorum: veroſimile eſt, partes pyramidales, cum lapidibus aſtroideo cylindricis per lapidem achatae ſimilem coniunctas, eas eſſe partes, quas in capitibus encrinorum videmus.

p. 159. Part. IV. N. 1. *Relatio de trochitis et entrochis, in variis Angliae regionibus reperiundis*, Auctore S. Trochitae, aſtroitae, entrochi et aſtroideo cylindri ad vnum genus pertinere videntur, cum trochitae ſibi impoſitae entrochos forment, et aſtroideo cylindri ex aſtroitarum coniunctione oriantur, et figura in vtrisque columnam ſiſtat, in prioribus rotundam, in poſterioribus angulatam. A pedunculo encrini inprimis proficiſci putantur. Vt oſtendat Cl. Auctor, quibus rebus, praeter figuram ipſis propriam, differant entrochi et aſtroideo cylindri, ex ROBERTI PLOTT *Natural Hiſtory of Staffordſhire* eorum mentionem facit, qui in Anglia reperiuntur. Nonnulli eorum partes vegetabilium ſiſtunt, vt ſtelechites, trunco arboris ſimilis; prope *Dudley* reperitur lapis, *Poxſtone* dictus, ligno petrefacto ſimilis; ſtelechites ſtibii facie ALDROVANDI, eiusque variae ſpecies, prope *Beresford* et *Stanſop* reperiundae, ad priores vix pertinent, cum conſtent ex lapidibus annularibus, in vtraque ſuperficie variis radiis notatis. RAYUS hos pro vertebris piſcium habuit. Alii ſunt caui, orifi-

orificio rotundo vel ſtellari. Maiores, radiis notati anguſtioribus, a centro ad peripheriam decurrentibus, trochi dicuntur, quorum ſi plures coniunguntur, entrochi formantur. Ex lamellis componuntur tenuibus, micaceis, quarum ſuperficies acutae ſulcos laterales producunt, ita poſitos, vt cum ſulcis ſequentis trochi angulum faciant. Si franguntur aut teruntur, odorem ingratum ſpargunt. In ſuperficie vtraque duplex eſt ſeries radiorum, prior circa canalem pentagonum medium; altera, ad peripheriam excurrens, a priori diſtinguitur circulo cauo, profundo. In aliis quatuor conſpiciuntur ſeries radiorum; aliorum radios percurrit linea vndulata; quam quidem rem icones adiectae melius declarant. Prope *Beresford* et *Stanſop* inuenitur petrefactum, quod ex craſſis trochis componi videtur, nec medium canalem habet, nec odorem emittit, ſi frangitur aut teritur, et ad IMPERATI *Columnettas* pertinere, a Cl. Auctore exiſtimatur.

6) *De ignauo.* Hoc animal formam et magnitudinem ſimiae habet, pilis denſioribus ac longioribus, dentibus magis acutis et longioribus, ventre maiori, proboſcide, oculis et naſo minori. Aures tantum ex meatu auditorio conſtant, magnitudo capitis eſt deformis, cauda breuiſſima, pedes laeuigati, palmati, tribus digitis longis acutis inſtructi. Rugoſum eſt; iuniorum cutis laeuis eſt, griſeo colore, ſeniorum rubra fit aut fuſca, maximeque piloſa. Non niſi fame ad motum incitatur, atque ſe mouendo ingratum eiulatum profert, quo ipſum ab hoſtibus defenditur; vix intra 8 - 9 minuta ſpatium trium pollicum progreditur. Arbores adſcendit, et fructus ac folia edit, ſaepeque fame perit, ſi arbores nimis diſtant, aut nimis altae ſunt. Inuenitur in America meridionali, et in Guinea Africae. p. 250.

Part.

p. 297. Part. V. N. 2. *Relatio de ſic dictis roſis ſalicum,* Auctore S. Inueniuntur in ſalicibus, ſi incrementum gemmarum interrumpitur, folia lateralia in forma roſae expanduntur, et folia media non iuſtam formam ac magnitudinem attingunt; color earum eſt varius, vt plurimum viridiuſculus. Plerumque initio autumni in ſalicibus regionum humidarum deteguntur, quarum gemmae iam vere mutatae erant. In variis ſalicum ſpeciebus creſcunt, v. c. *in ſalice foliis integris, glabris, ouatis, acutis; in ſalice alba; rubra; caprea; pumila; griſea capillari; in ſalice foliis ouatis, rugoſis, ſubtus tomentoſis, vndatis, ſuperne denticulatis* LINN. *in ſalice foliis rotundo acuminatis* BAUH. *in ſalice latifolia, inferne hirſuta* CHABRAEI. Haec roſa producitur ab inſecto, quod oua in gemmam ſalicis immittit, vnde poſtea vermes prodeunt, qui partes internas gemmae proliferae ſuccis deſtituunt, ibi nidulantur ac formam mutant. Ex eruca, in roſa ſalicum enata, progignitur tandem initio iunii *Tenthredo* ſiue *Cinips ater, thoracis tergo vireſcente, pedibus ſaltatricibus* LINNAEI. Quodſi itaque *Cinips* oua in gemmam ſalicis immittit, praeripiunt quidem erucae hinc genitae ſuccum gemmae ſalicis eiusque incrementum retardant, attamen vix impediunt euolutionem foliorum externorum, tempore vernali peragendam, haec autem ob iſtam reſiſtentiam magis ad latera expanduntur, et folia media, poſtquam eruca, nunc in papilionem mutata, auolauit, minora manent, vt figuram roſae autumno ſiſtant.

p. 382. Part. VI. N. 4. *De mirabili euentu febris malignae.* Quadragenarius febre acuta, cum peſſimis ſymptomatibus coniuncta, laborauit, cui dedit Auctor bis vomitorium, atque decoctum antiphlogiſticum; 5to die accedentes ſpaſmos ac ſingultum clyſmate et veſicatoriis mitigauit, 12moque die venae-

venaeſectio febrem diſſipauit. Paulo poſt aeger per ſex dies exſpuebat multum ſanguinis putridi, e gingiuis prorumpentis, vrina ſanguine putrido inquinata erat, corpus maculis nigris obtectum, pulſus durus, et inſigne corporis frigus ſentiebatur, relicta animi integritate. E vena ſecta effluxit ſanguis ruber, ſero deſtitutus; acceſſit poſtea ſaliuatio pituitae viſcidae, rediit calor naturalis, et poſt vſum acidularum Egranarum perfecta ſanitas.

6) *De formicis albis.* In Aſia et Africa reperiuntur formicae magnitudine mediocri, ventre albo, capite ac thorace rubro vel fuſco. Aceruos conſtruunt rotundos, conicos, peripheria 14 - 15 pedum, et altitudine 8 - 12 pedum, cum ſimplici oſtio, qui exterius gypſo quaſi obducti ſunt, interius e fornicibus et cameris conſtant, quae vel cibis, vel ſordibus replentur, vel habitaculis inſeruiunt. Cum moriantur, ſi diutius radiis ſolis expoſitae ſint: de nocte tantum migrant ſub portico, quem e terra conficiunt tanta celeritate, vt intra 12 horas canalem 8 - 9 vlnarum longitudine exſtruant, quem continuant, ſi murum adſcendunt, ac, ſi forte rumpitur, ſtatim reuertuntur, vt illum denuo reſtituant. Si domum attingunt, per lignum ſibi viam faciunt. Praeterea omnia, praeter lapides et metalla, aut ea, quibus ſal inſpergitur, deuorant, adeoque animalia viua necant, v. c. gallinas, oues, vaccas, glires, cet. Copioſe propagantur, et acceptis alis gregatim auolant, atque ab auibus deuorantur. p. 395.

Part. VII. N. 1. *De nido acanthidis, et peculiari ratione vtriusque auis, qua conſtructus eſt.* Duae acanthes in hypocauſto intra 14 dies menſe martio nidum fecerunt ex pallio, pennis, linteo, filo, muſco, pilis, cet. Femina ab 8 ad 13 apr. quotidie p. 403.

die ouum poſuit, et ex ſex ouis quatuor pulli incubatione excludebantur, qui reliquis duobus ouis, teſtis et excrementis, nutriebantur; medio maio femina rurſus quatuor oua emiſit, hinc duos pullos procreauit, eosque ſimili modo nutriuit; medio iunio femina, ſana alias viſa, ſubito poſt eiulatum mortua eſt; mas, alii feminae adiunctus, ſemper triſtis fuit, et poſt 5 menſes periit. Nidi fabrica ex icone adiecta melius cognoſcitur.

p. 435. 3) *De cancro mammae feliciter curato* a Cl. RUMPELT. Quinquagenaria contuſione ſibi excitauit ſcirrhum mammae ſiniſtrae, nucis iuglandis magnitudine, qui poſt 6 annos, variis minus aptis adhibitis remediis, in dies increuit, vt tandem in cancrum apertus ſit. Adhibuit Cl. Auctor interne decoctum guaiaci cum cort. peruv. ſerum lactis, liquorem anod. miner. HOFFM. et laxantia antiphlogiſtica. Idem liqu. anod. tumori externe applicatus dolores auxit; vſus eſt itaque vt cauſtico, ad vlcus depurandum, ſolutione lapidis medicamentoſi, e vitriolo, alumine et nitro parati, et quidem bono cum ſucceſſu, eiusque vim poſtea cum elixirio acido DIPPELII efficaciorem reddidit, atque in ſinus iniecit aquam vitrioli tepidam. Sic intra quatuor menſes malum diſſipatum, et relicta apertura paulo poſt cicatrice clauſa eſt.

p. 467. Part. VIII. N. 1. *Cogitationes de diſtributione auium, et modis, quibus inter ſe coniunguntur*, Auctore I. G. R. Exiſtimat Auctor, ad aptam auium diſtributionem non ſufficere conſiderationem roſtri ac pedum, ſed ſimul etiam requiri cognitionem rationis vitae et nutrimenti auium, cum alias genera coniungantur, quae ſaepe quoad mores et cibos maxime ſibi contraria ſunt. Ad vtrumque igitur reſpi-

reſpiciens, aues in duodecim claſſes hoc modo diuidit, vt et quoad figuram, et quoad mores ac cibos, inter ſe conueniant. Feles volantes, ſciuri alati, mures alis inſtructi, ope *Caprimulgi* coniunguntur *cum auibus rapacibus, quae noctu eſcam quaerunt*, et *primam claſſem* conſtituunt, ad quam pertinet noctua parua aucuparia; noctua cum auribus plumaceis; vlularum varia genera. *Secunda claſſis* continet *aues rapaces interdiu volantes, quae inſecta, aues, aliaque animalia deuorant*, vt aquilae ſpecies, vultures, vultur Braſilienſis collo nudo, falcones, accipitres, et varias ſpecies auium rapacium minorum, atque vtraque claſſis per *Vlulam diurnam* coniungitur. *Lanius maior cinereus* ad *tertiam claſſem* ducit, *cuius aues quidem rapaces ſunt, pedes autem digitosque graciliores habent, et, praeter carnes, fructus ac ſemina edunt;* huc referuntur pari, picae, monedulae, cornices, corui. Ad *claſſem quartam* viam pandit *Tauraco, qui non ſolum a rapina, ſed a fructibus etiam viuit, eosque peculiari roſtro frangit*, vti omnes pſittaci, hic adnumerandi. *Coccothrauſtes curuiroſtra, crucifera, cuius pedes et vox cum Fringilla conuenit*, eſt auis intermedia claſſis quartae et quintae. Comprehenduntur autem in *claſſe quinta aues, quae grana et ſemina roſtro frangunt*, vt fringillae, linariae, paſſeres Canarienſes, emberizae. Cum hac *claſſis ſexta* cohaeret, ope *Paſſeris emberizae* ſiue *milliariae, qui non ſolum grana roſtro frangit, ſed haec etiam integra deglutit.* Hic locum inueniunt *aues, quae grana et baccas integras deglutiunt*, vt alauda, turdus, merula, turdela, gauia, arquata, tarda, ſtruthio, caſuarius, gallinae, columbae. *Cuculus, qui vermes ſub muſco aut corticibus edit, et grana integra deglutit, ſeptimam claſſem* componit, quae continet *aues, quae vermes et inſecta ex arborum corticibus roſtro petunt*, vt pici genera. *Trochylus, qui inſecta et in arboribus,*

et

et volantia capit, *octauam claſſem* ſeptimae adiungit, quam ſiſtunt *aues, quae quidem inſecta volantia captant, ſed ratione roſtri et pedum a praecedentibus differunt,* v. c. curruca, ſyluia, luſcinia, hirundo, muſcipeta. Nexus cum *nona claſſe* per *Sturnum* fit, *qui inſectis aquaticis viuit*, *et plerumque ad aquas degit*. Huc pertinent *aues, ad aquas commorantes, et inſectis aquaticis*, *cochleis*, *piſcibusque ſe nutrientes*, v. c. iſpida, hiaticula, fulica, haematopus. Quam quidem claſſem cum *decima* combinat *Rallus aquaticus, qui piſces*, *ranas*, *aliaque amphibia quaerit*. Concluduntur in hac claſſe *aues paludoſae, longis cruribus et roſtris praeditae*, *ac ſimili nutrimento viuentes*, vt ardearum genera varia, numenii, ciconiae, grues. Connectit *claſſem vndecimam* cum *decima Flamingo, praeter ranas et amphibia*, *variis ſeminibus ſuſtentatus, et pedibus natatoriis inſtructus.* Ad hanc reducendae ſunt *omnes aues natatoriae.* Cum iisdem arctiſſime coniungitur *claſſis duodecima*, per *Turdum aquaticum, qui pedes natatorios habet, et inſecta aquatica aliaque comedit.* Componitur haec claſſis ex *auibus*, *quarum eſca e vermibus et inſectis deſumitur*, vt ſunt v. c. ſcolopaces, arquata ſtercoraria, cet. *Melliſuga minima* aues cum inſectis coniungit, *cum, vti inſecta, roſtri ope rorem et mel e floribus ſugat.* Conuenit inprimis cum *Phalaenis ſpirilinguibus* LINNAEI.

Vol. II. p. 68. Vol. II. Part. II, N. I. *De regni mineralis praecipuis diuitiis, eiusque rebus raro occurrentibus, in Saxonia copioſe reperiundis,* diſſerit Cl. SCHULZIUS. Indicantur loca, vbi apud nos e fluuiis educitur aurum, vel effodiuntur minerae argenti, cupri, ſtanni, plumbi, ferri, aut vbi inuenitur magnes, ſmiris, cinnabaris, cobaltum, ſulphur, arſenicum, pſeudogalena, corneus cryſtalliſatus, minera antimonii colorata, lithanthraces, caeſpes bituminoſus, ſuccinum,

num, ſalinae, vitriolum, aqua cupro impraegnata, minerae ac terrae aluminoſae; praeterea lapides pretioſi, v. c. topaſius, beryllus, rubinus, chryſolithus, granatus, amethyſtus, ſilex pellucidus; lapis alabondicus, *Almandinſtein* dictus, qui prope *Lengefeld* reperitur, inprimis notari meretur, cum vix extra Saxoniam reperiatur; ob colorem a Cl. Auctore ad hyacinthos, ab aliis ad granatos, refertur. Porro abundat Saxonia opalis, achatis variis, iaſpidibus, marmore ſerpentino, variis marmoribus, alabaſtris, ardeſiis, lapidibus calcareis, cotibus, in quibus *cos aquam transmittens*, non diu detectus, inprimis indicandus eſt. Plurima etiam in Saxonia exiſtunt petrefacta, plurimae terrae, argillarum ſpecies variae, ſmectides, lithomargae, ochrae, terrae tinctoriae, terra miraculoſa RICHTERI. Nec minus in Saxonia fontes medicati ſunt, vt Radebergenſis, Wolkenſteinienſis, Gieshüblenſis, Lauchſtadienſis, cet.

7) *Relatio de auro et mineris aureis in Saxonia, inprimis prope* Reichmansdorf, *ditionis Salfeldenſis, detectis;* Auctore S. p. 118.

Part. III. N. 3. *Epiſtola ad amicum, in qua* Cl. WOODWARD et Cl. MORO *ſententiae, de terrae mutationibus, disquiruntur.* Originem petrefactorum, quam vtrumque non ſatis explicaſſe, Auctor arbitratur, ita demonſtrare tentat. Fluuii, ad mare accedentes, craſſiores partes, quas ſecum rapiunt, ad littora deponunt, ſubtiliores diu in mare agitantur, donec in forma luti aut glutinis praecipitantur, et conchylia, aliaque in fundo maris haerentia, tegunt ſenſimque plane inuoluunt. Quibus miſcentur plurimae partes praecipitatae ſalium, bituminum, petrolei et acidorum, quae ſoluta in aqua marina continentur. Sic in dies ſtrata augentur, p. 159.

 indu-

indureſcunt et lapideſcunt. Adiecta icon eſt tabula octaua Cl. MORO, paululum mutata, qua, contra Cl. MORO ſententiam, oſtenditur, mare non in dies magis increſcere, etiamſi et inſulas proferat, et regiones ſubmergat, ſed potius ſemper in eadem proportione cum terra retineri.

p. 186. 4) *De Hippopotamo.* Hoc animal eſt amphibium, magnitudinem bouis multum ſuperat, cui inprimis ſimile eſt, ſed cornubus caret, cauda, in extrema parte depilata, cum cauda ſuis conuenit; 1200-1500 libras pondere aequat; corpus obtegitur pilis breuibus, craſſis, fuſcis, in ſenectute griſeis. Caput eſt magnum, latum, ſuperius planum, labiis oris rotundis, magnis, naſo magno, naribus ſurſum patentibus. Praeter dentes molares habet quatuor dentes caninos, vt aper, 7-8 pollicum longitudine, et peripheria radicis quinque pollices aequat; inferiores maiores ſunt, magisque incuruati ſuperioribus; duriores albidioresque eburno; aures paruae; auditus et viſus acutus; oculi magni. More equorum hinnit, ac dentibus pedibusque ſe defendit. Crura ſunt breuia, craſſa, pedes magni, digitis quatuor inſtructi, anterioribus maioribus, poſterioribus minoribus. Celerrime currit; cutis duriſſima ad ventrem et inguina mollior eſt. Ope ignis fugatur. Piſces, gramina, oryza, mays, radices, ſunt eius nutrimenta. Quatuor foetus ſimul parit, et maxime foecundum eſt. Cutem rupi atterendo, ſibi venam ſecat; eleuato capite natat, et aquam e naribus protrudit.

p. 195. Part. IV. N. I. *Explicatio petrefacti cuiusdam ignoti.* Id inhaeret ardeſiae cupri nigrae, cum luto nigrogriſeo arenoſo mixtae, et conſtat ex corpore compacto ſquamoſo, ad dimidiam pollicis lapidem

ſuper-

ſupereminente. Circa hoc petrefactum eſt ſulcus, granulis nigris ſplendentibus obſitus, ibique ſtructura ardeſiae lamellata ita mutata conſpicitur, vt chelae cancri ſimilis eſſe videatur. Quod quidem petrefactum cancro petrificato non diſſimile eſt, attamen Auctor id magis pro fructu quodam habet.

3) *Relatio de oſſibus et cornubus, magnitudine* p. 219.
enormi, hinc illinc, inprimis in Saxonia, e terra effoſſis, a Cl. SCHULZE. Dicuntur oſſa gigantum, quae inueniebantur prope Hildeſiam, Canſtadiam, in ſpelunca *Baumans Hoele* dicta, et prope Quedlinburgum, Bononiae, prope *Mewe* ad Viſtulam, prope *Glüksbrunn* in fodinis cupreis. Inprimis autem in Saxonia prope *Burgtonna* in Ducatu Gothae anno 1695 ſceleton integrum inueniebatur, quod ſceleto elephanti ſimillimum erat. Locus, vbi effodiebatur, ex quinque conſtabat ſtratis terrarum, quorum 1) erat humus nigra, 2 vlnarum altitudine, 2) arena griſea, $1\frac{1}{2}$ vln. 3) argilla ſabuloſa, 3 vln. 4) arena griſea, 3 vln. 5) arena alba, ſubtilis, $1\frac{1}{2}$ vln. in qua haec oſſa latebant. Praeterea ſaepe effoſſa ſunt cornua magna rhinocerotis, naruali, aliorumque animalium, v. c. in Calabria, Anglia, Thuringia, Heluetia, Sueuia. Nec minus in variis Saxoniae locis eiusmodi cornua reperiebantur. Etenim prope *Burgtonna* in lapicidina detegebatur magnum cornu laeue, vnius vlnae longitudine. Prope Altenburgum ad pagum *Paditz*, anno 1704 ſimile cornu ex arena effoſſum eſt, cuius longitudo 3 vlnas aequauit, peripheria maior pedem vnum; ex lamellis albis, maculis nigris refertis, compoſitum erat. Locus, vbi haerebat, conſtabat 1) ex humo lutoſa $1\frac{1}{2}$ - 4 ped. 2) ex arena maiori $\frac{1}{2}$ ped. vbi latuit hoc cornu, et 3) ex argilla margacea $\frac{1}{2}$ ped. Simile cornu prope

Miſniam ex humo lutoſa eductum eſt, et plurima oſſa permagna prope *Schieritz*.

p. 234. 5) *Relatio de migratione ſalmonum in Albi*, a Cl. SCHULZE. Salmo pertinet ad piſces marinos, qui, dum oua emittunt, e mari ſe conferunt, et aquam dulcem quaerunt. Initio veris in Albi deprehenditur, et ſub finem maii ex Albi in fluuium, *Mulda* dictum, transgreditur, tandem ex hoc ad fluuium *Wottawam* peruenit, et ibi menſe iunio, inprimis prope *Piſeck*, *Strakonitz*, cet. oua parit prope ripas, vbi flumen vadoſum eſt et ſabuloſum, vt ſolis calore citius excludantur. Hic incrementum piſciculorum exſpectat, et cum illis ad finem aeſtatis in Albim reuertitur. Praecipue mirandum eſt, ſalmones, dum flumina adſcendunt, ſuper maximas cataractas, ſex vel ſeptem vlnarum altitudine, transilire.

p. 245. 7) *Cogitationes de emendandis agris ope concrematarum ſtipularum*, auctore S. Lithuani incendunt ſtipulas eo loco, vbi ventus flammam per totum agrum diſtribuit, et poſt pluuiarum acceſſum terram aratro tractant, ſeminaque illi immittunt, et ex his cineribus maximam fertilitatem agris conciliant. Hoc enim modo cineres aequaliter diſperguntur, et ſal, pluuia ſolutum, aequali modo terram penetrat, praetereaque oua inſectorum plane deſtruuntur, vt et radices ac ſemina inutilium herbarum ſimul pereunt, quapropter frumenti grana maiora fiunt. Simili modo in Lithuania ſteriles terrae, muſcis, calamo et fruticibus obtectae, breui tempore in fertiles mutantur, cum per duos vel tres annos vrantur, ac poſtea colantur. Sic etiam apud nos eadem agrorum tractatio eadem commoda afferret.

Part.

Part. V. N. 1. *Relatio de ſitu vrbis Chemnitii, et foſſilibus ibi deprehendendis*, Auctore Cl. SCHULZE. p. 259. Chemnitium ſitum eſt in planitie amoena, vbique collibus ac montibus circumdata, et nonnullis riuulis irrorata. Humus eſt partim lutoſa, partim margacea, cum fragmentis venarum quarzoſis et granitiformibus. Hic inueniuntur lithoxyla, zoophyta et corallia, quae petrefacta duplicis ſunt generis, cum partim aliis petrefactis ſimilia ſint, partim propter peculiarem indolem differant. Priora, diuerſi coloris, duritie cum achate conueniunt, et fiſſurae lithoxylorum non raro repletae ſunt cryſtallis, onyche et amethyſto. Poſteriora conſtare videntur e tubulis variis, iuxta ſe poſitis, calcedonio, carneolo, onyche, achate plenis; in plurimis tubuli caui ſunt. A varietate tubulorum atque coloris diuerſa acquirunt nomina, et dicuntur *lapides ſturniformes*, (*Staarſteine*), ſi maculae rotundae ſunt, albae, aut variegatae; *lapides oculis ſignati*, (*Augenſteine*), ſi maculae ouales ſunt; *lapides vermes referentes*, (*Wurmſteine*), ſi tubulorum partes laterales rotundae conſpiciuntur. Corallia petrefacta plerumque adhaerent ſuperficiei lapidum, qui partes zoophytorum aut ſtellarum marinarum continent, et reteporis ſimilia ſunt. Ibi reperitur cos, vel ex arena tenera, micacea, vario colore, vel ex arena craſſiori quarzoſa; prope *Altchemnitz* multae ſpecies ardeſiae conſpiciuntur; ad *Niederhermsdorf* et *Drasdorf* lapis calcareus albus ac dendritae; ad *Auerswalda* lapis calcareus niger, ad agrorum fertilitatem parandam aptus. In ditione Chemnicenſi porro reperiuntur variae ſpecies iaſpidis, quae, vt fragmenta metallica, hinc illinc in agris diſperſae ſunt, plurimae ſpecies achatarum, chalcedoniorum, et carniolorum, granatorum, chryſolithorum, topaſiorum. Prope *Gablenz* et *Hartha* lithanthraces ſunt.

Additur tandem index petrefactorum ac lapidum, qui in regione Chemnicenſi reperiuntur, quorum nonnulli in icone adiecta delineati ſunt.

p. 284. 3) *De tutiſſima et facillima methodo refocillandi aqua ſubmerſos;* Auctore R. Hic requiritur, 1) vt calor naturalis reſtituatur et circulus ſanguinis; 2) vt pulmones ac cerebrum a ſanguine nimio liberentur; 3) vt aqua deglutita e bronchiis euacuetur. Primum adiuuatur, ſi ſubmerſus inuoluitur membranis animalium recenter mactatorum, inprimis veruecum, vel obtegitur cineribus calidis, vel arena calefacta, aut ſale calido, vel ſternutatione alcalinis volatilibus excitata, aut clyſmate herbae nicotianae et frictione. Secundum peragitur ſectione venae iugularis, ſternutatione, analepticis, vt infuſo Chamomillae, clyſmatibus calefacientibus. Tertium attingitur titillatione faucium, ope plumulae, vomitoriis, et iis, quae tuſſim excitant.

p. 323. Part. VI. N. 1. *Relatio de magneſia alba, in Anglia inuenta*, a Cl. WEINLIG.

p. 353. 6) *Relatio de cura paralyſeos, apoplexiam ſecutae, ope electricitatis peracta;* Auctore Cl. SCHULZE. Vir, 52 annorum, in toto latere ſiniſtro poſt apoplexiam paralyticus factus eſt, ſublata omni fere ſenſatione, et poſt octiduum obmutuit, ſine vlla febre. Varia quidem remedia aegrum intra ſex menſes ex parte ſanitati reſtituerant, brachium tamen affectum in dies magis emarcuit, et pluribus poſtea fruſtra tentatis remediis, tandem Cl. Auctor per quatuor hebdomadas quotidie manui ac pedi aegroto applicauit vires electricas, tam proſpero cum ſucceſſu, vt poſtremo ſenſus et motus muſcularis in brachio et pede affecto redirent vna cum robore, et tandem

poſt

poſt vſum aquarum Toeplizenſium perfecta ſanitas recuperaretur.

Part. VII. N. 2. *Relatio de vlula exotica prope* Dahlen *ſclopeto necata.* Color pennarum eſt albus, cum fimbria fuſca et circulo iridis flauo. Longitudo alae non expanſae eſt 19 poll. thoracis latitudo 7 poll. vngulae ſunt 1 ½ poll. latae, acutae, nigrae. Adiicitur eius figura in icone, quae rem magis illuſtrat. Secundum KLEINIUM dicitur *Vlula alba Islandica*, a LINNAEO *Strix capite laeui, corpore albido*, a RUDBECKIO *Noctua ſcandiana maxima, ex albo et cinereo variegata.* p. 394.

5) *Relatio de lapidibus violaceis, in Saxonia prope* Altenberg *reperiundis*, a Cl. SCHULZE. Hi lapides, odore violarum praediti, duplicis generis ſunt; alii ex partibus cinereis, granuloſis maioribus, cum mica mixtis; alii ex quarzo, e granulis minoribus compoſito, et ferrum continente, conſtant. Odor a muſco, ſuperficiei horum lapidum adhaerente, proficiſcitur, cum euaneſcat, ſi muſcus abſtergitur. Cl. BRUCKMANN tribuit hunc odorem licheni cuidam, qui initio ſuperius colorem fructuum aurantiorum, inferius nigrum oſtendit, poſtea flaueſcit, tandem albeſcit, et ſub forma ſquamarum a lapide ſecedit. Dicitur a LINNAEO *Lichen leproſus, flaueſcens, lineolis nigris, mappam referens*, a DILLENIO *Lichen nigro flauus, tabulae geographicae inſtar pictus.* Cl. Auctor vero, cum in hoc lichene, caute ab his lapidibus ſeparato, nullum detexerit odorem violarum, putat potius, hunc muſcum, qui producit odorem horum lapidum, eſſe *Byſſum, colore griſeoviridi*, quae hinc illinc illis lapidibus adhaeret, et oculo nudo vt terra tenera virideſcens apparet, ſub microſcopio autem fungoſum contextum, e ſpiculis pro- p. 429.

minentibus ortum, ſiſtit, atque *Byſſus puluerulenta, ſubuiridis, odorem violae ſpirans,* dici poteſt. Si lapides illi aqua humectantur vel calefiunt, odor violaceus augetur. In iisdem lapidibus porro inuenitur alia byſſi puluerulentae ſpecies, colore ſubrubro vel purpureo, odore violaceo debiliori, quam LINNAEUS appellat *Byſſum puluerulentam, ſanguineam, ſaxis innaſcentem*; ſed anceps eſt Cl. Auctor, vtrum haec ſit noua ſpecies, an color ſubuiridis Byſſi tandem in ſubrubrum mutetur?

p. 436. 6) *Relatio de noxa cicutae aquaticae*, a Cl. SCHULZE. Ab eius enim eſu quatuor pueri quarta hora moriebantur, maximis doloribus et conuulſionibus excruciati; in alio ſanguis e naribus, ore, auribus et oculis emanabat; alius altero die epilepticus periit; reliquorum ſanitas diu inconſtans fuit.

p. 458. Part. VIII. N. 2. *Collectanea ad hiſtoriam naturalem Saxoniae*, a Cl. SCHULZE. 1) Hic deſcribuntur duae ſpecies inſecti nondum cogniti, quod, ob deficientem apicem elaſticum thoracis eiusque vaginam, ab Elateribus differt, atque ob nodoſas et articulatas antennas a Cerambycibus diſtinguitur, cui Cl. Auctor nomen impoſuit *Serratulae totius nigrae* et *Serratulae capite nigro, thorace ſanguineo, elytris miniatis.*

2) Idem vernali tempore in riuulo prope Dresdam inuenit globos materiei glutinoſae, qui, in vitro cylindrico aqua pleno ſeruati, ſe vndique expandebant, et ex filis exiguis in centro coniunctis conſtabant; ſenſimque magis increſcebant, poſt quatuor autem hebdomadas ſe contrahebant, et mucum griſeum cum aliqua terra mixtum in fundo vitri ſiſtebant. Cl. Auctor hos appellat *Conferuas gelatinoſas, filis ſimplicibus ex centro communi prodeuntibus,*

tibus, cum conueniant cum *Conferua filis ramoſis moniliformibus, articulis globoſis, gelatinoſis* LINNAEI, et cum *Conferua Alpina lubrica, filamentis nodoſis coeruleis* DILLENII.

3) In fodinis lithanthracum Dresdenſium reperitur Byſſus, trabibus increſcens, laciniis, vlnam dimidiam longitudine ſuperantibus, dependens, colore albo, fabrica tenerrima. Similis eſt *Byſſo filamentoſae, capillaceae, perenni, cinereae,* LINN. et, vt eius ſpecies vel varietas, dici poteſt *Byſſus filamentoſa, candida, perennis.*

4) In fodina metallica, *alte Hofnung Gottes* dicta, et in pago *Groſsvoigtsberg*, prope *Noſſen* ſita, inuenitur minera in vena ſabuloſa, quarzoſa, ferrea, cum pyrite ſulphureo granuloſo mixta, haerens, pici fuſcae, purae, ſimilis, minime ſplendens, et in paruis tantum fruſtulis, vt ſuccinum, pellucida; facile teritur in puluerem flauum, aqua non mutatur, igne difficile liqueſcit, aliquot drachmas argenti continet, et ad *Pſeudogalenam* pertinere videtur.

5) Minerae plumbi virides et nigrae nunc effodiuntur ad *Schwarzenberg* et *Tzſchopauiam* in fodina *S. Trinitatis.* Vena mixta eſt cum ſpato albo, lamellato, rarius cum quarzo, rariſſime cum corneo. Minera plumbi viridis, cuius color eſt vel clarior, vel obſcurior, concretiones cryſtallinas (*Druſen*), cryſtallos, aut pyramidas format. Minera plumbi alba et pellucida aut in venis metallicis, centrum telluris quaſi petentibus, (*Drumweiſe*), aut in forma lamellarum offenditur. Minera plumbi nigra vt puluis niger, vel compactior, vel ſub forma plumbaginis, apparet. Minera plumbi fuſca, praeter colorem fuſcum, cum minera plumbi viridi conuenit, quacum plerumque ochra martis inuenitur, cui color viridis et fuſcus tribuendus eſſe videtur. Minera plumbi alba eſt proprie ſaccharum ſaturni, e terra

 elemen-

elementari enatum, cui ſi accedit ochra martis in maiori vel minori copia, paratur color vel flauus, vel viridis, vel fuſcus. Praeterea reperitur in fodina *S. Trinitatis* 1) *galena teſſulis maioribus, compacta;* 2) *pyrites ſulphureus*; 3) *minera cupri ſubflaua;* 4) *aerugo natiua.*

6) Petrefacta in ſilicibus reperta demonſtrant, ſilicem antea mollem fuiſſe, vel ex indurato glutine marino ortum eſſe, inprimis cum ope ſpiritus vitrioli in gelatinam ſoluatur; praeterea non niſi ea in his incluſa ſunt, quae in fundo maris deprehenduntur. Additur index locorum Saxoniae, vbi ſilices, variis petrefactis, vt madreporis, coralliis, conchyliis, echinis, cet. repleti inueniuntur.

p. 487. 5) *Relatio de nonnullis ſpeciebus polyporum, in aquis Dresdenſibus occurrentium*, a Cl. SCHULZE. Detexit enim duas ſpecies polypi nondum deſcripti, *Polypum paruum, album, cum brachiis breuibus*, et *Pſeudopolypum ſolitarium, album, erucaeformem, cum labiis oris inermibus.*

p. 499. 6) *De aranea ſaliente.* Eſt *aranea ſaliens nigra, lineis albis, transuerſis, ſemicircularibus* LINNAEI, quae habitat in fiſſuris murorum, vel ſub tegulis tectorum ſoli expoſitorum; duas lineas longa eſt, pedibus breuibus, craſſis, abdomine piloſa, oculis octo, in ſuperiori parte ſemicirculari thoracis ſitis, quorum duo maiores ſunt reliquis.

(o)

XV.

D. IOHANN GEORG ZIMMERMANN, *Mitglied der Königl. Preuſſiſchen und Churbayeriſchen Academien der Wiſſenſchaften in Berlin und München, der Academien in Palermo und Peſaro, der naturforſchenden Geſellſchaften in Zürich und Baſel, der oeconomiſchen Geſellſchaft in Bern und Stadtphyſicus in Brugg, von der Erfahrung in der Arzneykunſt. I. Theil. Zürich bey Heidegger.* 1763. 8. 1 *Alph.* 8 *Bog. II. Theil Zürich* 1764. 1 *Alph.* 18 *Bogen.*

Id eſt:

Tractatus de experientia medica. P. I. II. Auctore D. IO. GEORG ZIMMERMANN.

Vbique fere multorum animis inſidet opinio, eos ſane medicos, qui diu pluribusque in curandis morbis opem tulerint, experientia inſtructos aliisque praeferendos eſſe, immo haud pauci quoque medicorum ſunt, qui, quod per aliquam iam annorum ſeriem in viſendis aegris praeſcribendisque remediis ſuum tranſigerunt tempus, ſingularem crepare experientiam ſolent. Verum, quoniam et ipſi arti medicae et generi humano damnoſa exiſtit haec opinio, gratias decernimus Cl. ZIMMERMANNO, quod, etſi vulgo eripere ſuum errorem impoſſibile eſt, voluerit tamen, medicis ita ſentientibus, docendo, quid vera ſit experientia medica, eundem euellere. Optandum tantum eſt, vt tales attente perlegentes elegantem libellum, ſe ipſos perquirant ſuasque metiantur vires, et firmam veramque cum ſano iudicio experientiam acquirere nitantur. Duas demum,

demum, quas etiam ſimul proponimus, partes edidit Cl. Auctor, tertiam adhuc exſpectamus.

Pars autem prima iterum in tres diſtinctos ſubdiuiditur libros, quorum primus experientiae naturam, alter eruditionis verae, ad genuinam experientiam conſequendam, neceſſitatem, tertius obſeruandi methodum et ſigna morborum certa colligendi modum tradit. Pergit deinde in altera parte, quae librum complectitur totius tractationis quartum, ad contemplandam ingenii (*genie*) aptitudinem, qua potiſſimum in cauſſis morborum indagandis occupatur medicus, atque de hiſce cauſſis egregie exponit Noſter. In omni vero tractatione apparatum propriae ſcientiae et ſtudioſae attentionis prodit, nec non dictione vtitur accurata, quae non nunquam graphice res depingit. Nos vero ex his primaria tantum, lectionem ipſius libri commendantes, momenta adducemus.

P. I. p. 6. Ea potiſſimum Cl. Auctoris intentio eſt, vt fundamenta doceat, quorum cognitio et applicatio ab experientia petitur. Hinc experientia nata per ſenſus ex contemplatione rei iterata, quippe inſufficienti fulta obſeruatione, falſa, et exercitium in medicina, huic ſuperſtructum, coecum eſt. Dum autem per variarum ſcientiarum exemplum hoc
p. 24. probat Noſter, tandem ad medicinam reuertitur, cuius quippe ſtudioſior perueſtigatio plerumque negligitur, vulgaris ſic dicta experientia praefertur, quod facilis illa eſt acquiſitu, ab imperitis etiam medicis laudatur, a ſapientioribus vero damnatur. Multa tamen infert talis opinio hominum pericula toti generi humano, tyrones a ſtudiis arcet, medicinae incrementa ſupprimit, ignorantiae audaciaeque foras pandit, multorumque vitiorum foecunda fit mater, vtut famoſos ſaepe reddat illos, qui falſae ſuae experientiae praecones exiſtunt, medicos.

Opus enim eſt ad veram capiendam experientiam p. 63.
eruditione, quae in vulgus condemnitur vehementer, cuius tamen varia praeiudicia, v. c. lectione aliorum librorum nihil proficere poſſe medicum, et illum climati tantum ſeſe accommodare debere, argumentis egregie diſcutit, nec non eruditionis in facienda medicina commoda inde ſtabilit, ſimulque, p. 91.
quantum lectio librorum ad cognitionem veram conferat, per exempla comprobat. Quippe qua non memoria tantum rerum, ſed intellectus potiſſimum acui debet, quam quidem ſcientiae genuinae notam eſſe docet, et ex monumentis hiſtoricis illuſtrat. Quum itaque aliorum ſcriptorum lectio nos p. 130.
ipſos auctorum experientiae participes reddat, ex eo eruditionis in veram experientiam patet influxus, qui obſeruatione ſuffulcitur, Noſter vocat *Beobachtunsgeiſt*. Requiritur autem idonea res rite p. 137.
contemplandi aptitudo, quae ad phaenomena ſeu cauſſarum effectus et earum ſigna reſpicit: ſenſus nimirum et iudicium ſimul adhibentor, philoſophica itaque indiget contemplatione, quae certe in vulgaribus ſic dictis medicis practicis non exiſtit; obſeruatio etiam, ſi minus recte adhibetur, diſſenſus cauſſa eſt, ex quo alii doctrinarum medicarum incertitudinem, ſed falſo, deriuant. Impeditur ta- p. 178.
men haec obſeruandi facultas per praeiudicia, animi affectus, adſumtas ſententias, ſuperſtitionem, falſa de morbis iudicia, contradictiones incongruas et medicamentorum propoſitorum farraginem. Ni- p. 203.
hilo minus bonae obſeruationes neceſſariae ſunt atque perutiles, ſi eae ſcilicet attente, lente et prudenter, iteratis vicibus, in omnibus morbis, ſine vlteriori rationum ſcrutinio inſtituantur, clare et diſtincte deſcribantur, ſiue ad ſingularem quendam morbum ſpectent, ſiue communes morborum notas contineant, qua in re SYDENHAMI et FREINDII ſententias p. 220.
conci-

conciliare nititur, quorum hic vniuerſales, ille par-
ticulares morborum hiſtorias praeferebat. Suadet
autem Noſter, vt medicus ſingula, in morbo quo-
cunque obuenientia, phaenomena rite adnotet, quo
iudicium firmum acquirat, ſiquidem exinde non
raro euenire poſſet, vt praeteruiſa vel noua perſpi
p. 235. ciat. Primo ergo loco ſciſcitatur intellectus ſym-
ptomata morborum, praecipue, quae ad morbi eſ-
ſentiam pertinent, horum omnium Cl. Auctor pa-
thologicam explicationem concinne ſubiungit. Ab
p. 244. his ad morbi ideam fertur medicus, rationis ſubſi-
diis, genus ſpeciemque definiens et denominans.
p. 254. Conuenimus cum Cl. Auctore, in denominandis
morbis non nunquam vagos eſſe medicos, ſi defini-
tiones ex hypotheſi nec ex phaenomenis deſumunt,
p. 265. exemplo inflammationis oculi vtente. Optima morbi
cognitio ex ſignis habetur, quae per omnem morbi
decurſum, etiam in inſtanti criſi colligi debent, nec
tamen hic ſufficit vnum ſignum, ſed plura. Interim
p. 290. non deſunt caſus, vbi mali latentis ſigna deſunt,
quorum aliquos Cl. Auctor adducit, vt illum L. B.
A WASSENAAR, et marchionis GUIDONIS A St.
AUBAN, quorum prior ruptura oeſophagi, alter
ſteatomate, in pectore nato, obierat, deſcribente id
BOERHAAVIO. In ſignis ſigillatim perquirendis
porro verſatur Noſter, pulſum, reſpirationem, vri-
nam, totiusque ſuperficiei corporis contemplatio-
nem ad obſeruandum proponens, in quibus ea,
quae notatu digna ſunt, et ad ſanum iudicium re-
p. 344. quiruntur, ſollicite percurrit. Pulſuum numerum
ad menſuram horologii definit, quod minuta ſecun-
p. 352. da indicat, variaque ſtadia morborum ex numero
determinari poſſe probat: intermittens in morbis,
pectus adficientibus, pulſus diarrhoeam non ſignifi-
cat ſemper, nec dicrotus haemorrhagiam narium,
aut deliquium animi vel proximam mortem. Inae-
qualitas

qualitas pulſus ratione celeritatis in vno eodemque p. 356.
aegroto ſeſe obtulit Noſtro, vt in vno latere intra minutum primum quinquaginta quinque, in altero e contrario nonaginta pulſus obſeruarentur. Solum tamen hoc ſignum nunquam ſufficit, reſpirationis diſcrimina, hic recenſita, itidem multa docent, tarda et minima cum vita minima eſt, ex qua tamen reſuſcitari nonnunquam poſſunt homines, adfirmante tentamine ab ipſo Cl. Auctore ſuſcepto. Signa ex p. 369.
lotio his poſtponenda cenſentur, licet varia ex illo dignoſcuntur; coeruleam vidit vrinam IANUS p. 383.
PLANCUS, ſed dubia videtur obſeruatio eſſe; alba pallida, in criſi morborum obuenit Noſtro, gelatinoſa craſſa, in arthritide a BAGLIVIO adnotata fuit, ſimiliter in morbo eodem Noſter per veſicatorium gelatinam extractam reperit cum ſanitatis reſtitutione. Alia ſigna ex corpore deſumuntur, quae cum pari ac reliqua induſtria hic deſcribuntur, exſcreatio craſſa in inflammatione pectoris ab initio p. 407.
ſalutaris eſt, in primis, ſi vapore aceti promouetur, inflammationem autem ab initio diſcutit camphorae vſus. Temperamenta etiam diſcrepantiam faciunt, p. 444.
quo nomine Cl. Auctor eam corporis conditionem intelligit, qua homo ſentit, cogitat et agit, in morbis autem, quatenus morbos ſentit et diiudicat, ex quo non ſolum ipſorum morborum effectus differunt, ſed animus etiam patitur, qui pariter varia offert iudicia, praecipue, ſi vires eius ante mortem quaſi exſurgunt. Quamuis autem magna ſignorum copia eſt, omnia tamen rite penſitanda ſunt, vt hiſtoria morbi, verae experientiae fundamentum, conſtet.

Non minus abſolute neceſſaria eſt aetiologia P. II.
morborum, tanquam medicationis baſis, hanc autem doctrinam altera parte nunc perpendit Noſter. Ex diuerſis autem conditionibus communes perſpi-

cere

p. 4. cere notas, res ingenii eſt, quod imaginationem et intellectum, quantum fieri poteſt, perfectum ſupponit, quum vero vtriusque huius requiſiti ſint gradus, eum a medici ingenio poſtulat gradum, vbi imaginatio et intellectus ſibi pares ſunt. Hoc ingenio ad experientiam veram opus habet medicus,
p. 23. nec anni illud faciunt, ſed ingenitum quaſi eſt: hoc etiam iuuante per analogiam, variorumque euentuum comparationem, ad veri ſpeciem ipſamque veritatem appropinquat medicus, id, quod adductis ex inoculatione variorum morborum cet. exemplis
p. 44. Noſter confirmat. Sic mercurialis emplaſtri vſum variolas a facie auertere analogia feliciter iuſſit, ex qua verum diiudicare docet *inductio*, alter noſtrae
p. 49. cognitionis fons. Effectuum porro obſeruatio recta ad cauſſas ducit, quae difficulter inueniuntur: hinc omnino peritum prudentemque virum expoſtulant, nec a plebe dignoſcuntur, nec diiudicantur, praeconceptae eius opiniones variae adducuntur, diluuntur, licet in his haud raro etiam a medicis ad experientiam, ſed falſo, prouocetur. In cauſſis namque ſimplicium et compoſitarum notione opus eſt, quas expiſcari debet medicus ex aegroto, nec non diſcernere vim et magnitudinem cauſſae atque effectus, ſiquidem, quod cauſſa eſt, alibi effectus exiſtit. Iterum in his differentia eſt, quum aliae cauſſae remotiores ſint, aliae propinquiores et proximae morbi: ab illis ad harum cognitionem venit medicus, quae autem agenda ipſi ſint, vbertim explicat Noſter, rerum ſic dictarum non naturalium indolem copioſe indagans, ſimulque, vt ſolet, exempla vbique inſpergens, cauſſae efficaciam docturus. Ab aeris disquiſitione ad cibos, potuum genera, motum et quietem, ſomnum et vigilias, excreta et retenta, tandemque animi adfectus pergit, quibus noxas a nimia animi intentione, nec

non

non aliis conditionibus, a ſingulari corporis diſpo-
ſitione adiungit, et vires tandem corporis humani
reſiſtentes harum cauſſarum virtuti perpendit. Aeris
incluſi nec renouati perniciosam indolem celeri- p. 181.
terque necantem, ſingulari, notatuque digniſſimo
exemplo confirmat Cl. Auctor, vbi centum et qua-
draginta ſex homines, vni carceri incluſi, vna nocte
ad viginti tres perierunt. Inter cibos ſecale cornu-
tum admodum noxium eſt, quod conuulſiones et
gangraenam excitat, cuius morbi hiſtoriam Noſter p. 244.
recenſet; dyſenteriam ab vſu horaeorum fructuum p. 256.
non excitari, contra vulgarem probat ſententiam.
Pultes farinaceas infantum, tanquam praecipuam p. 264.
rhachitidis cauſſam, accuſat, atque gelatinas ex car-
nibus, debili ventriculo admodum noxias, pronun-
ciat. Cupreorum vaſorum in arte coquinaria noxam, p. 284.
ELLERI tentaminibus commotus, adeo late patere
negat, dum modo, quae cuprum ſoluendi poten-
tiam habent, non adhibeantur. Calida potuum ge- p. 326.
nera recte inſidioſa eſſe, et potus Thee noxas
variis morbis, in primis feminarum fluori albo be- p. 341.
nigno, in Heluetia aeque ac apud nos non infre-
quenti, anſam praebere, multis argumentis docet.
Loco ſuccoladae poſt haemorrhagiam, in atrophia p. 353.
et ſimilibus morbis, quum haec nimium exaeſtuet,
potionem ex farina auenacea toſta et lacte cum
pauca ſuccoladae quantitate commendat. Nimias p. 422.
poſt partum vteri haemorrhagias plerumque ex
vteri ruptura fieri contendit, ſed ſine hac non infre-
quenter ipſam vteri peſſimam inertiam addimus,
quippe qua, deficiente contractionis cauſſa, ad mor-
tem ſanguis promte effluere deprehenditur. Animi p. 430.
adfectum et paſſionem diſtinguit, prior conſiſtit in
ſola inclinatione, poſterior eſt effectus illius; inter
alia timoris et terroris ſtupendi efficacia recenſetur,
quibus etiam congrua adduntur exempla, ex quibus

 remo-

remotae morborum cauſſae in aetate, ſexu, temperamentis, idioſyncraſia, variisque corporis et animi p. 613. vitiis quaerendae, eluceſcunt. Tandem vero vires proprias corporis multa ferre, ſubigere, mutare demonſtrat, immo vires animi idem praeſtare coniicit, et exemplis confirmat, virium vero menſuram non perpendit.

Promittit etiam paſſim Cl. Auctor tertiam partem addere, quae de medicamentorum effectibus diſſeret. Quod in omni, vbi opus erat, demonſtratione varia exempla, quae vel a ſe ipſo vel ab aliis obſeruata ſunt, addidit, et lectu iucunda et doctrina plena eius euadit tractatio.

XVI.

An Eſſay on the moſt effectual Means of preſerving the Health of Seamen in the Royal Navy. Containing directions proper for all thoſe, who undertake long Voyages at Sea, or reſide in unhealthy Situations, with Cautions neceſſary for the Preſervations of ſuch Perſons, as attend the Sick in Fevers. By IAMES LIND M. D. Phyſician to the Kings Hoſpital at Haslar near Portsmouth, and Fellow of the Royal College of Phyſicians in Edinburgh. The ſecond Edition, improved and enlarged. London printed for D. WILSON. 1762. 8. pl. 20.

id eſt:

id eſt:

Tentamen ſuper remediis efficaciſſimis ad tuendam ſanitatem nautarum claſſis regiae, continens inſtructiones in vſum eorum, qui aut nauigationes longiores ſuſcipiunt, aut in locis parum ſalubribus degunt, adiunctis cautionibus neceſſariis ad praeſeruationem eorum, qui febre laborantibus opem ferunt. Auctore IACOBO LIND.

Hic liber etſi in vſum claſſis Anglicae potiſſimum conſcriptus ſit, multa tamen egregia continet, quae tum nautis in vniuerſum, tum iis, qui aegrorum curam gerunt, prodeſſe poſſunt. Primo p. 1.
capite exponitur de praecauenda morborum contagioſorum in claſſe generatione. Sunt enim morbi nautis Anglicis tempore belli potiſſimum fatales et exitioſi, quum numerus eorum, qui ferro, naufragiis aut aliis eiusmodi caſibus tunc pereunt, nullius fere momenti ſit, ſi comparetur cum numero eorum, qui morbis in claſſe ſuccumbunt. Cauſſa praecipua, quae contagium belli tempore in claſſe gignit et diſſeminat, in eo conſiſtit, quod cogantur ad claſſis ſeruitium nautae, ex India aut aliis longioribus itineribus vix reduces, adeoque debilioris naturae; deinde, quod vilioris cuiusque generis homines, ex carceribus aut aliunde adducti, ad eundem vſum ſumantur.. Quae Cl. Auctor contra hanc noxiam conſuetudinem facienda ſuadet, vti facile patet, extra Angliam nullum fere locum habent. Propius p. 13.
tandem ad morborum conſiderationem accedens, de morbis in ſeptentrionalibus regionibus et in iis nauibus oriundis agit, quae per hiemem quoque in mari verſantur. Oriuntur vero illi potiſſimum ex humida frigidaque tempeſtate, atque maxima ex

 parte

parte catarrhales ſunt, et rheumaticae indolis. In his venaeſectio ſtatim in initio adhibenda eſt, quo phthiſis et rheumatici chronici morbi, quibus tam multi nautarum obnoxii eſſe ſolent, praecaueantur. Cepam alliumque cibis Noſter addere iubet, inprimis vero ſuadet, cereuiſiae tenuiori (*Small-Beer*), qua nautae vtuntur, quartam partem ſpiritus vini admiſcere, aut tincturae ſpirituoſae rad. gentianae vel alius eiusmodi remedii. Paratur hac ratione addito aceto vel cremore tartari, melleque vel ſyrupo vulgari potus genus, maxime nautarum et militum hiemali tempore ſanitati conducens, Ruſſis, qui eo frequenter vtuntur, *Aſhbetten* dictum. Porro Noſter de modo vegetabilium ad claſſem commodius deportandorum, et ratione praecauendorum morborum ab exhalatione ligni recentis, ad con-
p. 23. ſtructionem nauium adhibiti, ortorum diſputat. Ad morbos tandem in auſtralibus regionibus maxime obuios accedens, primo carnes ſale conditas vitari iubet, atque ad hanc rem luculentius confirmandam exempla nauium adducit, quarum nautae ſola hac cautione adhibita a morbis contagioſis immunes manſerunt. Addit deſcriptionem vegetabilia per ſatis longum tempus ſalis ope conſeruandi. Semina naſturtii aquatici aquae communi, quae pro potu in nauibus conſeruatur, inſerere ſuadet, qua ex re duplicem vſum oriri poſſe putat, primum, vt herbarum recentium copia ſemper adſit, deinde vt aqua ipſa, vi plantae huius impraegnata, antiſcorbuticum potus genus largiatur. Commendat porro potus illud genus, Anglis *Punch* dictum, et vt optimum antiſepticum cremorem tartari laudat. Addit tandem conſilia de ebrioſorum cura, et effectibus fulminis in nauibus praecauendis.

p. 49. Iam his generalioribus praemiſſis ad ſpecialiores morbos, qui in calidiore potiſſimum climate maxime perni-

pernicioſi ſunt, accedit. Ex his morbis praecipuus eſt febris putrida, intermittenti aut remittenti ſimilis, tertianae duplicatae typum quaſi habens. Haec a febre flaua (*yellow fever*), ſiue vomitu nigro (*black vomit*) differt, quae etſi putrida quoque ſit, tamen pauciores tantum et aduenas potiſſimum ex Europa in India occidentali inuadit. Prior vero febris in omnibus calidis regionibus vnus idemque morbus eſt, inter tropicos vero autumnali potiſſimum tempore obſeruatur. Vulgatiſſimum et optimum remedium cortex Peruuianus eſt, quem etiam Angli in Guineenſi littore contra hunc morbum vt praeſeruatiuum in infuſo ſpirituoſo cum cort. aurant. maximo cum fructu adhibent. Reliqua huius ſectionis pars cautiones tradit, nautis in littore minus ſalubri verſantibus vtiles. Subiungit nonnullas de aquae marinae in aquam communem per deſtillationem mutatione adnotationes.

In altera ſectione de remediis agitur, quibus p. 94.
contagii in nauibus propagatio impediri poteſt. Qua ratione naues purgandae, et aegrorum in iis cura habenda ſit, docet Noſter, inprimis vero iis, qui inter aegros verſantur, varia conſilia ad conſeruandam ſanitatem dat. Addit obſeruationes de venaeſectione praeſeruatoria, quae vulgo in nauibus, quae ex frigidiore in calidum clima transeunt, inſtitui ſolet, eamque non in omnibus temere concedi poſſe oſtendit. Reliquam libri partem variae de caloris diuerſis in regionibus gradibus cum eodem thermometro inſtitutae obſeruationes, et medicamentorum in morbis nautarum vtilium catalogus conſtituunt.

XVII.

An Eſſay on the medical conſtitution of Great Britain. To which are added Obſervations on the Weather, and the Diſeaſes, which appeared in the Period included between the firſt of Ianuary 1758, and the Summer Solſtice in 1760. Together with a Narrative of the Throat Diſtemper and the Miliary Fever, which were epidemical in the Duchy of Cleveland in 1760. Likewiſe Obſervations on the Effects of ſome Anthelmintics, particularly of the great Baſtard Black Hellebore, or Bearsfoot. London, printed for Miller and Wilſon. 1762. 8. 1 Alph.

id eſt.

Tentamen deſcriptionis phyſicae Magnae Britanniae, cui additae ſunt obſeruationes ſuper tempeſtate et morbis obuiis in periodo, quae fuit inter primum Ianuarii 1758 et ſolſtitium aeſtiuum 1760. Vna cum narratione de angina et febre miliari, morbo vtroque epidemico in Ducatu Cleuelandiae 1760. Nec non obſeruationes de effectibus nonnullorum anthelminticorum, inprimis Helleboraſtri GESNERI.

Auctor huius tentaminis, vti ex epiſtola dedicatoria ad Ill. PRINGLE, huic operi praefixa, patet, eſt CAROLUS BISSET, artem medicam *Sheltoni* in Cleuelandiae Ducatu, qui ad Eboracenſem
p. 1. Prouinciam pertinet, exercens. In *primo* capite de aere Magnae Britanniae in genere, tempeſtatibus ventisque agit, atque mutationes, quas aer pro diuerſa

diuerſa ſua indole in ſanitate incolarum huius inſulae producit, in genere disquirit. In vniuerſum in temperatiore aere inſulani viuunt, mutationesque tempeſtatum tantas tamque vehementiores et inopinatas non experiuntur, quam ii, qui in continente degunt. Quae etiam cauſſa eſt, cur aeſtas non tam calida, et hiems frigidior in Anglia, quam in ea, quae ex aduerſo ipſi poſita eſt, Galliae parte eſſe ſoleat. Qui ad maris littora habitant, hoc habent ex maris vicinia commodum, vt maritimus aer tanquam frigidior humidiorque aeſtiuo tempore aeris ſiccitatem et calorem minuat. Neque auſter, qui in aliis calidioribus regionibus adeo inuiſus eſt, in Anglia nocet, cum mare transiens aquae vapore temperetur. Maxima autem pars morborum, quibus vexantur Angli, ex ſubitaneis et frequentioribus mutationibus tempeſtatis ex calidiore in frigidiorem oritur. Contra vero id praecipui habent, vt magis, quam aliarum regionum incolae, a morbis malignis epidemicis liberi ſint, cum calor vel frigus raro modum excedant. Atque haec aeris temperies ſanitati hominum in Anglia admodum conducit, cum multi ad maiorum annorum numerum accedant. Totum vero annum medice conſideratum p. 13.
Noſter in quinque periodos diuidit, atque ſingulas ſingulatim examinat. Hinc in *ſecundo* capite de periodo inter ſolſtitium aeſtiuum et primum diem menſis auguſti ita diſputat, vt primo aeris conſtitutionem, deinde morbos in hac periodo quam maxime communes indicet. Aeris temperies vt plurimum calida ſicca et conſtans eſt. Hinc ii, qui de reliquo bene valent et robuſti ſunt, optima valetudine hoc tempore gaudent, debiliores contra a nimio calore et inde proueniente ſudore peſſime adficiuntur. Morbi occurrunt in hac periodo vt plurimum inflammatorii, nec non pleuritides, haemor-

 rhagiae

p. 34. rhagiae febreſque millioſae et contagioſae. *Tertio* capite periodum inter primum diem auguſti et aequinoctium autumnale Cl. BISSET conſiderat. Morbi huius periodi vt plurimum a qualitate tempeſtatis in praecedente periodo obſeruatae pendent. Sunt vero dyſenteria, morbi catarrhales, cholera, et febres intermittentes, quae ab initio vt plurimum irregulares ſunt; deinde vero regulari typo
p. 61. procedunt. *Quarto* capite de periodo inter aequinoctium autumnale et ſolſtitium hibernum agitur. In ea aer frigidus et humidus fere ſemper eſſe ſolet. Hinc perſpiratio aliaeque excretiones ſupprimuntur et plethora gignitur, quae venaeſectione, vel quod melius habetur, catharticis imminuenda eſt. Materia morbifica ex duabus praecedentibus periodis collecta in hac concoquitur, et vel e corpore eiicitur, vel ad cutem aut extremitates transfertur, qua propter ſcorbutici et rheumatici morbi in hac periodo frequentius occurrunt, vt intermittentes
p. 91. febres taceam. *Quinto* capite Noſter periodum inter ſolſtitium hiemale et aequinoctium vernale examinat, in qua corpus bene perſpirat, optimeque valet. Interim tamen pro diuerſitate tempeſtatis praecedentis periodi inflammatorii quoque et catar-
p. 116. rhales morbi oriuntur. *Sexto* capite aeris temperies in periodo inter aequinoctium vernale et ſolſtitium aeſtiuum conſideratur. Ea inconſtans eſt, ſed frigidior. Venti frigidiores ſunt et frequentiores in hac periodo, et corpora haud raro laedunt. Humores corporis humani pituitoſi ſunt, vnde catarrhales morbi, peripneumoniae ſpuriae, febresque oriuntur intermittentes, in quibus ſpiritus ſalis ammoniaci optimum remedium eſt, quod ipſius corti-
p. 158. cis Peruuiani vires ſuperat. His praemiſſis Cl. Auctor obſeruationes ſuas de aeris conſtitutione, anno huius ſaeculi quinquageſimo octauo et ſubſequente vere

vere in Ducatu Cleuelandiae factas, ita proponit, vt deſcribat morbos hoc tempore maxime obuios, methodumque, qua in eorum medela vſus eſt. Exponit vero primo aeris temperiem, qualis fuit ea per tres annos praecedentes. Quod vero ad ipſos morbos attinet, difficile omnino videtur, ex illa narratione tam arcte nexa excerpta dare. Huius tractationis continuatio in ſubſequente capite continetur, cui tamen Cl. BISSET febrium bilioſarum, quae menſe iulio et auguſto in Cleuelandia graſſabantur, hiſtoriam adnectit, quatuorque aegrorum caſus proponit ita, vt de ſingulis ſuum quoque ferat iudicium. Quartanae typum quaſi ſeruabant; aderat in iis vomitus bilioſus, et icterus accedens ſemper lethalem exitum praenuntiabat. BOERHAAVIUM Noſter re- p. 199. futat, qui aphthas, quae in contagioſis morbis nonnunquam obſeruantur, peſſimumque ſymptoma ſunt, ab aphthis infantum raro lethiferis non ſatis diſtinxit. Capite *nono* vlterius hac in re progredi- p. 263. tur, et inprimis eruptionem ſcorbuticam epidemicam, in qua mercurius ſublimatus corroſiuus, externe interneque adhibitus, plurimum praeſtitit, deſcribit. Diſputat quoque de cauſſis occaſionalibus febrium intermittentium, et catarrho epidemico equorum, tunc temporis in prouincia ſua vulgari.

Subiungit narrationem de angina epidemica et p. 285. febre miliari, qui vterque morbus epidemicus et contagioſus in Ducatu Cleuelandiae, anno huius ſaeculi ſexageſimo obſeruatus eſt. In his venaeſectiones, laxantia lenia, veſicatoria, refrigerantia et diluentia maximum vſum habebant. In deglutitione maxime impedita ſcarificationem faucium Noſter cum ſucceſſu adhibebat. In aliis cannulae argenteae aut catheteris ope, qui in foeminis adplicari ſolet, alimenta ad oeſophagum per tumidas fauces inſtillauit.

p. 329. Quae de anthelminticorum nonnullorum vir- tute in fine additae ſunt obſeruationes, eae potiſ- ſimum concernunt vſum *Helleboraſtri maximi* GES- NERI (Anglis *the great baſtard black Hellebore or Bearsfoot*). Adhibetur autem haec planta vulgo in Ducatu Cleuelandiae ad expellendos vermes, potiſſimum lumbricos, ſummo cum fructu. Doſis eſt drachmae vnius foliorum recentium in decocto, aut, ſi folia ſiccata adhibentur, infantibus quatuor vel ſeptem annorum grana quindecim dari ſolent. Si ſufficiens vel maior doſis porrigitur, tunc Helle- boraſter emeticam virtutem haud raro exercet, ſaepe quoque aluum leniter mouet. Vſus vero huius plantae per duos vel tres dies continuandus eſt. In vniuerſum autem inter praeſtantiſſima anthelmin- tica numerari meretur, cum non modo certiſſimum effectum in expellendis vermibus habeat, ſed et tuto adhibeatur. Nullum enim notum ſibi eſſe ca- ſum Noſter aſſerit, in quo Helleboraſter non ex- optatiſſimum praeſtiterit fructum. Vtitur autem potiſſimum ſucco ex foliis expreſſo, et in ſyrupum redacto, cuius cochleare vnum veſpertino, vnum vero vel duo matutino tempore per duos vel tres dies praebet. Coniungit vero cum hoc remedio ſimul vſum tincturae rhabarbari ſpirituoſae, quo aluus ſemper libera ſeruetur. Commendat etiam vſum huius ſyrupi, vt optimi reſoluentis, in mor- bis pituitoſis pulmonum et primarum viarum.

XVIII.

PAVLI VALCARENGHI, Phyſici Collegiati Cremonae, Ferrariae, Brixiae et Venetiarum, Comitis et Equitis, Primar. Med. Prof. in Regia Ticinenſi Vniuerſitate, et in ſcholis palatinis Mediolani, Bononienſis Acad. Inſtituti Scient. et Botan. Florent. Socii, Collegio nobilium Phyſicorum Mediolani, ob honorem diſtincte aggregati, Seren. Duci Mutinae a conſiliis medicis etc. de praecipuis febribus ſpecimen practicum ad VINCENTIUM filium, Phil. et Med. Doctorem. Cremonae, 1761. apud Petr. Ricchini. 4. pagg. 298. praef. pagg. 20.

Febrium doctrina, qua grauius vix vllum in medicina clinica exiſtit caput, adeo multis, quoad eſſentiam earundem, premitur difficultatibus, vt in diuerſas quam maxime abirent ſententias, quicunque de iis ſcripſerint optimi Auctores. Cl. VALCARENGHUM itaque non inanem adhibuiſſe operam arbitramur, quod aliqua de febribus retexerit, atque praecipuas earundem differentias et curandi rationes filio ſuo expoſuerit. Cum vero vt plurimum veſtigiis celeberrimorum practicorum v. c. HIPPOCRATIS, SYDENHAMI, BOERHAAVII, VAN SWIETEN, GORTERI, HAENII etc. inhaeſerit ita, vt, non niſi, vbi diſſenſus intereſſe, aut vbi rationes eorum haud ſufficere videbantur, ab iis receſſerit: aliqua ſaltim ei magis propria hic tradere noſtrum eſſe putamus.

Praemiſſis quibusdam ad filium monitis, atque febris eſſentia, exiſtentia et phaenomenis expoſitis, largitur quidem Noſter, ob velocitatem pulſus,

ſus, quae cum functionum laeſione praecipuum et
pathognomonicum quaſi ſignum eſt, febrim dici
poſſe morbum cordis; quoniam vero ad ideam ge-
neralem atque differentias febrium rite determinan-
das ampliorem quoad effectus, cauſſas atque ſym-
ptomata, earundem definitionem formare neceſſe
p. 15. ſit: ſatius exiſtimauit definire, quod *febris* ſit *celer,
concitatus et inſolitus ſanguinis motus, cum aeſtu, ab
intra factus et permanens, calorem acrem, aut rigorem,
aut vtrumque variis modis excitans, cum actionum prae-
cipuarum laeſione.* Cum mutua ſolidorum aeque
ac fluidorum actione naturalis fiat ſanguinis motus,
febris vero idea ab eiusdem concitatiore motu repeti
debeat: deducitur, vel in ſolidis, vel in fluidis, vel in
p. 30. vtrisque, latere eius cauſſam. Quilibet tamen altera-
tus ſanguinis caeterorumque humorum motus fe-
brim non efficit, ſed is tantum, ob quem *aeſtus* ſiue
efferueſcentia, vt chemici dicunt, contingit. Soli-
dae corporis partes, ſiue relaxatae ſiue nimis ela-
ſticae, vel male formatae, motum quidem imminu-
tum aut concitatiorem ſanguinis efficiunt, quia au-
tem aeſtum non producunt, febrim excitare non
p. 35. valent; ergo in fluidorum et praecipue ſanguinis
immutata diatheſi latet id, ob quod aeſtus excitatur.
Oritur autem hic, ſi ſanguini heterogeneae parti-
culae admiſcentur, ab extra v. c. variis pharmacis,
miasmate varioloſo, venereo, putrido, venenis, cet.
vel ab intra, ſi ſanguis ſtaſi corrumpitur, pro gradu
corruptionis diuerſus. Stagnans ob inflictum vul-
nus ſanguis calore corrumpitur, irritans et putri-
dus euadit, et vehementem excitat aeſtum, qui facta
ſuppuratione iterum imminuitur: hinc itaque diffe-
rentia maxima enaſcitur inter pus verum maturum
et ſanguinem corruptum: hinc phthiſicorum aeſtus
febrilis, qui primum oritur, grauior, qui vero pus
formatum ſequitur, mitior, et varius eius decurſus
expli-

explicatur. Sanguis, ſi corrumpitur, ſiſtit cauſſam p. 44.
vehementiorum febrium, v. c. ephemerae, ſynochi, acutarum et inflammatoriarum; lympha putreſcens mitiorem excitat aeſtum in febribus lymphaticis; bilis corrupta et aeſtuans vehementes etiam, periodicas tamen vtplurimum efficit febres; lympha artus obliniens, ſi ibi concreſcit, vt in arthritide, excitat febrem catarrhalem; ſuccus ſpermaticus et lympha aphrodiſiaca aeſtum febrilem ſuſcitare nequeunt. Veterum diſtinctio febrium in ephemeras, putridas et hecticas reiicitur; a modo et tempore potius, quo febris ſuum conficit curſum, deſumendam eſſe diſtinctionem cenſet Noſter, vnde vel continuae, vel
intermittentes. Continuae ſunt vel continentes, vel p. 50.
periodicae continuae; periodicae vero febres ſunt vel continuae, vel vere intermittentes. Harum febrium fomes vel ſanguini non ſemper immixtus, vel non eodem modo ſemper agens, tum quantitate maior aut minor, tum qualitate varia, viciſſitudines earum efficit; hinc febris tertiana, quartana, quotidiana, cet. Cauſſa in continuis febribus aeſtum efficiens, ab initio vsque ad finem morbi permanens, etiam tum quantitate, tum qualitate diuerſa, diſtinctionem ex ſymptomatibus eruendam praebet, ſiquidem eſt alia acuta febris, alia ephemera, ſynocha, petechialis, varioloſa, miliaris, inflammatoria, peſtilens aut vtcunque epidemica, cet. quorſum et hectica febris refertur. Plurimae harum febrium ſpecies ſunt aut eſſentiales aut ſymptomaticae.
Acuta febris dicitur, quae breuis non ſolum eſt, p. 55.
ſed etiam cum periculo procedit; exiſtimat tamen Noſter, eas cum HIPPOCRATE acutas dicendas eſſe febres, quae die decimo quarto terminari ſolent, nec facile vltra protrahuntur, niſi error in medela aut diaeta, aut nimia virium debilitas acceſſerit. Acutarum porro febrium eſſentia et ſymptomata

disqui-

diſquiruntur, atque vt ratio, qua differant a periodi-
cis tertianis continuis aut remittentibus, appareat,
harum character genuinus et ſigna fuſius exponun-
tur. Vrina lateritia, quae in febribus periodicis
tertianis obſeruari ſolet, et graues hepatis morbos,
febriumque, in quibus talis mingitur, a male affecto
hepate exortum indicat, ſignum eſſe dicitur in-
termittentis febris. Comparationem porro acutae
febris cum tertiana continua inſtituens Noſter, va-
ria ſymptomata acutae propria recenſet, et monet,
ex rigoris atque horroris acceſſionibus, vt ſignis
aequiuocis, ab initio ad morbi indolem non poſſe
concludi, qui etenim primis diebus benignus mor-
bus et febrim tertianam continuam ſimulare vide-
batur, poſt quartum aut ſeptimum diem ſaepius
p. 77. euaſit malignus. Febris continuae remittentis
ideam negligendam eſſe coniicitur, quippe differen-
tiae eius plurimae ad fomitem febrilem ſpecialem
aſſignari poſſint, qui vel ab intermittentibus, vel a
continua continente ortum habeat: hinc ſpecies vna
ad intermittentes, altera ad acutas febres pertinere
dicitur, curationem quoque cauſſis hisce conue-
p. 88. nienter inſtitui, neceſſe eſſe. His de differentiis
febrium praemiſſis, methodus acutis medendi ge-
neralis proponitur. Agitur de venaeſectionis ſub
initium morbi vſu et abuſu. Blandi emetici atque
purgantium vtilitas exponitur. Cum in acutis nul-
lum innotuit ſpecificum, quale in periodicis eſt chi-
nachina, ſufficit, venaeſectione praemiſſa, potioni-
bus attemperantibus, clyſteribus, frictionibus, cu-
curbitulis dorſo applicatis, ſymptomatibus mederi:
id vero inprimis curandum eſt, vt criſes vtiles ex-
citentur, et circa declinationis tempus attendendum,
per quas vias natura eas moliatur, quas adiuuare
medicum decet. Ita v. c. in febribus meſentericis
aliisque acutis, quarum cauſſa potiſſima in abdo-
mine

mine conſiſtit, alui excretiones epicratica purgatione, iteratis clyſteribus aut rhabarbari et nitri anaticis portionibus, ſingulis aut alternis diebus exhibitis, cum leuamine promouentur. Nocet tunc venaeſectio. Si vero inflammationis adeſt ſuſpicio, alui purgatio nocet. Diarrhoea cum leuamine eſt proſequenda, ſymptomatica vero coercenda; hinc in aliis in initio et progreſſu morbi purgatio vtilis, ſecus in aliis. Commemoratur diſtinctio febrium in venoſas et gaſtricas, a BALLONIO ſtabilita, quarum hae catharticis, illae phlebotomia curantur. Diaphoreticorum calidaeque ſic dictae methodi noxa exponitur. Arbitratur enim Auctor, ſi ſudores ciendi ſunt, quod interdum, licet rarius, neceſſe eſt, abſtinendum eſſe a calidis diſſoluentibus, cum ſufficiat, aerem frigidum euitare, aegros in lecto coopertos magis continere, frictionibus vel potionibus attemperantibus id efficere. Taxantur et ii, qui diaphoreticis fortioribus malignitati, ſomniatae quidem, reſiſtere atque petechiarum, quas forſan vt abſceſſus criticos cutaneos, falſo tamen, aſſumunt, eruptionem promouere contendunt, ſiquidem eae ſiſtunt exanthema ſymptomaticum, nullo modo criticum, vt RAMAZZINUS ſtatuit. Putat Auctor, petechias eſſe minimas cruoris in cutis interſtitiis coagulati ſtaſes, quae vt totidem minimae ecchymoſes, a diſſolutione et nimio impetu ſanguinis enatae, habendae ſint. Quas tamen, ſi aer calidior vitetur, et aegroti extra lectum detineantur, auerti et tolli poſſe, vti Cl. HAEN cenſet, Noſter negat, et eas prorumpere vidit ſub eodem regimine ac ſub temperantium demulcentium medicaminum, ſuccique limoniorum vſu. In apparentibus petechiis, ſi materies in inteſtinis turget, clyſteres iterati ſi ſufficiunt, non ita facile purgantia praeſcribenda eſſe arbitratur. Criſeos poſthac metaſta-

ticae,

ticae, quae in partibus ſpecialibus per abſceſſus, interdum alia ratione contingit, ortus, cauſſae, ſigna, noxa ſi pus reſorbetur, atque modus curandi proponitur. Abſceſſus hi externi omni modo fouendi et maturandi ſunt, ſi vero maturatio tardius ſuccedit, vt in parotidibus, eo citius aperiendi, quod etiam ferro ignito fieri ſuaſit Cl. GLASS. Ex analogia horum abſceſſuum introductus eſt veſicatoriorum vſus, quem inutilem et nocuum aliquando, tam in petechialibus et acutis febribus, in quibus reſolutio ſanguinis adeſt, quam in morbis pectoris inflammatoriis, expertum eſſe VALCARENGHUS fatetur. Paregorica, a SYDENHAMO adeo laudata, caute vſurpanda eſſe monet, ſeminum vero papaueris virtutem anodynam et ſomniferam negat.

p. 141. Sequitur aliarum continentium febrium tractatio. *Ephemera febris* atque *ſynochus* vt morbi benigni conſiderantur, eorumque differentiae, cauſſae, ſigna et curatio deſcribuntur. Febris *variolarum* inflammatoria aeque ac ſuppuratoria, eruptionis modus, vt et ſymptomata peſſima ex pure retrogreſſo et ad viſcera interna proiecto, enumerantur. Cruſtae ſiccae, ad foueas cauendas, oleo amygdalarum dulcium illiniri poſſunt. Miasma varioloſum veneni ad inſtar operari, ex inſitione variolarum patere, exiſtimat Cl. Auctor, de qua iudicium ſuſpendet, attamen ſatius eſſe arbitratur, exſpectare, donec natura hunc morbum efficiat. Cum vniuerſalis variolis medendi methodus inuenta nondum ſit, optimum eſſe iudicatur, curationem maxime naturae committere, hancque, ſi opus ſit, aliquomodo adiuuare, vel ſymptomatibus caute ſuccurrere. Alui fluxus abundantior non augeatur, in ſuppuratione nocet: ſtiptica aluus clyſteribus curatur. Temperantibus et demulcentibus, quae incidunt

dunt et putredini reſiſtunt, atque aquae purioris, cum ſucco limoniorum coniunctae, potu aeſtus nimius compeſcitur; aeris tandem purioris renouatio et modica vini generoſi doſis vt cardiacum commendatur. Variolarum febri plurimum ſimilis eſt p. 150.
morbillorum febris continua, quam diuerſae cutis excretiones comitantur, vt morbilli, ſcarlatinae, purpuratae maculae, aliaque exanthemata, cito euaneſcentia. Morbilli, quibus prae aliis pueri obnoxii eſſe dicuntur, in auſtrali conſtitutione, vere praecipue, rarius hyeme et autumno, grauem nonnunquam morbum ſiſtunt, et epidemice vt variolae graſſantur. Differunt a variolis in eo, quod nunquam in ſuppurationem abeunt, quod aeſtuans humor ſeroſus aut lymphaticus eſt, mox exhalans et ſquamulas relinquens. In curatione inueſtigare neceſſe eſt, vtrum a nimio humorum aeſtu, quo in caſu attemperantia proſunt, an a deprauata humorum diatheſi, v. c. ab vlcere pulmonum, cui, omiſſa venaeſectione, temperantibus et antiſepticis ſuccurrendum eſt, prouenerint. Miliaria, tum quae febres acutas comitantur, tum quae ab interna ſuppuratione oriuntur, ſymptomatica eſſe, quae diaphoreticis non promouenda ſint, oſtenditur: contra ea potius alui laxitatem, purgantibus antiphlogiſticis inductam, plurimum valere deducitur ex eo, quod in purpura puerperarum diaphoreticorum vſu excretio puerperii imminuitur. *Hectica* tandem ha- p. 166.
bitualis, quamquam chronicus morbus, continua febris eſſe a Noſtro dicitur, eiusque progreſſus et ſymptomata deſcribuntur. Symptomatica ſaepius eſt, a laeſione partis organicae maxime ab vlcere originem ducens; ab vlcere pulmonum exorta *Phthiſis* nuncupatur. Ab vlcere, quod haemoptyſin praegreſſam ſubſequitur, periculoſior ac breuior eſt morbus, quam qui ab vlcere a tuberculis ibi

ſuppuratis prouenit. Curatio in eo conſiſtit, vt ſanguis a corrupto ſeu purulento ichore liberetur, vlcus abluatur et detergatur, et ſecedens pus per alia colatoria educatur, priusquam ſanguinem inficiat. Hectica febris, ab vlcere externo enata, non niſi vlcere depurato ſanatur. Curatio interna, cuius ratio ab externa deſumitur, pluribus quidem obnoxia eſt difficultatibus, attamen peragitur, ſi attemperantium et diluentium ex vegetabilibus vulnerariis potionum continuato ad menſes vsque vſui remedia balſamica gummoſa adiunguntur. Praeſcribere ſolet Noſter inter reliqua balſamica potiſſimum balſamum de copaiba, de cuius vſu in internis pectoris ſuppurationibus congruo etiam alia adfert teſtimonia, ſeque plures hac methodo ſanaſſe affirmat. Victum ſuadet farinaceum; lac, quia generando puri aptiorem ſubminiſtrat materiem, et vlcus inde ſordidum magis reddit, caute admodum, phthiſeos initio nunquam, nec niſi deterſione vlceris maximam partem balſamicorum ope iam facta, in vſum vocari cenſet. Quae praeter hanc ſymptomaticam febrim interdum a nimia ſanguinis diſſolutione ſeu ſpontanea corruptione enaſcitur febris, eſſentialis dicenda, eius, vti et aliarum huiusmodi ſpecierum, curatio ſecundum ſpecialem humorum noxiam indolem inſtituenda eſt.

p. 178. His de continuis febribus expoſitis, intermittentium conſideratio adiungitur. Harum cauſſam efficientem modo extra modo intra ſanguinem conſiſtere, indeque vices earum eruendas eſſe, veroſimile videtur Cl. Auctori: neque dubitat iſte, cum GORTERO bilem vt praecipuam cauſſam aſſignare, quia omnia harum febrium phaenomena inde declarari poſſunt. Intermiſſionis varietas praecipuas differentias definit: hinc tertiana ſimplex, duplex, duplex continua, quartana ſimplex, duplex aut triplex;

plex; quotidianae vtut rariſſimae, et quae cum tertiana duplici facile et ſaepius confunditur, vlterior conſideratio eſt omiſſa. *Tertiana febris ſimplex* eſt vel exquiſita, vel ſpuria ſiue notha. Illa, quae vltra octauam horam vix protrahitur et mox ſponte deſinit, medici curam non adeo exigit, et labiorum ſciſſuris vt criſi completa iudicatur: haec vero, quae protractiores paroxyſmos et aeſtum mitiorem habet, a bile, minus quam in exquiſita feruente, at tenaciori et acriori, atque difficilius ſolutu, pendens, diu protracta pernicioſa euadit, et diuturnis morbis occaſionem praebet: hinc duplici methodo, altera eradicatiua, altera palliatiua curanda eſt. Jlla, quae leni emetico aut purgante remedio peragitur, huic praeſtat; ſi pertinax eſt febris, etiam epicratica purgatio conuenit: quo in caſu etiam ad palliatiuam curationem deueniendum eſt, quae chinachina perficitur, vel cum rhabarbaro, vel cum aliis commixta remediis. Purgantia febrifugi vim minime compeſcere, neque commixta ſibi contrariari cenſet Noſter, inſimul varias circa chinae vſum tradit regulas, eamque vltra tres vncias exhiberi vetat. Febris, in qua paroxyſmi alternatim inſurgentes ſibi reſpondent, *tertiana duplex* vocatur. Fomes biliofus auctus conſtituit cauſſam, vt ex ſimplici in duplicem transeat morbus, vel in continuam grauibus ſymptomatibus moleſtam mutetur. Si intermittens eſt, eo modo, quo tertiana ſpuria curatur. De continua animaduerti meretur, vtrum ab initio continua fuerit, an poſt aliquot demum acceſſiones? Prior, autumno inſurgens, chinachina quidem non ſubito ſedatur, iterato vero eius vſu ceſſat; quod ſperandum non eſt, ſi citius recurrit paroxysmus, ſine praegreſſa criſi per diaphoreſin aut aluum, quo in caſu purgans febrifugi vſui interponendum eſt: altera, primum intermittens, aeſtate

p. 186.
p. 203.

inſurgens, cur poſtmodum et autumno praecipue continua euadit, exponitur: continuas acutas exinde fieri, concedit Noſter, non vero continentes, quia chinae vſu euincuntur, quo continentes nunquam profligantur. Huiusmodi febres ob diuerſum procedendi modum, et ob ſpecialia pernicioſaque ſymptomata, diuerſis nominibus inſigniuntur, ac ſubintrantes, remittentes, proportionatae, lipyriae, hemitritaeae et ardentes ſunt nuncupatae. Febris
p. 210. continua *ſubintrans* dicitur, ſi alter intermittentis tertianae duplicis paroxysmus citius, quam prior finitus ſit, ſubintrat. Circa autumnum graſſatur. Fomes bilioſus in ea maior atque tenacior eſt, quam in intermittentibus; qui tamen, cum ab intermittentium fomite ſit, eandem, ac intermittentes requirit curationem. Optimum eſt, eam praecauere, quod fit, ſi febris tertiana ſpuria, certis ſymptomatibus, ſubintrantem talem indicantibus, ſtipata, praemiſſo emetico aut purgante remedio, chinae vſu mox tollitur. Illico ſubintrans etiam chinam expoſcit, qua, etſi quidem recidiua non praecaueatur, in intermittentem veram ſaepius conuertitur, ſenſim decreſcit, et inprimis verſus hyemem euaneſcit, quo in decremento purgans et china exhibendum eſt, ne eueniat circa ver recidiua, quae etiam iterato vſu purgantium febrifugis admixtorum, adhibitis ſimul attemperantibus et ape-
p. 218. rientibus, auertitur. *Remittentes* febres, quae vix differunt a ſubintrantibus, ſi ab intermittentium fomite pendent, harum medelam exigunt, ſi vero ad continuas illegitimas pertinent, ſecundum ſpecialem humorum corruptionem tractandae ſunt.
p. 220. Febres, quas Cl. TORTI *proportionatas* appellauit, ex ſubintrantibus et intermittentibus emergunt, in exortu ad intermittentes magis, in progreſſu ad continuas acutas magis pertinent, et certas habent periodi-

periodicaſque incrementi ac decrementi ſui vices. Aliae ex his exſerunt naturam ſubintrantis, aliae ſimpliciter remittentis, quae differentia in curatione attendenda eſt. Vtriusque ſigna adducuntur, et cortex peruuianus quatenus in his conueniat, determinatur. Febres huiusmodi complicatae, v. c. ſi morbis inflammatoriis, vel in phthiſicis hecticae, tertiana ſimplex aut duplex accedit, prorſus quidem non tolluntur chinae vſu, imminuuntur tamen, quia id, quod ab intermittente eſt, ceſſat. *Lipyria* fe- p. 234.
bris etiam ab intermittentium fomite prouenit, periculoſiſſima eſt et endemica, Mantuae et Cremonae quotannis fere accidens: ſiue ſimplex ſiue duplex tertiana primum fuerit, increſcente lipyria in continuam mutatur, atque praeter aeſtum ſummum, extremorum frigus, ſudorem frigidum et algorem eadem fere, quae iliaca paſſio, habet ſymptomata, ſubſequente in imo ventre inflammatione, cuius cauſſa in bile feruente et acerrima conſiſtit. Congrua in initio medendi methodo adhibita, morbus, quamquam grauiſſimis ſymptomatibus ſtipatus, facile tollitur, ſi vero ad ſummum peruenerit et inflammatio formata ſit, nullam admittit curationem. Febres hae plerumque in tertio, interdum quarto paroxyſmo, in lipyriam mutantur. Curatio etiam duplex eſt, vel prophylactica vel curatoria: ad priorem requiritur, vt quam primum ſymptomata lipyriam praeſagientia v. c. diuturnior et inordinatus febris acceſſus, cardialgicae ſtomachi paſſiones, anxietas, vomitus aut alui fluxus bilioſi cet. in ſecundo vel tertio acceſſu deprehenduntur, illico cortex peruuianus, et priusquam alter paroxyſmus accedat, ad ſesqui vnciam iteratis doſibus, vel ſimplex, vel cum electuario diaſcordio aut theriaca, aut, quod melius eſſe putat Noſter, cum vino maluatico aut alio generoſo propinetur. Emetica caute admo-

dum, et purgantia, ſi neceſſaria, mox poſt primum acceſſum ſunt praeſcribenda. Chinae cortex, ad tres ſaltim vncias ſumtus, non ſolum praecauet lipyriam, ſed etiam in incepta, dummodo nondum ad ſummum peruenerit gradum, ſaepius, immo praeſente iam ſingultu, aliquoties profuit. Neceſſe etiam eſt, vt intra diei vnius ſpatium ſaltim ſesqui vncia eius iteratis doſibus cum duabus vnciis vini maluatici, cuius vim reſoluentem et cardiacam magni facit, exhibeatur, et ita vſus eius continuetur, donec tres vnciae adſumtae ſint. Quodſi autem eo inflammatio viſcerum iam formata non ſoluitur,
p. 246. mors certiſſima ſequitur. Ad *Hemitritaeae* ſeu *ſemitertianae* febris curationem Cl. Auctor arbitratur maxime intereſſe, vt cognoſcatur, vtrum ab intermittentium, an a continentium cauſſa eius origo ſit deriuanda, atque vtrum eſſentialis, an ſymptomatica, vel ex vtrisque complicata ſit, quod ex ſignis variis diuerſoque morbi decurſu apparet. Prior ſpecies china tollitur, poſterior vero requirit, vt praua ſanguinis diatheſis auferatur; ſi ex vtrisque complicatus eſt morbus, china eum quidem penitus haud fugat, tamen mitigat, febrem intermittentem ſup-
p. 254. primendo. Eadem etiam diſtinctio in *febre ardente* ſeu *cauſone* veterum, ob praeualens ſymptoma, ardorem ſcilicet fere vrentem, ita dicta, locum habet, quippe quod iſtud et in continuis continentibus et in intermittentibus obueniat. Cauſſa exiſtit in bile aeſtuante et acerrima facta: hinc purgantia congrua vel iterati clyſteres ad eam educendam cum temperantium ac laxantium vſu conueniunt, atque melius eſt, a chinae vſu abſtinere, niſi tertianae pernicioſae ſpecies ſit, vt lipyria. Vltimo tandem loco
p. 262. *quartanae febris* conſideratio adnectitur. Huius cauſſa eſt bilis tenacior, quam in tertiana, vnde ſit, vt non tam cito in actum redeat. Simplex, duplex

aut

aut triplex eſt, pro quantitate maiori minoriue fomitis billioſi; ſimplex vt plurimum incipit, poſtmodum duplex aut triplex fit, quarum curatio raro ſperari poteſt, niſi in ſimplicem degenerent. Curatio itidem duplex requiritur, vel eradicatiua, quae purgantibus aut emeticis, amaris et aperientibus decoctis atque rhabarbaro abſoluitur, et primum adhibenda eſt; vel palliatiua, quae tunc ſolum locum habet, ſi nimis contumax febris, vel aeger nimis debilis ſit. Ad hanc ſufficit vſus chinae, inprimis ſi admiſcetur extr. abſynthii et pulv. flor. chamomill. cum ſale centaurii minoris. Nonnulla adduntur etiam remedia poſt profligatam febrim contra infarctus in hypochondriis exortos vtilia.

XIX.

Binae ex nonnullis rariores morborum hiſtoriae, quas ex aduerſariis ſuis deprompſit, iurisque publici, ſortem ſuam experturas, fecit ANTONIUS LIZZARI. Ph. et Med. Doct. Venetiis 1761. typis Antonii Zatta. 8. pl. 2.

Nuper demum ſcripta, quae ex aliquot annis Cl. Auctor edidit, ad noſtras peruenerunt manus, quae itaque cum ignorare Lectores noſtros nolimus, ſucceſſiue nunc breuiter perſtringemus. Ordimur ab hoc libello, qui binas continet obſeruationes, deſcriptu dignas, quarum prima virum ſiſtit 40 annorum, gutta roſacea, vagaque impetigine humida aeque ac pruriginoſa diu affectum, qui, poſtquam haec excretio cutanea ſubito euanuerat, febre continua decubuit. Sanguine ex vena brachii extracto, qui diatheſin phlogiſticam prodebat, ſymptomata febris paullulum remiſerunt, ſed faciem vndiquaque eryſipelas phlegmonodes occupauit, quod

a capite per collum, humeros et dorſum ad pectus et ventrem, vmbilicum vsque deſcendit. In partibus eryſipelate hoc obſeſſis veſiculae excitatae ſunt, quarum aliae in ſuperficie cutis tantum haeſerunt, aliae autem ad contextum celluloſum vsque penetrarunt, ichore viſcido corruptoque repletae. His copioſe abdomen conſperſum eſt, quae poſt breuem ſuppurationem euanuerunt. Protinus vero aluus turbata eſt, et febris, animi deliquium, alternus extimarum partium algor aegrum inuaſerunt; abdomen maxime intumuit, ita vt paraceteſis in auxilium ſit vocata. Viginti quinque libris ſeri turbidi eductis, ſymptomata, et tumor ſenſim ſenſimque imminuta ſunt, et aeger valuit, donec ineunte autumno febris ephemera ſpuria, ſimilisque abdominis tumor eum denuo corripuerunt. Repetita vero ſingulis menſibus ter quaterue paraceteſi, ſucceſſiue noningentae et octoginta librae lymphae eductae ſunt, tandem menſe maio ſequentis anni ſubito oborta vehementiſſima febris, cum regrediente in facie eryſipelate, aegrum enecauit. Secto cadauere, peritonaeum a muſculis ſeiunctum, et ad inteſtina propulſum, inuentum eſt, omentum putredine fere corruptum, meſenterium ſcirrhoſum, renes vero, vreteres, et veſica ſine omni labe, hepar in inferiori parte hydatidibus liuidisque maculis obſeſſum, et veſicula fellea omni fere bile vacua. Adiectis adnotationibus, Cl. Auctor raritatem huius morbi vrget, quoniam aeger per omnem morbum parum ſitiit, multum minxit, et nihilominus tantam aquarum copiam collegit.

p. 17. Altera morbi hiſtoria reſpicit foeminam, podagram nodoſam, nephritidem, colicam bilioſam, icterumque ſaepius perpeſſam. Haec, *66* aetatis anno, denuo grauiſſimo podagrae inſultu et vehementiſſimo animi moerore correpta eſt. Superuenit color

lor ictericus, et tunc podagrici quidem dolores imminuti ſunt, paullo poſt tamen de pondere in ſiniſtro hypochondrio, tumoreque lienis aegra eſt conqueſta. Quamuis vero adplicatis remediis emollientibus et anodynis inter ſummos cruciatus duo grandiores lapides cum vrina excreti ſunt, tumor tamen in ſiniſtro hypochondrio magis magisque increuit. Ex vrina foetidiſſima, viſcida, atque mucoſa, vomituritione, omniumque ciborum nauſea, concluſum eſt ad abſceſſum a podagra retrogreſſa, in rene, nec, vt ante creditum erat, in liene ortum. Adhibitis hinc medicamentis ſuppurationem adiuuantibus, balſamicisque diureticis, ſeptimeſtri ſpatio vrina pure remixta prodiit, tumorque plane ſubſedit. Autumno vero denuo maximae molis calculus excretus, tumor in hepate iam icterum producens, et in cute puſtulae limpidiſſimo ſero turgentes, prurientesque ſunt obſeruatae. Poſt ſectas in vtraque manu venas, ſanguine ad animi deliquium vsque extracto, ſpes recuperandae valetudinis apparere viſa eſt. Sed protinus aegra memoriae debilitatem percepit, febrimque denuo incenſam. Denuo igitur ſecta eſt brachii vena, ano adplicatae hirudines, iuſculaque viperina propinata. Quibus foemina ita conualuit, vt, exacto demum decennio, dyſenteria cum febre acuta perierit. p. 22.

XX.

Phytographia ſacra generalis. Diſſert. Auctore IOANNE GESNERO. Med. Doct. Phyſ. et Matheſ. Prof. Publ. etc. Tiguri, 1759. 4. pagg. 28. Eiusdem phytographiae ſacrae Pars practica prior. ibid. 1760. pagg. 56. Pars practica altera. ibid. 1762. pagg. 54. Pars practica tertia. ib. 1763. pagg. 30. et Pars practica quarta ib. 1764. pagg. 31.

Quum quotannis Tiguri ſummorum in philoſophia honorum candidatis diſſertatio quaedam proponi ſoleat, eo conſilio, vt in ea defendenda ii vires ſuas periclitentur, acquiſitaeque ſcientiae dexteritatisque exhibeant documentum: Cl, Auctor ex aliquot annis hunc in finem regnum vegetabile, quatenus ſapientiam prouidentiamque ſummi creatoris teſtatur, breuiter expoſuit. Vberrima vero rerum proponendarum copia, quum vnica diſſertatione comprehendi non poſſet, Cl. Auctorem coegit, eam per partes abſoluere et ſingulas ſingulis deſignare annis. Ex quinque itaque, quas accepimus et modo indicauimus, partibus ſumma nunc breuiter perſtringamus capita. In prima diſſertatione generalem tantum plantarum conſiderationem Noſter inſtituit, vbi praecipue creationem, conſeruationem, incrementum, varias functiones, tandemque propagationis negotium earundem enumerat, et ex admiranda ſtructura vegetabilium omnipotentiam diuinam demonſtrat. Maximam vero huius diſſertationis partem explet nutritio et propagatio plantarum. Cum autem in his rebus explicandis omnis interna ſtructura vegetabilium fuſius enumeretur, prolixiori repetione rerum ſatis ſuperque cognitarum ſuperſedemus, et ad reliquas diſſertatio-

nes

nes progredimur, quae practicam phytographiam ſacram declarant, et in quibus ampliſſimos vſus plantarum, luculentiſſimos venerandae Dei prouidentiae teſtes eſſe, comprobare Auctor adniſus eſt. In priore ergo parte practica vſus plantarum in alendis hominibus animalibusque declaratur. Plantas inter omnia corpora naturalia copioſiſſimum aptiſſimumque nutrimentum praebere, tum ex mira earum multitudine, tum ex mixtione humorum, facile cum animalium humoribus aſſociandorum, adfirmat. Varias mutationes, quibus vegetabilia in diuerſis praeparationibus magis emendantur, quo eo praeſtantius homini ſuppeditent alimentum, enumerat, cumque non ſolum cibus ex plantis deſumatur, verum etiam ſaluberrima exinde potus genera praeparentur, de iis quoque Cl. Auctor agit, et ſummi largitoris prouidentiam, hominibus ſuccum betulae, vuarum, aliorumque fructuum horaeorum indulgentiſſime concedentem, veneratur. Itaque, quo inſignis copia vegetabilium, quibus homines veſcuntur, eo melius cognoſcatur, catalogum plantarum, tum victui et potui, tum condimento inſeruientium, ſecundum ſyſtema Linnaeanum adiecit. In fine huius diſſertationis magnam Dei ſapientiam ex eo probat, quod cuilibet loco ſuae indigenae plantae conceſſae ſint, ita, vt nullum ſolum, clima, et anni tempus ſit, quo non homines quasdam alimentares inueniant plantas. Coronidis tandem loco de victu brutorum ex vegetabilibus exponit; quantaque ſit plantarum copia, animalibus pabulo inſeruientium, ex inſigni numero animalium inter ſe quam maxime diuerſorum, quorum pauciora carniuora ſunt, comprobare ſtuduit. In ſecunda parte practica phytographiae ſacrae benigniſſimi numinis prouidam ſapientiam, ex vſu plantarum medico cognoſcendam, Cl. Auctor manifeſtat. Et

quo

quo ampliſſimus ille vſus, quem vegetabilia in reſtaurando corpore aegroto exſerunt, eo melius intelligatur; placuit Noſtro virium vitae in corpore animali praeſentium ſcrutinium praemittere, et exinde generalem medicamentorum operandi rationem explicare. Plantas locupletiſſima maximeque congrua medicamina exhibere, tum ex mirifica multitudine vegetabilium, tum ex diuerſa eorum indole, maxime diuerſum effectum exſerente, adfirmat. Conſiderat vero hanc medicamentoſam plantarum virtutem, quatenus vel in diuerſis plantarum humoribus ſponte profluentibus, vt reſinis, balſamis et gummatibus, latitat, vel quatenus artificioſa manu, varia praeparatione pharmaceutica et chemica, inde elicitur. Omnium horum agendi modum, variumque effectum, pro diuerſa eorum tum externe, tum interne adplicandi ratione, variaque eorum humorum mixtione, ſapore, odoreque diuerſo ſeſe manifeſtante explicat. Denuo etiam methodo Linnaeana catalogum plantarum medicamentoſarum exhibuit Auctor, in quo ex conuenienti charactere externo plurium generum ad qualitates earundem ſimiles concludi poſſe autumat. Earum quoque, quibus ſpecifica quaedam virtus a nonnullis adſcribitur, mentionem fecit, et ex omnibus tandem concludit, remedia ex vegetabili regno petita omnium eſſe conuenientiſſima. In tertia parte practica phytographiae ſacrae vſum plantarum in veſtiendo corpore Cl. Auctor declarat. Perplura licet ſint vegetabilia, e quibus materia pro tegendo, fouendoque corpore noſtro praeparari poteſt, praecipuas tamen plantas iuxta ſyſtema LINNAEI Noſter recenſet. Eadem quoque occaſione ſecundariam vegetabilium vtilitatem in arte tinctoria commonſtrat, qua veſtes, ex plantarum partibus praeparatae, maiorem adhuc in varietate colorum acquirunt

runt gratiam, indeque eo luculentius de benignitate ſummi Numinis teſtantur, quae curauit, vt ex vegetabilibus non ſolum veſtes ad fouendum corpus, verum etiam ad ornatum ei conciliandum, praeparentur. Quarta tandem pars de vſu plantarum in calefaciendis hypocauſtis exponit. Cum tantus ſit vegetabilium numerus, quae alendo igni inſeruiunt, ea in arbores et frutices Auctor diſtinxit, eorumque in Heluetia ſponte creſcentium catalogum dedit, variorum lignorum diuerſam indolem et denſitatem disquiſiuit, et de parſimonia in comburendis lignis ita egit, vt modum indicaret, quo parua ligni quantitas maximum calefaciendi effectum praeſtet, ſi nimirum lignum in minora fruſtula diſſecatur, quo aer, flammam excitans, vndiquaque ad ſuperficiem eorundem, maiori fornacis ianua clauſa, per minora foramina accedat, et ſi flamma, antequam in caminum pellitur, prius per communicantes ductus, nullos tamen acutos angulos facientes, longo itinere circumducitur. Quibus enarratis, turfarum geneſin ex congeſtis, emortuis, humidisque vegetabilium partibus, analyſin chemicam, ſummumque earundem vſum demonſtrat, lignorum ſubterraneorum et carbonum mentionem facit, tandemque concludit, plantas et in tutela aduerſus frigus vberrimam cuique ſuppeditare occaſionem, benigniſſimi numinis indulgentiam pia mente venerandi; ſimulque promittit, proxima diſſertatione, ſe vſum plantarum in exſtruendis aedificiis, corpusque humanum variis oblectamentis afficientium, ſimili ratione eſſe comprobaturum.

XXI.

A new and accurate Syſtem of Natural Hiſtory; containing I. the Hiſtory of Quadrupedes; II. of Birds; III. of Fiſhes and Serpents; IV. of Inſects; V. of Waters, Earths, Stones, Foſſils and Minerals; VI. of Vegetables; by R. BROOKES. M. D. London, printed for I. Newbury. 1763. 8. Vol. I. p. 374. tab. aen. 21. Vol. II. p. 460. tab. aen. 27. Vol. III. p. 408. tab. aen. 24. Vol. IV. p. 365. tab. aen. 23. Vol. V. p. 364. tab. aen. 20. Vol. VI. p. 437. tab. aen. 22.

i. e.

Nouum et accuratum ſyſtema hiſtoriae naturalis; continens I. Hiſtoriam quadrupedum, II. auium, III. piſcium et ſerpentum, IV. inſectorum, V. aquarum, terrarum, lapidum, foſſilium et mineralium, VI. vegetabilium. Auctore R. BROOKES. M. D.

Niſi propoſitum eſſet nobis, de quibusque maioribus operibus, quae ad rem medicam et hiſtoriam naturalem pertinent, referre ad Lectores noſtros, plane praeterire hoc Cl. BROOKES ſyſtema potuiſſemus. Nam, ſi librum ex ipſa Auctoris profeſſione, quam in titulo deprehendimus, iudicemus, ſententiam non admodum fauentem de hoc inſtituto ferre poſſemus. Neque enim libro *ſyſtematis* nomen, nec nouitatis diligentiaeque laudem concedere poſſumus. Etenim probare non difficile foret, ordinem ſyſtematicum nullum ineſſe, res autem deprehendi ab aliis non ignoratas, nec in eo, quod dictum eſt, ſatis diligentiae adhibitum eſſe. Ordines enim et genera animalium plane non in ſyſte-

ſyſtematicum ordinem digeſta ſunt, ita vt v. c. homo
medium inter ſimiam et felem locum acceperit, et
quod ad ſpecies attinet, eae nullis ſyſtematis regulis
obſeruatis enumeratae ſint, vt ab Auctoribus aliis
petitae erant. Synonyma nulla collegit Auctor, ne-
que diuerſa a variis ſcriptoribus vni eidemque cor-
pori data nomina inter ſe comparauit, vnde factum
eſt, vt ſaepe eadem res bis aut ſaepius ſub aliis nomi-
nibus redeat. Figurae aeneae vel ex aliis Auctori-
bus deſumtae, vel ſatis ruditer expreſſae ſunt.

Continet primum volumen quadrupedum, am-
phibiorum, ranarum et lacertarum hiſtoriam. In
praefatione Auctor hiſtoriae naturalis ſcriptores ta-
xat, et de ſuis circa hoc ſtudium meritis gloriatur: Praef.
certiſſime, quidquid etiam alii de ſuo libro iudicent, p. 14.
hoc ipſi laudis deberi, quod diſciplinam hanc in
meliori ſtatu reliquerit, ac repererat eandem. Inter T. I.
quadrupeda propoſita commemorauit aliquam ſpe- p. 38.
ciem, quae ad bouinum genus ab eo refertur, et
quam bouem ſuillum (*Beeue Hog*) dicit. Hoc ani-
mal, in Angliam ex India orientali deportatum, mon-
ſtratum eſt cupientibus. Magnitudinem aſini ha-
bebat, quem tamen latitudine et craſſitie ſuperabat.
Color eius lacteus erat, cutisque non pilis ſed ſetis,
vt ſues, tecta erat. Cauda aſini caudae, caput vero
ſuillo quodammodo ſimile erat, habebat tamen cor-
nua duo introrſum verſa. Alio loco aliud animal p. 105.
Sucotario ab Auctore dictum occurrit, quod certe
ad fabuloſa referendum eſſe videtur. Inter anima- p. 197.
lia, quae ad caninum genus pertinent, occurrunt
etiam phoca, manati aliaque amphibia phocae affinia.

Secundo tomo de auibus agitur. Atque in hi-
ſtoria auium, quae cantu inprimis inſignes ſunt, paſ-
ſim modum nutriendarum earundem propoſuit.
Adiecit epitomen hiſtoriae auium, ex Linnaeano ſy-
ſtemate deſumtam, ſuo tamen more nomina LIN-

NAEI non cum iis, quae ille ipſe antea dedit, comparauit.

Tertium volumen non piſces et ſerpentes tantum, ſed et teſtudines, cruſtacea atque conchylia, continet. Quarto inſecta proponuntur. Erucas ſingulatim, non in papilionum hiſtoria deſcribit. In fine aliquae de inſectis Indiae occidentalis, apibus, cantharidumque et formicarum vſu medico, adiectae ſunt obſeruationes. In initio quinti voluminis aquae minerales in Anglia reperiundae breuiter recenſentur. Tunc de mineralibus agit, maximeque eas, quae ab aliis ſcriptoribus, qui Angliae foſſilia illuſtrarunt, collectae iam ſunt obſeruationes, proponit. A quibus ducibus quoties relinquitur, ſtatim intelligimus, delabi ipſum in errores, aut breuem admodum eſſe. Exempli loco illa capita adducere ſufficiat, in quibus de mineris in ſpecie agit.

Vegetabilium hiſtoria ſextum volumen explet. Non tamen omnes plantas, ſed eas tantum proponit, quae ob vſum medicum vel oeconomicum inſignes ſunt. Primum caput exoticas plantas continet, quae ſecundum partes, quae adhiberi ſolent, diſpoſitae ſunt. Sic enim de radicibus, corticibus etc. agit. Plantae indigenae alphabetico ordine proponuntur. Praemiſſa eſt huic volumini breuis introductio, in qua de botanices ſtudio in vniuerſum agit, ſyſtematicumque ordinem plane reiicit. *Cicutam* vllum in Anglia aegris attuliſſe fructum, negat.

XXII.

XXII.

Diſſ. inaug. de rubro ſanguinis colore. Praeſ. BALTH. IOH. DE BUCHWALD, Prof. P. O. in Acad. Hafn. et Dec. Fac. Med. Reſp. *Nicolao Niſſen Storm.* Hafniae, 1762. 4. pl. 6½.

Elegans haec et multo cum ſtudio conſcripta diſſertatio multa continet omnino digna, quae Lectoribus noſtris breuiter indicentur. Agitur vero in ea primum de ſanguine, eiusque colore in genere, deinde de cauſſa ruboris ſanguinis, tum de mutatione coloris ſanguinis a cauſſis externis, tandemque de mutatione coloris ſanguinis a cauſſis internis.

Ruber color conſtanter inhaeret ſanguini, dum integer manet, perit vero, quam primum ſanguinis compoſitio deſtructa eſt, vt itaque in partium, ſanguinem conſtituentium, combinatione omnino ruboris cauſſa poſita ſit. Cum vero rubor in ſanguine p. 10.
eam naturam habeat, vt a variis cauſſis externis vel clarior vel obſcurior fiat, in examine cauſſarum rubri huius coloris probe diſtinguendae ſunt eae cauſſae, quae ruborem ſanguinis viuidiorem tantum reddunt, a cauſſis, quae rubrum colorem ipſum producunt. Quapropter ii errant, qui cauſſam ruboris ſanguinis in aere, per pulmones recepto, in nitro aereo, vel in denſitate globulorum quaerunt, cum hae res omnes viuidiorem quidem colorem ſanguinis reddere, neutiquam tamen ruborem ipſum producere valeant. Licet quoque videri poſſit, eos, p. 15.
qui ex mutationibus coloris variorum corporum inter ſe mixtorum, v. c. ſulphuris et alcali etc. ruborem ſanguinis explicare tentant, propius ad veritatem accedere; tamen re paullo accuratius exami-

nata, apparet, hypotheſes eas minus firmis niti fundamentis.

p. 17. Aliam itaque viam Noſter ingreditur, atque ruboris ſanguinis cauſſam in ferreis particulis ſanguini admiſtis ponit. Ita vero hac in re demonſtranda verſatur, vt primo ex chemia ſupponat, metalla omnia et ſemimetalla, ſolo zinco excepto, tingendi facultate gaudere, ex his vero ferrum rubrum colorem vt plurimum producere, ita, vt quo plures particulae eiusdem pigmento inſint, eo ſaturatior color fiat, et vice verſa. Coloris vero rubri quatuor ſpecies exiſtunt, *ſcarlatinus* ſcilicet, *purpureus, au-*
p. 20. *rantius* et *obſcure ruber.* Hic vbi ſaturatior eſt, paullulum ad nigredinem accedit, exaltatus vero ſcarlatino ſimilis fere euadit. Atque haec ruboris ſpecies ferro propria eſt, et ab eo vt plurimum, ſi aliis particulis commiſcetur, producitur. Ipſa vero ſanguinis rubedo ad hanc ipſam ſpeciem referenda eſt, quapropter cum martiales particulae, vti ex chemico examine patet, ſanguini inſint, et ſanguis pro diuerſa particularum mixtione maiorem vel minorem gradum ruboris oſtendat, iam analogiae ductu concludere licet, ruborem ſanguinis a particulis martialibus cum oleoſis intime mixtis pendere.

p. 23. Cum vero in ſanguine ex vena fluente et virga agitato fibroſae membranulae generentur, omnis ruboris expertes, ac alia rubra pars remaneat: Noſter fibroſam et rubram partem ſeorſim cum nitro fixo calcinauit, atque ſolutioni reſiduae, aquae ope extractae, ſolutionem aluminis admiſcuit, eo euentu, vt in fibroſa parte nulla martis veſtigia detegeret, ex rubra vero coeruleum Berolinenſe oriretur.
p. 26. Porro etiam deſtillatione vſus vidit, in fibroſa parte ferrum nullum eſſe, ſed tantum partes eiusmodi, ex quibus ſal vrinoſus producitur, et oleoſas cum pauca terra apyra: contra in parte rubra deprehendi

hendi, praeter easdem ſubſtantias, quoque terram martialem, cui differentia coloris in vtraque parte obuia omnino tribuenda eſſe videtur.

Tertia diſſertationis huius ſectio de mutatione sanguinis a cauſſis externis agit. Explicat vero Noſter in ea varias illas coloris mutationes, quas ſanguis e vena miſſus ab admixtis peregrinis aliis experitur, quibus ſcilicet ſanguinis rubedo vel exaltatur vel obſcuratur. Rubedinem vero ſanguinis viuidiorem reddit aqua, conquaſſatio, et immediata aeris liberi in ſanguinem actio, vti inprimis experimentis Cl. CIGNA patet *). Aer enim, in ſuperficiem coaguli penetrans, particulas, ad quas pertingit, ſubtiliores reddit, et longius a ſe inuicem remouet, atque huic idem praeſtat, quod aqua, qua ſanguis diluitur, praeſtare ſolet. E contrario ſanguinis colorem obſcuriorem reddunt quies, qua particulae cruoris inter ſe arctius coeunt, ſeri ſeparatio et actio ignis vel aquae feruentis, quae ſanguinem cogit. Progreditur porro Cl. Auctor ad varias illas mutationes, quae in ſtatu ſano in colore ſanguinis fiunt, et ex iis, quae hactenus dicta ſunt, cauſſam diuerſi coloris ſanguinis arterioſi venoſique explicat, tandemque varia experimenta, quae ipſe circa actionem ſalium variorum in ſanguinis coagulum inſtituit, enarrat. p. 29.

In quarta ſectione de mutationibus coloris ſanguinis a variis morbis diſputat. Cum ſanguificatio a cordis et vaſorum actione pendeat, ea ipſa actione laeſa vario modo mutatur ſanguinis color in morbis. Has mutationes breuiter conſiderat, et ex auctoribus exempla varia collegit, quo appareat, quanti in morborum cognitione momenti ſit coloris ſanguinis e vena miſſi attenta obſeruatio. p. 42.

Kk 2 XXIII. SI-

*) vid. Comment. Vol. VIII. p. 591. ſeq.

XXIII.

SIMON PALLAS *Prof. der Chirurgie bey dem Königl. Preuſs. Collegio Medico-Chirurgico und erſten Wundarztes beym Charité-Hoſpital zu Berlin, Anleitung zur practiſchen Chirurgie, zum Gebrauch ſeiner Zuhörer bey ſeinen jährlichen Wintervorleſungen heraus gegeben. Berlin bey G. A. Lange.* 1763. 8. Alph. 1. pl. 1.

i. e.

Inſtitutiones chirurgiae practicae in vſum auditorum publicatae. Auctore SIMON PALLAS.

Cel. ille Berolinenſium Chirurgus, vti ex titulo libelli iam patet, breuem delineationem hic Auditoribus exhibet, cuius ductu operationes chirurgicas quotannis demonſtrare ſolet. Eo vero vtitur ordine, vt primo, breui introductione praemiſſa, de abſceſſibus et modo eos aperiendi, vulne-
p. 49. ribus in genere, ſuturisque agat. Occaſione ſuturae intortae ſimul quoque de operationibus chirurgicis, quae in facie inſtitui ſolent, v. c. labio leporino etc. diſputat. Deinde vulnera abdominis et gaſtroraphiam, poſtea thoracis vulnera et empyematis operationem conſiderat. Porro ad caput adſcendit, et de eius vulneribus, ac trepanatione diſſerit. Tum ad collum deſcendens de angina in genere, atque bronchotomia vulneribusque colli in vniuerſum verba facit. Tunc narium morbos, fiſtulam lachrymalem, cataractam, cancrum in vniuerſum et mammarum morbos examinat, operationesque chirurgicas explicat. Adiicit fiſtulam ani, hernias, paracenteſin, operationem hydroceles, caſtrationemque. Sequuntur viarum vrinariarum morbi,

morbi, retentio vrinae, catheteriſmus et peritonaei punctio, tandemque calculus veſicae et lithotomia. Agit deinde de paronychia, aneuryſmate, amputatione extremitatum. Finemque operis phimoſis, paraphimoſis, amputatio penis et operatio caeſarea faciunt.

In vniuerſum autem ea, quae tironibus ſcitu neceſſaria ſunt, illosque ad operationes feliciter inſtituendas ducunt, breuiter quidem, ſed bene, hic proponuntur, ita vt non tironibus tantum, ſed et aliis, libellus hic omnino commendandus ſit. In p. 292. cataractae operationis hiſtoria tantum de depreſſione diſputatur, extractionis vero deſcriptio deſideratur.

XXIV.

De morbo mucoſo liber ſingularis, quem nuper ſpeciminis inauguralis loco ediderunt IOANNES GEORGIUS ROEDERER, D. Archiat. Reg. Med. Anat. et Art. obſt. P. P. O. etc. et CAROLUS GOTTLIEB WAGLER, D. Theatri anatom. Gotting. nuper Profeſſor, Soc. Reg. Scient. Gotting. a Commerc. literar. adſcriptus. Goettingae, apud Victorinum Boſſigelium. 4. Alph. 1. pl. 4. cum tab. aen. III.

Obſeruationes huius morbi epidemici coniuncto ſtudio Cl. ROEDERERI et Cl. WAGLERI collectae ſunt, elaborationem vero huius operis tantum WAGLERO debemus, qui iam anno 1762 hoc edere incepit, attamen anno 1765 demum id confecit. Tres ſectiones conſtituunt hanc diſſertationem, morbi mucoſi generaliora, eius ſpecies atque hiſtorias declarantes.

p. 1. *Sectio prima morbi mucoſi generaliora* tradit.
Epidemiarum generalis ratio maximopere ab aere
pendet, ſaepe contagioſa fit, ſaepe in alium mor-
bum tranſit. Epidemia enim dyſenterica, quae
anno 1760 ab auguſto ad nouembrem vsque graſ-
ſata eſt, cui ſaepe acceſſit febris vel erratica, vel
acuta, vel maligna, et morbum vel leuiorem, vel
grauiorem reddidit, vel in febrem lentam mutauit,
p. 9. tandem in morbum mucoſum tranſiit. Ex ſtatu
aeris et tempeſtatum, a iulio 1760 vsque ad ſeptem-
brem 1761 obſeruato, quem hic recenſet Cl. Au-
p. 15. ctor, conſtitutionis epidemicae ſingularis ratio, cum
morbis cognatis et coaeuis, a iulio 1760 ad hiemem
1761 et 1762 vsque, magis declaratur. Etenim
febres intermittentes, iulio 1760 graſſantes, ſenſim
excitabant hydropem, vel dyſenteriam. Infantes
ſeptembri laborabant diarrhoea cum tuſſi; octobri
intertrigine, cum exulcerationibus cutis, ſcabieque
ſaepe lethali; nouembri intertrigine cum aphthis,
tandem accedebat epidemia mucoſa, ſenſim incre-
ſcens, ac ianuario varia producens ſymptomata, vt
gingiuarum dolores cum aphthis, intertriginem gan-
graenoſam, ophthalmiam, rhachitidem cum phthiſi
abdominali; februario haec mutabatur in febrem
blioſam, interdum putridam; martio in febrem pe-
techialem, inflammatoriam, poſtea in icterum; aprili
in febres intermittentes vernales benignas; menſe
maio febris mucoſa tranſiit in intermittentem ve-
ram; aeſtate in gelatinoſam, tandem in varioloſam;
auctumno redierunt febres intermittentes, ſed pe-
ioris erant indolis, quam vernales; hieme 1761-
1762 ſaeuierunt variolae, pleuritides et peripneu-
moniae, nondum deletis morbi mucoſi veſtigiis.
p. 19. Perpenſa poſtea cognatione dyſenteriae et morbi
mucoſi, ratione ſedis, ortus, ſymptomatum eſſen-
p. 20. tialium, nec minus vtriusque morbi analogia cum
febri-

febribus intermittentibus explicata, et morbi mu- p. 25.
coſi cognatione cum ſcorbuto disquiſita, Cl. Auctor
cauſſas morbi mucoſi examinat. Epidemica aëris p. 26.
conſtitutio ac tempeſtas humida ſunt eius cauſſae
vniuerſales; viſcerum varia valetudo chronica et
procliuitas ad febres intermittentes vel naturalis,
vel acquiſita, ad praediſponentes cauſſas pertinent;
diaetae errores, victus durus obſtruens, panis penuria, vſus carnium corruptarum, defectus victus
vegetabilis, potus ſpirituoſus, aqua impura, immundities, exhalationes cadauerum atque carbonum,
inopia ligni, frequentia hominum, et noſocomia,
fuerunt cauſſae occaſionales remotiores; propiores
proficiſcebantur ab animi affectibus, commercio
cum aegris, morbis chronicis, vulneribus. Natura p. 31.
et formae morbi mucoſi ita ſe habent, vt vberior
adſit muci ſecretio in omnibus folliculis, ac ſaepe in
ventriculo et duodeno muci lacunae, iconibus hic
illuſtratae, conſpiciantur, totumque hepatis parenchyma ſit acinoſum, vti ex icone adiecta apparet.
Ab hoc vitio hepatis et bilis inertia oritur morbus
ſimpliciter mucoſus, qui accedente acredine verminoſus redditur; congeritur bilis in inteſtina et ſenſim producit morbum bilioſo-mucoſum, eumque,
ibi putreſcens, in putrido-mucoſum mutat. Interdum in hac epidemia acceſſit inflammatoria indoles,
quae putredinis vi morbum, ex inflammatorio, reſolutorio, et mucoſi veſtigiis reſiduis mixtum, ſaepe
ad petechias procliuem fecit. Tranſiit morbus p. 35.
mucoſus vel in morbum epidemicum lymphaticum
et gelatinoſum, non in ſingulis tantum aegris, ſed
in ipſius etiam epidemiae decurſu, vel critice ad
pulmones ſe conuertit in variis aegris, epidemia
vero ipſa partim in variolas, partim in pleuritidem
et peripneumoniam tranſiit.

p. 38. *Sectio ſecunda morbi mucoſi ſpecies* exponit, quarum inprimis quatuor primariae ſunt, *chronica*, *acu-*
p. 40. *ta*, *lenta*, *acceſſoria*. *Prima morbi mucoſi ſpecie chronica* affecti appetitum amittunt, plurimi reiiciunt vermes ore et aluo, mortuos, raro viuos, inter quos, praeter lumbricos, peculiare genus obſeruauit Cl. ROEDERER, quod, propter caudam capil-
p. 41. larem, *trichuridum* nomine deſcripſit. Duae inprimis earum ſunt ſpecies, *recta*, aſcaridibus ſimilis, excepta cauda et mole, alba, flaccida, et *curua*, in lineam ſpiralem contorta, cinerea, rigida, elaſtica; vtraque ſpecies icone adiecta ſiſtitur. Cum trichurides ſemper in coeco commorentur, et nunquam BAUHINI valuulam transgrediantur: vix, vti lumbrici, qui inteſtinis tenuibus inhaerent, per os reiiciuntur. Vermes quidem non morſu aut vellicatione nocent, cum rictu et organis mordentibus non inſtructi ſint, ſed potius, vti Cl. Auctor putat, ſola irritatione ad inflammationes diſponunt, nutrimentum corpori detrahunt, inteſtina obſtruunt, ſaepe febriculam excitant, modo nocturnam et matutinam, modo ephemeram, anomalam, quam ſol-
p. 47. uit varia criſis. Haec prior ſpecies morbi mucoſi ſoluitur excretione mucoſa vel purulenta critica, vt diarrhoea mucoſa, tuſſicula humida cum reiectione muci, vomitu mucoſo, fluore albo, catarrho narium, exanthematibus, vlceribus oris, aphthis, vermium excretione, cet. Vomitoria, inprimis nauſeoſa, maxime ſunt adhibenda; ſtimulantia nocent. Mercurium viuum, ſaccharo ſubactum, nec minus mercurium dulcem cum camphora mixtum, ſi febris leuis erat, cum vtilitate dedit Cl. Auctor. Methodus antidyſentericae analoga in omnibus huius morbi ſpeciebus maxime efficax fuit, ac ſuadenda.

Tranſiit

Tranſiit vt plurimum morbi mucoſi ſpecies prima in *ſpeciem ſecundam*, *febrilem*, vel benignam, vel malignam. 1) *Febrem mucoſam benignam*, quae graui incipiebat horrore, comitabatur ſitis ingens, dolor capitis, appetitus laeſio, conatus vomendi, alui obſtructio, tuſſis ſpaſtica, ſicca; ſanguis e vena miſſus cruſta alba obtegebatur, reſpiratio difficilis erat, vires deprimebantur, accedebant deliria, excoriatio oris interni, aphthae. Febris mucoſa acuta, et benigna, et maligna, plurimis excretionibus criticis imperfectis ſoluebatur, inprimis ſudoribus nocturnis acidis, vomitu mucoſo, bilioſo, vrina alba, muco graui, ramentoſo, flauo inquinata, vlcuſculis aphthoſis linguae, gingiuarum tumore, puſtulis, in variis partibus erumpentibus, iisque interdum ſcabioſis, interdum diarrhoea mucoſa; nonnunquam ſeptimo vel vndecimo die febris regrediebatur, ac ceſſabat haemorrhagia narium, diarrhoea, ſedimento lacteo vrinae, pedum oedemate. Saepe critico modo alius producitur morbus, v. c. icterus, artuum dolores vel tremores, raucitas, ophthalmia, aſcites, cet. Si criſis externa non accidit: vlcus vel ſcirrhus pulmonum, vel peripneumonia inteſtinorumue gangraena aegros interficit. Tum requiruntur euacuantia lenia, omittatur venaeſectio, dentur ea remedia, quae in dyſenteria ſolent adhiberi, inprimis laxantia cum opiatis iuncta, demulcentiaque nauſeoſa, vt mannata et oleoſa cum ipecacuanha; minus commendanda ſunt in hoc morbo rheum, reſoluentia ſalina, antimonialia, mercurialia, cet. Camphora tum optime exſerit vim anthelminticam, antiſpaſmodicam ac diaphoreticam; ab antiphlogiſticis, nitroſis, acidis, inprimis mineralibus, morbus augetur. Veſicatoria, clyſmata demulcentia, cortex Peruuianus, extracta amara, et reliqua roborantia ſemper vtilitatem inſignem attulerunt.

p. 50. p. 54. p. 57.

 2) *Febris*

p. 61. 2) *Febris mucoſa recidiua* oritur ex vitio viſce-
rum, vel neglecta diaeta, vel vermibus, qui rurſus
ad duodenum et ventriculum ſe conferunt.

p. 63. 3) *Febris mucoſa acuta maligna* duplicem ſpeciem
conſtituit, alteram *billioſam et putridam*, alteram *be-
nignam impuriorem*, et *febris acuta verminoſa* inter
vtramque ſpeciem medium occupat locum. Quippe
quae ſimili modo, vt morbi caſtrenſes, loca impu-
ra, pauperum tabernas, inprimis noſodochia inua-
ſit, adultos praeſertim afficiens, incerto ceſſans
tempore, et aegros plerumque vel gangraena ne-
cans abdominali, vel peripneumonia, interdum
phthiſi. Graues artuum dolores huic morbo mu-
coſo maligno proprii ſunt, praecedente laſſitudine,
p. 67. pica, moerore. a) *Febris mucoſa acuta maligna
bilioſa, putrida, ſoporoſa* ſubdolum ſemper initium
habet, languent aegri, ſentitur dolor capitis cum
vigiliis, ſitis, vomitus mucoſus, bilioſus, dolores
artuum, virium proſtratio, alui obſtructio; quarto
die criſis praecipitata, v. c. haemorrhagia narium,
diarrhoea, vrinae ſedimentum, cet. morbum ad
tempus lenit. Irruit vertigo, delirium, erumpunt
petechiae rubrae, niſi frequens ſit diarrhoea, fran-
guntur vires, reſpiratio anxia eſt, donec die vice-
p. 72. ſimo primo morbus lenta criſi ſuperatur. b) *Fe-
bris mucoſa, acuta, maligna, inflammatoria* curari ſo-
lebat, ſi die ſexto petechiae erumpebant, vel deli-
rium aut furor accedebat, quem vt plurimum ſe-
quebatur defluxus catarrhalis, ſiue vomitus muco-
ſus, et vermium eiectio; ſin autem vena non ſeca-
retur poſt alui obſtructionem, per ſeptem dies per-
peſſam, lethalis erat. –

p. 77. *Tertia morbi mucoſi ſpecies, lenta*, aggrediebatur
plerumque infantes a ſecundo ad decimum quar-
tum annum, eos inprimis, in quibus initio hiemis
p. 78. ſcabies ſuppreſſa erat. Haec vel *leuior* erat, cum parua
febri-

febricula et aphthis lactentium, ac diarrhoea, oedemate pedum, aut puſtulis ſcabioſis diſſipabatur; vel *lethalis* in phthiſicis, pauperibus, male nutritis, atque *duplicem* ſiſtebat *ſpeciem*, *primam*, vbi febris continua longa multo magis conſpicua, et induciae inter hanc et ſequentem febrem lentam magis euidentes, atque aphthae vt plurimum carcinomaticae erant; *alteram*, vbi ſubdola febris longa erat, et leuior apyrexia febrem lentam a febre longa disiungebat, qua inprimis ii afficiebantur, qui ſcabiem ſibi repreſſerant. p. 81. p. 85.

Quarta morbi mucoſi ſpecies, *acceſſoria*, aliis morbis primariis, et chronicis, et acutis, ſe coniungit, eosque grauiores reddit, vt aegrum vel cito interficiant, vel eum in phthiſin lethalem coniiciant. Si grauiditati accedebat, abortus cauſſa fuit, vel partus praematuri, et puerperae plerumque gangraena abdominali, inteſtinorum, vel vteri peribant, ipſeque foetus, ſemper mortuus, morbo matris affectus conſpiciebatur. Interdum morbus mucoſus cum grauiditate et morbo chronico coniunctus eſt. Illum cum puerperio mixtum eſſe, cognoſcimus ex aphthis mammillarum dolentibus, ſymptomatibus pleuriticis, ſiti, diarrhoea, tumore mammarum, et oedemate pedum. Si vulneribus additur, haec vt plurimum lethalia fiunt, vel febris lenta inducitur, inprimis vulnera abdominalia facile gangraena corripiuntur. Morbus mucoſus cum hydrope coniunctus breui tempore indolem febris mucoſae lentae induit; cum phthiſi mixtus producit oedemata pedum, exanthemata ſcabioſa, aphthas, fluxum ventris colliquatiuum, et ſudores. Si affectui hypochondriaco et colicae accedit, id, quod preſſio zonae coli dolorifica prodit, excretione aluina mucoſa diſſipatur, cui ſubſequitur catarrhus. Si cum malo hyſterico combinatus eſt, ſitis, diarrhoea frequens, p. 88.

quens, animi deliquia, vomitus bilioſus, puſtulae
aphthoſae linguae, tuſſicula, aegros vexant. Malum
venereum, cui morbus mucoſus accedit, nullis fere
remediis tollendum eſt, ſed tandem per phthiſin
neruoſam lethale fit.

p. 95. *Sectio tertia morbi mucoſi hiſtorias deſcribit.*
Hiſtoria 1. *de febre mucoſa benigna* tractat. Femina
enim 40 ann. diarrhoea mucoſa chronica cum febre
veſpertina laborans, incidit tandem in febrem mu-
coſam benignam, cum aphthis oris, et poſt egreſ-
ſum lumbricum viuum ex ore, vrinae ſedimentum
mucoſum, ſudores acidos et diarrhoeam, die decimo
p. 102. quinto conualuit. *Hiſt.* 2. *de febre mucoſa benigna*
infantis 11 ann. agit, qui ore eiecit lumbricos, et
multis ſudoribus, atque vrina ſedimento albo mu-
coſo inquinata, intra tredecim dies morbum expulit.
p. 104. *Hiſt.* 3. *de febre mucoſa benigna puellae ſeptennis, cum*
typo tertiano diſſeritur, cui acceſſit vomitus, inflatio
abdominis, dolor pungens pectoris, dolor capitis
artuumue; ſumto emetico febris acerbior facta eſt,
et aphthae eruperunt cum ſudore copioſo, eua-
cuata vero materia mucoſa flauo viridi per aluum,
p. 107. intra 17 dies ſanitatem recuperauit aegra. *Hiſt.* 4.
de febre mucoſa acuta recidiua, in febrem intermittentem
quotidianam transeunte narratur, qua femina 38 ann.
vexabatur, poſt ſudores ac vrinam mucoſam die
p. 112. decimo tertio plane ſanata. *Hiſt.* 5. *febris muco-*
ſa acuta perpenditur, *quae ſanata denuo tranſiit in*
morbum inflammatorium benignum, qua vicenaria vir-
go afflicta eſt, quae habuit dolores capitis, ventri-
culi et coli, vomitus ſeroſos, puſtulas, furunculos,
vrinam cum ſedimento lacteo ramentoſo, ſed nono
die reſtituta ex diaetae vitio in febrem inflamma-
toriam incidit, et poſt ſimilem criſin vrinae lacteae
p. 117. ramentoſae 37mo demum die conualuit. *Hiſt.* 6.
mentio fit *de febre mucoſa, erratica, cum phaenomenis,*
pleuri-

pleuriticis ſimilibus, qua puer 12 ann. correptus eſt. Aderat enim dolor infimi ventris, capitis, pectoris in latere dextro, vomitus mucoſus, papillae fungoſae linguae, tuſſis, ſputum cruentum, reiecto autem muco craſſo per tuſſim, aeger nono die ſanatus eſt. In *Hiſt.* 7. *febris mucoſa benigna, cum exanthematibus* p. 119. *purpuraceis* deſcribitur, vbi ſexto die accedebant dolores thoracis et colici, paulo poſt aphthae et gingiuarum dolor, ſalinum laxans vero cum manna, et pulueris ſalis ammon. et ſalis mirab. GLAUB. continuatus vſus, aegram die decimo tertio reſtituerunt. *Hiſt.* 8. *febris mucoſa ephemera, ſiue acutiſſima* iuuenis p. 122. 23 ann. recenſetur, cum doloribus artuum et capitis, ſiti ingenti, aluo clauſa, vomitu mucoſo, quem emeticum, emulſio ialappina, et decoctum radicis gentianae quarto die a morbo liberauit. In *Hiſt.* 9. p. 123. *febrem mucoſam acutam continuam, cum malignitate* virginis vicenariae indicat Auctor, quae ſimul diarrhoea frequenti, vomitu, et vrina, mucoſis, interdum alui obſtructione pertinaci, grauiter afflicta, venaeſectionibus, vomitoriis, laxantibus et corticis Peruuiani vſu, tandem die 22 conualuit. *Hiſt.* 10. p. 129. *febrem acutam, mucoſam, bilioſam, ſanatam* concernit, qua virgo 20 ann. laborauit, cuius quidem ſubdolum fuit initium, at ſenſim acceſſit tuſſicula ſicca, frequens deſidendi ſtimulus, dolor artuum cum fractis viribus, phantasmata, ſudor foetens, aurium ſuſurrus, excretio aluina putrida; die 12mo excrementa mucoſa erant, ſtupor ſentiebatur, ſtrepitusque laryngis, ſordibus obducebantur artus, atque vlcus in regione oſſis ſacri et ad trochanterem maiorem oriebatur, donec ope corticis Peruv. vlcera ſenſim depurata, ac ſanitas die triceſimo reſtituta eſt. *Hiſt.* 11. *febrem mucoſam acutam, ex maligna* p. 137. *intermittentem* iuuenis vicenarii tradit, qui affectus eſt vomitu bilioſo, doloribus imi ventris, diarrhoea

mucoſo-ſanguinea, dyſuria, teneſmo, dolore pungente in thorace, copioſo ſudore, vrina cum ſedimento albo, ac tandem morbus muci excretione
p. 141. per aluum intra 14 dies plane ſuperatus eſt. *Hiſt.* 12. *febrem mucoſam, acutam, inflammatoriam* feminae 34 ann. ſiſtit, magno horrore, vomitu et ſiti incipientem, cum pectoris doloribus pungentibus, inter quos nonnulla catameniorum veſtigia ſe oſtendebant, deliriis grauiſſimis, anxietatibus, reſpiratione difficili; attamen vomitus mucoſae materiae et lumbricorum anxietates ſedauit, ac muci reiectio
p. 144. per tuſſim morbum intra 12 dies ſuſtulit. *Hiſt.* 13. *febris mucoſa ſoporoſa ſanata* quadragenarii commemoratur, in qua ingens fuit ſitis, anxietasque praecordiorum, lingua muco albo obducta erat, ſindebatur cum dolore, acceſſit capitis dolor ſoporoſus, vomitus materiae mucoſae, fuſcae, bilioſae, ſopores, ſudores, aurium ſuſurrus, ſedimentum vrinae album, furfuraceum; ceſſarunt ſenſim ſymptomata haec, et aeger die 23 rurſus ſanitatem recu-
p. 149. perauit. *Hiſt.* 14. *febris mucoſa ſoporoſa lethalis* proponitur viri, 37 annorum, qui doloribus artuum, ſpaſmis lumborum, ſiti magna, dolore capitis inſigni affligebatur, materiamque mucoſam euomebat; accedebant ſenſim linguae ſiccitas, vertigo, phantaſmata, cephalalgia vertiginoſa, dolores infimi ventris, ſudores, deliria, haemorrhagia narium, aurium ſuſurrus, ſumma debilitas, caligo oculorum, conuulſio artuum ſuperiorum in ſopore, vrina cruda, ſubſultus tendinum, faciei intumeſcentia, ſopor, conuulſiones, ſingultus, et aeger die 14 moriebatur.

p. 155. Tredecim poſtea commemorantur *ſectiones febre mucoſa acuta defunctorum*, e quibus Cl. Auctor notas characteriſticas ſingularum huius morbi ſpecierum detexit. Etenim ſpeciem acutam diſtin-

guit

guit a lenta corpus nondum emaciatum; labes vi-
ſceris inueterata ſpeciem acceſſoriam a morbo mu-
coſo ſimplici dignoſcit. In *ſpecie ſimpliciter acuta* p. 160.
conſpicitur hepatis ſubſtantia diſtincte acinoſa, lien
paululum inflatus, inteſtina hinc illincue inflam-
mata, contracta et muco obducta, tenuia lumbricis
referta, craſſa trichuridibus. In *ſpecie acuta maligna,* p. 161.
putrida, corpus inclinat in celeriorem putredinem,
viſcera vt et cruor in vaſis maioribus reſoluta ſunt,
ventriculus et inteſtinum coecum gangraena affici-
untur. *Species inflammatoria* cognoſcitur ex cutis ex- p. 162.
anthematibus et viſcerum abdominalium inflamma-
tione. In omnibus praeterea cadaueribus erat ab-
domen ab extrauaſato vel ſero, vel liquore ſangui-
nolento, magis minusue repletum, glandulae meſa-
raicae vt plurimum obſtructae, durae, inflammatae
aut ſcirrhoſae; hepar plerumque inſigne volumen
habuit, et exterius, et in ipſo parenchymate, aci-
noſum erat; veſicula fellea bile, modo mucoſa,
modo tenui, plena; lienis interdum maxime tumi-
di ſubſtantia reſoluta apparuit, ſaepe maculis albis
purulentis referta, nonnunquam gangraenoſa; pan-
creas induratum; ventriculi ſuperficies, inprimis
ad curuaturam paruam, inflammata erat, interdum
eius media pars conſtricta, tunica villoſa inflammata,
ad pylorum cinerea viſa eſt, craſſa, et folliculis mu-
coſis planis ac papillis fungoſis obtegebatur. Inter
rugas duodeni, muco obducti, plurimi conſpicie-
bantur folliculi mucoſi, quorum orificia punctis ni-
gris notata erant. Inteſtina tenuia inflammata,
materia bilioſa mucoſa, vel lumbricis repleta, hinc
illincue gangraenoſa, reperiebantur; in nonnullis
voluulus; inteſtina craſſa, quorum tunica interna
arroſa eſcharisque obtecta erat, trichuridibus, ma-
teriaque atra, tenui, replebantur. In cauo pecto-
ris ſerum plus minusue effuſum erat; pulmones

vt

vt plurimum pleurae accreti, inflammati, purulenti, calculoſi, ſaepe ſcirrhoſi inueniebantur. Glandulae bronchiales nigrae, induratae, magnae; ad bifurcationem tracheae calculi varii haerebant. In trachea et bronchiis muci copia aderat, inflammatio, rigiditas; liquor pericardii rubellus plerumque copioſe adfuit, cordis ventriculi in plurimis polypo referti erant. Glandulae ſaliuales durae et acinoſae; thyroidea dura et inflammata. Trium tabularum aenearum, quae adiiciuntur, *prima* ſiſtit in figura 1. 2. 3. folliculos mucoſos, in ſuperficie interna ventriculi et duodeni diſſeminatos; in *ſecunda* depinguntur folliculi, qui foueas medias occupant; *tertiae* fig. 1. exhibet ſubſtantiam acinoſam hepatis; fig. 2. eſcharas ad ſuperficiem internam coli ſiniſtri; fig. 3. folliculos in ieiuno; fig. 4. vermis ſpeciem *rectam*, aſcaridibus non diſſimilem, et eiusdem ſpeciem *curuam*, in lineam ſpiralem contortam.

XXV.

Dell' acque di Recoaro e delle regole concernenti il lor uso diſcorſo D'ORATIO MARIA PAGANI d' Arzignano. in Vicenza appreſſo Antonio Veroneſe 1761. 8 mai. pl. 5.

h. e.

De medicatis Recobarii aquis, et methodo iis vtendi diſſertatio, Auctore Cl. PAGANI.

Has aquas acidum minerale ſulphureum ſeu vitriolicum, nec non ferrum et terram calcaream continere, et haec principia ea ratione vnita eſſe Cl. Auctor aſſerit, vt nec calore nec aliis admixtis turbentur. Examine chemico autem eliciuntur vitriolum martis et ſal calcareum medium,

quod

quod Cl. BECCARI ſeleniticum dicit *). Poſt plenariam euaporationem ochra cum terra calcarea mixta, et tandem haec pura obtinetur; ſi vero quodammodo euaporata ad cryſtalliſationem reponitur, ſal Epſonienſi ſimile (mirabile GLAUBERI) colligitur. Cum etiam aqua per ſtrata carbonis foſſilis tranſeat, bituminoſi quid recipit, ſpiritum tamen mineralem ſubtiliſſimum in ea reperiri negat Cl. Auctor **).

His breuiter expoſitis, ad aquae ſimplicis virtu- p. 10.
tes indicandas ſe confert Noſter, et frigidae inprimis virtutes *diluentes*, *attenuantes*, *corroborantes*, *demulcentes*, *cardiacas* et *anodynas* adſcribit, et has a
ferri, ſalis medii et bituminoſis particulis in aquis p. 16.
medicatis augeri oſtendit. Vſum itaque earundem p. 21.
in hypochondriacis et hyſtericis ſpaſmis, in defectu menſium et aliis morbis, in quibus fluida ſpiſſa, vigore ſolidorum ſimul reſtaurato, reſoluenda ſunt, maxime commendat. Licet autem omnes morbos, a Cl. Auctore adductos, repetere nequeamus, vnico tamen exemplo oſtendamus, quo vsque extendat
harum aquarum effectus. Illae enim in venerea p. 30.
labe a multis vel inutiles vel noxiae pronunciatae ſunt, Noſter autem maxime ſalutares eas iudicat, cum fluida prorſus immutent, attractiones morboſarum particularum tollant, et circulo humorum libero reddito omnem corruptionem auertant, porro decocta ex guaiaco et ſaſſaparilla et mercurialia medicamenta, quae venereo morbo opponuntur, in actione ſua iuuent.

Dum

*) vid. Comment. noſtr. Vol. V. Part. II. p. 307.

**) Experimenta a Cl. IO. ARDUINO facta ſunt. Conf. Nuova Raccolta d' opuſcoli ſcientifici cet. Tom. VI. p. 113. et Comment. noſtr. Vol. X. Part. III. p. 527.

p. 37. Dum ad methodum his aquis vtendi deſcribendam ſe confert, non tantum normam a multis nimis accurate praeſcriptam, ſed et diaetam nimis ſelectam improbat, et eum tantummodo in genere victum diſſuadet, qui cauſſas nouas morborum infert, v. c. nimis rancidum et viſcidum. Quamobrem carnes molles bonae notae, vegetabilia leni aromatica vi praedita, nec non ea, quae cum oleo et multo aceto praeparantur, immo fructus horaeos non reiiciendos eſſe autumat, vſum quoque lacticiniorum in prandio et coena concedit. Vini generoſi moderatum potum et chocoladam et coffeam foeminis etiam tenerioribus, vtpote his aſſuetis, cum vſu aquarum denegari poſſe negat.

p. 58. Tempus his aquis vtendi ad calidam tempeſtatem, inter menſem iunium et ſeptembrem, non reſtringit, ſed in frigidiſſima quoque et humida tempeſtate hauſtas profuiſſe narrat. Et licet conſuetudinis ſit, a duabus libris incipiendo ad ſex vſque, nec vltra aſcendere, oſtendit tamen, morborum rationes ſaepius exigere, vt decem immo duodecim librae hauriantur. Neque vſus earum tantum quindecim vel viginti diebus definiendus, ſed, dum-
p. 63. modo aegri ferant, vlterius eſt extendendus. Cum etiam alii tenerae aetati vſum aquarum medicatarum non concedant: Cl. Auctor exempla quarundam curationum proponit. In puella ſex circiter annorum, erratica febre, ex vitiis primarum viarum orta, et in infante vnius anni ex ſimili cauſſa aegrotante, aquae hae tanto cum fructu adhibitae ſunt, vt actione viſcerum reſtituta languor penitus diſſiparetur. Et grauidae his vti poſſunt, inprimis illae, quae, licet facile concipiant, ob laxa et imbecillia corpora in abortum maxime procliues ſunt.

Operatio autem harum aquarum in primas vias adeo certa eſt, vt inter praeſtantiſſima purgantia referri poſſint, nec opus ſit in eorum vſu alia purgantia medicamenta praemittere aut interponere. Licet enim iis minus prodeſſe aſſerunt nonnulli medici, in quibus non protinus per inteſtina et vrinae vias transeunt, cum particulae admixtae retineantur et noxam corpori afferant: Noſter tamen et per vias, ſenſui non adeo obuias, eas transire contendit. Praecipui nimirum harum aquarum effectus ſunt: aequalis ſanguinis diſtributio, alimentorum facilis elaboratio, lentoris humorum reſolutio, virium corporis inſtauratio et ſpirituum excitatio, excretionum optimus ſucceſſus. Sub finem etiam ſomnum meridianum cum aquarum vſu eodem modo vtilem iudicat, vti refrigerium aeris veſpertini, in quibus omnibus nos mentem Cl. Auctoris indicauimus, iudicium vero de methodo aquis mineralibus vtendi Lectoribus noſtris permittimus.

p. 68.
p. 72.

XXVI.

An Experimental Hiſtory of the Materia Medica, or of the natural and artificial ſubſtances made uſe of in medicine: containing a compendious view of their natural hiſtory, an account of their pharmacevtic properties, and an eſtimate of their medicinal powers, ſo far as they can be aſcertained by experience, or by rational induction from their ſenſible qualities. By WILLIAM LEWIS. M. B. F. R. S. London printed by H. Baldwin, for the Author; and ſold by R. Willock, 1761. 4 mai. 3 Alph. 12 pl. c. praefat.

i. e.

Experimentis illuſtrata hiſtoria materiae medicae ſiue corporum naturalium artificialiumque, quae in medicina adhibentur: continens eorum ſuccinctam ex naturali hiſtoria conſiderationem, proprietatum pharmaceuticarum recenſionem et virtutum medicarum contemplationem, quatenus experientia aut ratione ex qualitatibus euidentibus confirmantur: Auctore GUILIELMO LEWIS.

Quo ordine corpora naturalia in materia medica commode disponi poſſint, in tanta eorum copia et diuerſitate viris doctis ſaepe moleſtum fuit; quare Cl. Auctor ordinem reliquis omnibus praetulit alphabeticum, et res conſiderandas ita propoſuit, vt ad tria primaria ſemper reſpexerit momenta, quae quidem naturalem, medicinalem, et pharmaceuticam concernunt hiſtoriam. Itaque quae praecipue ad naturalem medicamentorum ſimplicium pertinent hiſtoriam, ea ita pro rerum tractandarum ratione exponuntur, vt nomen latinum praemittatur; poſt ea pharmacopoea quaedam, in qua inuenitur, vt Londinenſis, Edinburgenſis, Pariſina referatur; deinde alia quaedam apud Auctores occurrentia citentur nomina, tandemque anglicum tradatur; tum ipſe eorum habitus externus et quomodo ex variis characteribus cognoſci et ab aliis rebus ſimilibus diſtingui poſſint, deſcribitur, terrae regionesque, quae praecipue eiusmodi ſimplex proferunt medicamentum, indicantur, modus colligendi, conſeruandique enarratur, ac ſpecies, ſi plures exiſtunt, notantur. Quae cuncta in rerum ſimplicium deſcriptione tam regni vegetabilis, quam anima-

animalis et mineralis obſeruantur, prouti mox cuilibet ex abſinthii, pulegii, rhabarbari, argenti viui, vitrioli, caſtorei caeterorumque deſcriptione apparebit. Cum vero plura rerum naturalium occurrant corpora, et varia praecipue ex eis producta, quae characteribus externis ſuis non ſatis diſcernenda ex proprietatibus internis ope chemiae aut pharmaciae diiudicari debeant, variis vel ab Auctore ipſo vel ab aliis captis experimentis criteria, quibus cognoſci poſſunt, eruuntur. Hanc quoque ob rationem cum naturali ſimplicium hiſtoria coniungitur pharmaceutica, vtpote qua partes eorum deteguntur conſtitutiuae, et quomodo eae variis menſtruis ſolui, ſeparari, iterumque componi, ac cum aliis miſceri, indeque noua mixta praeparari queant, demonſtratur. Horum autem ex ſimplicibus praeparatorum rationem et vſum ita conſiderat et tradit Auctor, vt quae prae reliquis in variis ex variorum auctorum obſeruationibus adhiberi poſſint morbis, referat, prouti exemplo eſſe poſſunt antimonium, nitrum, caeteraque. Hanc excipit ipſa medicinalis hiſtoria, quae in primis vires et effectus medicamentorum in corpore humano explicat ideoque artis ſalutaris pars eſſe videtur primaria; nihilo tamen minus ea, vt olim ob varios errores, ſic noſtris temporibus ob defectum obſeruationum fide dignarum, eſt admodum manca atque imperfecta. Cum enim neque examine chemico, neque charactere aliquo externo, vti in aliis rebus fieri ſolet, ſenſus noſtri determinari certo poſſint, quae ſint medicamentorum vires, vel quo in morbo ea conducant, inde etiam eo maiore cum cautione hic agendum erat. Atque licet multis in rebus, in primis vero in vegetabilibus, ſenſus noſtri, et inter eos guſtus et olfactus, aliquid de eorum qualitatibus demonſtrent, ideoque etiam ex ſapore atque odore quaedam

aſſumſerit Auctor, licet etiam plura ex chemiae pharmaceuticae variis operationibus praeparationibusque cognoſcantur, ipſi tamen experientiae hac in re tribuendum erit plurimum. Quare Cl. Auctor cuncta haec contemplatus, primarios medicamentorum annotauit effectus, nec niſi ſingulares quosdam morbos, vbi vel auxilium afferunt, vel excitant damnum, retulit.

XXVII.

Noua phyſico-medica.

Regia Scientiarum Academia *Burdigalenſis* in conventu, quem nuper die 25 menſis auguſti huius anni celebrauit, praemium, quod problemati praeparandae lanae, vt ab inſectorum morſu tueatur *) propoſuerat, tribuit LAZARO SIEUVE, Mercatori Maſſilienſi.

De ſcriptis autem, quae ſuper altero problemate **), quod nouarum plantarum, hominum nutrimento aptarum, inueſtigationem inuentionemque exegerat, Academia accepit, nondum ſententiam tulit, ſe vero in proximo conuentu laturam eſſe declarauit.

Eadem vero Academia conſultius duxit, eruditis longius concedere temporis ſpatium, ad inquirendam et deſcribendam indolem earum quæſtionum, quas huic, quem agimus, anno deſtinauerat. Commentarii quidem de iis traditi ſunt Academiae, ita vero conſcripti, vt exſpectationi eius minus reſponderent. Terminus itaque, intra quem ſuper vtraque commentarii ad Academiam mitti poſſunt, nunc prolongatus eſt vsque ad annum 1768. Alterum problema ſpectat indolem, praeſeruationem et curam morbo-

*) vid. Comment. hor. Vol. IX. p. 697. Vol. XII. p. 165.
**) ibid.

morborum epidemicorum, qui e ſiccatis paludibus oriuntur: alterum vero cauſarum indagationem diverſarum coagulationum *).

In iis vero quaeſtionibus, quae ad ſequentem 1767 annum pertinent, omnino nihil mutatum eſt: quas igitur, quum ſuperius **) tradiderimus, non eſt, vt repetamus.

Nouo etiam problemati ſoluendo *Eadem* Academia conſtituit praemium anni 1768 ordinarium. Supra enim adducta ex hoc anno tantummodo in illum dilata erant, nec proprie huc pertinebant. Quaeritur vero: *qui ſit optimus modus inſtituendi analyſin aquarum mineralium, et an ſola analyſis ſufficiat, vt certo virtus earum et proprietates poſſint determinari?*

Quale ſit promiſſum praemium, et quas quemlibet, qui in propoſitas quæſtiones ſit inquiſiturus, in conſcribendis et mittendis commentariis obſervare oporteat leges, ſuperfluum eſſet adducere, quum a nobis alio tempore et aliquoties id factum ſit.

Societas etiam Scientiarum *Harlemenſis* praemia binorum annorum expoſita retinuit. Quum enim ad quaeſtionem, quam Societas haec, primum anno 1762 et iterum praecedenti 1765 propoſuerat, non ita reſponſum ſit, vt ea optauerat: in ſolemni conuentu, die 21 menſis maii h. ann. habito, Ea decreuit, prorſus miſſam facere hanc quaeſtionem. Exegerat Societas in hac quaeſtione determinationem directionis fluentorum in mari ſeptentrionali, cum ſub receſſu acceſſuque maris, tum etiam in certis menſium diebus et praecipue ſub iis ventis, qui eas ſequi et per paucas dies durare ſolent: porro determinationem vehementiae et celeritatis fluen-

 torum

*) Vol. XII. p. 165. ſeq.
**) Vol. XIII. p. 160.

torum iis in locis, vbi deprehenduntur, nec non earum conditionum maris et venti; et denique quomodo vehementia vtilis eſſe et celeritas definiri poſſit.

In altera vero quaeſtione, quam *Eadem* Societas iam anno 1764 obtulerat, huicque, quem agimus, anno, deſtinauerat, quaerebatur: qui optimi et minus pretioſi ſint modi, quibus praecaueri poſſet decrementum littoris maris Harlemenſis. Iam tunc temporis Societas ſimul declarauerat: ſe nolle conſilia, quae rationibus cogitando ſolummodo effictis niterentur, nec dum experientia firmata eſſent: experientiam vero deſumi poſſe a ſimilibus tentaminibus, vel ſiniſtri vel ſecundi euentus, quae iam alio tempore facta fuerint, vel in eo ipſo Harlemenſi littore, vel in aliis, inprimis vero cuncta debere applicari ad mare Harlemenſe. Attamen et haec res non ita expoſita fuit, vt Societas vllum acceptorum commentariorum praemio potuiſſet ornare. Quamquam enim quidam erant, qui res continerent egregias et vtiles, omnibus tamen et ſingulis defuit aliquid, quod hac in re praecipuum erat: in alio ſumtuum impendendorum ſumma plane nulla eſt determinata; in alio nimia poſtulata; alii experientiis deſtituti ſunt, quibus tradita conſilia confirmarentur; in aliis ratio non habita eſt differentiarum littorum etc. Hanc itaque quaeſtionem Societas eruditis denuo commendat, et, vt ab iis ante initium anni 1767 ſolueretur, optat.

Eodem die *haec Societas* nouam exhibuit quaeſtionem, cuius expoſitionem ante calendas ianuarias anni 1768 exſpectat. En illam! *Quae* ſunt *cauſae difficultatis deglutiendi in pharynge, quae ſenſim ſenſimque oritur et vtplurimum mortem adfert? cur nunc frequentius, ac olim obſeruatur? quibus remediis illa praecauetur vel curatur?*

Praemium

Praemium, ſingulis his quaeſtionibus propoſitum, moneta eſt aurea, cui Societatis inſigne et in margine nomen auctoris eius ſcripti, quod eo dignum iudicatum eſt, annusque impreſſa ſunt. In commentariis vero de his quaeſtionibus conſcribendis auctores vtantur lingua vel latina, vel gallica, vel belgica; deinde auctor nomen ſuum non apponat ipſis commentariis, ſed eius loco ſententiam quandam, quam vna cum nomine domicilioque auctoris contineat adiecta ſchedula, ſigillo obſignata; commentarii ita ſcribantur, vt facile legi poſſint, et deinde, ſolutis antea curſus publici nomine pecuniis, mittantur ad C. C. H. VAN DER AA, qui Societati ab epiſtolis eſt. Illud vero ſcriptum, quod praemio condecoratum fuit, non licet, nec integrum, nec ex parte, nec ſeorſim, nec in collectione quadam cum aliis coniunctum imprimi atque vulgari, niſi Societas conceſſerit.

Societatem *Hamburgenſem* praemium centum nummorum imperialium iam praecedenti anno promiſiſſe ei, qui, praeter ouorum albumen et ſanguinem, aliam rem vel modum indicaret, cuius ope ſaccharum poſſet depurari, quod artifices et chemici clarificationem appellant; atque idem praemium alios ciues eiusdem ciuitatis quadringentis nummis imperialibus augere conſtituiſſe, ſuperius nos narrare meminimus *). Attamen nondum expleta eſt Societatis exſpectatio. Quamuis enim non nullae res modique cum Ea communicati fuerint, omnibus tamen, tentaminibus inſtitutis, non reſpondit euentus. Quum inde tamen nondum omnis euanuerit probabilitas alius modi detegendi, duplex hoc praemium denuo propoſuit Societas, et ad ſequentem 1767 tranſtulit annum.

*) in hoc ipſo Volumine pag. 157.

Ex reliquis vero praemiis, quae *Eadem* Societas obtulit et ad annum proximum 1767 pertinent, plurima a noſtro inſtituto aliena, rem mercatoriam et ipſam patriam tantummodo attingunt. Vnicum tamen non poſſumus, quin commemoremus, quod ſi ſolueretur, magnus ſane vbiuis eſſe poſſet vſus. Promiſſum praemium conſtat viginti nummis aureis Belgicis et ſoluetur ei, qui facillimum tutiſſimumque indicauerit modum in agris et pratis delendi equiſeti, altius radices agentis, et in Saxonia inferiori *Duwop* appellati, quod et inprimis eius ſpecies, quae triuiali *minoris aruenſis* nomine inſignitur, agricolis valde exoſa eſt, quum vaccis noceat.

Commentarii, qui ad vtrumque problema exponendum conſcribentur, ante calendas menſis auguſti 1767 ad Praeſidem huius Societatis ſunt mittendi, nomen vero auctoris in ſchedula obſignata ſigillo celandum.

Quum Hiſpanos inter et exteros viros doctos exiguum, quin etiam nullum ſit litterarum commercium, fieri non poteſt, quin earum rerum, quae ibidem in re publica literaria atque inter doctos viros eueniunt, tarde ad nos perueniat cognitio. Hinc etiam factum eſt, vt nunc demum obitum compererimus viri, fama inclyti, IOSEPHI QUER, Hiſpanorum Regis Chirurgi, Conſiliarii Regii apud Exercitum, Inſtituti Bononienſis et Academiae Regiae Matritenſis Socii, et in horto regio Botanices Profeſſoris Primarii, qui duo iam ante annos *Matriti* mortuus eſt. Nominis celebritatem ipſi praecipue conciliauit *Flora Hiſpanica*, quam anno 1762 coepit edere, et cuius iam quatuor proſtant volumina.

Bononienſis quoque Vniuerſitas, nec non ibidem florens Inſtitutum ſcientiarum artiumque Academia

demia magnam nuper fecit iacturam. Obiit nimirum ibidem die duodeuigeſimo menſis februarii huius anni Cl. IACOBUS BARTHOLOMAEUS BECCARI, Inſtituti illius ſcientiarum Praeſes perpetuus, in Vniuerſitate Anatomiae et Chemiae Profeſſor Publicus, Vir in arte chemica adeo exercitatus et perſpicax, vt ſcientiae eius fama non ſolum omnem Italiam, ſed et exteras prouincias permanauerit. Vel inprimis phosphori naturam penitius indagauit, numerumque corporum phoſphoreſcentium plurimum auxit, vt varii commentarii, ſcriptis Inſtituti Bononienſis inſerti, comprobant. Etiam ſeorſim commentarium edidit, qui huc ſpectat et inſcribitur: *de quamplurimis phosphoris nunc primum detectis*. Bononiae. 1744. 4.

Edinburgi tandem praecedenti menſe aprili, diuturno morbo confectus, e vita diſceſſit ROBERTUS WHYTT, Med. Doctor, Archiater Regius, Regiae Societatis Scient. Londinenſis Membrum, Praeſes Collegii Regii Medicorum et Medicinae in Academia Edinburgenſi Profeſſor, Vir vt ſolidae eruditionis, ſic quoque acutiſſimi ingenii fama maxime conſpicuus. Variis et ſane egregiis orbem litterarum locupletauit ſcriptis, quae profecto eius famam non ſinent obſoleſcere, ſed ab omni temporum obliuione ſunt vindicatura. Horum et in his Commentariis aliquot commemorauimus *) et nouum *de morbis neruoſis, hypochondriacis hyſtericisque morbis* conſcriptum librum, qui modo praecedenti prodiit anno, propediem ſumus commemoraturi. Supereſſe vero et ſcripta poſthuma, quae iam edenda curaret Cl. IOANNES PRINGLE, narratum nobis fuit, ſimul quoque per litteras accepimus, *Eun-*

dem

*) v. Comment. noſtr. Vol. I. p. 589 ſeqq. Vol. XIII. p. 277 ſeqq.

dem Cl. virum I. PRINGLE, a Magnae Britanniae Rege in meritorum gloriam equeſtri ſplendore atque dignitate eſſe ornatum.

Variolarum inſitio res eſt tanti momenti, vt, quum de eius vtilitate vel damno inter eruditos in vtramque partem et adhuc diſceptetur, nulla opera et diligentia nimia eſſe poſſit, quae impenditur ad alterutrum vindicandum. Tantum vero abeſt, vt cogitando et argumentando certi quid hac in re ſtatui poſſit, vt potius, quae ab vtraque parte proferuntur, rem magis dubiam reddant infirmentque. Quod certiſſimum eſt, hac in re vnice ab experientia dependet, quae ſane plus valet, quam copioſiſſimae ingenioſiſſimaeque excogitatae ſententiae. Hinc ſtudioſe cuncta partim ex obſeruationibus medicorum, partim ex narrationibus publicis, fide dignis, conquirere conuenit, quae hac in re variis in prouinciis aguntur, quo aliquando, e copioſiſſimis collectis et comparatis hiſtoriis, quid certum ſit, pateat. Eo conſilio et nos inpoſterum, quodcunque hac de re reſciuerimus, cum lectoribus noſtris ſumus communicaturi. Duo in praeſenti habemus exempla, quae artificioſi huius morbi vtilitatem defendunt. Superius *) enim iam narrauimus, in Suecia conſilium captum fuiſſe et propalatum, *Holmiae* viginti infantes publicis ſumtibus inoculationi variolarum ſubiicere eosque curare. Hoc vero nuper praeſentibus Curatoribus Regiis factum fuiſſe a DAVIDE SCHULZ, Medicinae Doct. et Profeſſore, viro ſingularis eruditionis fama conſpicuo, eosdemque infantes cunctos, variolis feliciter ſuperatis, integre, nullo aduerſae valetudinis ſigno relicto, conualuiſſe, relatum legimus.

Ex

*) in hoc Vol. p. 357.

Ex aliquo tempore etiam in inſula *Corſica* varioloſus morbus, late vagatus et vitae humanae pernicioſiſſimus hoſtis, magnam inter infantes fecerat ſtragem. *Curtae* enim et in vicinis locis, vbi vix mille et trecentae numerantur familiae exiguo temporis ſpatio, infantum trecenti triginta ſeptem eo ſunt enecati. Magna hac iactura excitatus Chirurgus quidam, IOANNES STEPHANUS (*Stefano*) periculum fecit variolarum inſerendarum tam felici cum ſucceſſu, vt ex nonaginta nouem infantibus vnicus tantummodo perierit. In cuius rei gratam memoriam publico nomine annuum praemium ipſi conſtitutum eſt quinquaginta nummorum Italicorum, quos *Scudi* appellant.

Inter praeclariſſima illa et maxime conſpicua merita, quibus Ill. HALLERUS, magni ſane nominis vir, omnem pene ſcientiarum, et inprimis phyſicae medicaeque, ambitum auxit, non profecto vltimum eſt incrementum, quod eius ſtudio induſtriaque plantarum cepit hiſtoria. Noui ſyſtematis auctor ipſe non ſolum plurimas plantas ſtudioſius disquiſiuit ſollertiusque deſcripſit, ſed etiam prorſus ignotas detexit, addidit, aut in iam cognitis res annotauit, antea praetermiſſas et neglectas. Quod praeclarum eius opus, *Enumeratio methodica ſtirpium Helveticarum*, ſatis ſuperque commonſtrat. Qui interim mos eſt magnorum virorum, vt quae praeſtiterint, imperfecta credant, eaque, ſi omnibus, ſibi ipſis minus ſatisfaciant: ſic et HALLERUS iam diu de augendo in enumeratione hac plantarum numero atque de perficiendo hoc opere ſedulo cogitauit. Quo vero illud, quantum fieri poſſet, omnibus numeris abſolutiſſimum redderet, iam ante aliquot annos a botanices cultoribus petiit, vt ipſi earum plantarum facerent copiam, quae in patria ſua vel raro

vel

vel omnino non, in Germania vero reperiuntur. Quum autem nunc denuo et vltimam huic operi abſoluendo, in quo quadraginta annos occupatus eſt, admouerit manum, botanicos denuo perquam officioſe rogat, velint ipſi difficili hac in re opitulari. Earum vero plantarum, quae in comitatus Tirolenſis, Stirienſis, Salisburgenſis, aliarumque Auſtriacarum prouinciarum montibus, porro in planis regionibus et magnis campis ad ſementem idoneis prouinciarum ſeptentrionalium, deinde in arenoſis locis, et tandem in vicinia maris creſcunt, nec non ſingularum et rariorum plantarum, muſcorum et graminum copia ipſi acceptiſſima erit, et operi huic conficiendo vtiliſſima. Quam vero opem non ſolum gratiſſimo ſe accepturum eſſe animo, ſed etiam ad mutua officia praeſtanda promtum fore paratumque profitetur. Rariorum et ſiccarum plantarum Alpinarum ingentem poſſidet copiam; ex qua itaque abundantia lubentiſſime offert, ſi quis non nullas deſideraret. Faſciculi plantarum, quae ipſi deſtinatae ſunt, in nundinis Lipſienſibus tradi poſſunt librariae Gottingenſi *Vandenhoekianae*, et Tigurinae *Heideggerianae*, in Francofurtenſibus vero *Renieriae*.

XXVIII.

Continuatio indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1763 prodierunt.

Recueil de Planches ſur les Sçiences, les Arts liberaux et les Arts Mechaniques avec leur explication. Volume. II. diviſé en deux Parties. a Paris. Folio. (*Hoc volumen continet* 434 *tabulas aeneas, inter quas* 25 *ad chemiam*, et 39 *ad chirurgiam pertinent.*)

Allgemeines Künſtler-Lexicon, oder kurze Nachricht von dem Leben und den Werken der Mahler, Bildhauer, Baumeiſter, Kupferſtecher, Kunſtgießer, Stahlſchneider etc. nebſt angehängtem Verzeichniße der Bildniſſe der in dieſem Lexico enthaltenen Künſtler. Zürch. 4 mai.

Ectypa vegetabilium, vſibus medicis præcipue deſtinatorum et in pharmacopoliis obuiorum variisque modis praeparatorum, ad naturae ſimilitudinem expreſſa etc. moderante D. C. G. LUDWIG, impreſſit IO. GODOFR. TRAMPE. *Nach der Natur verfertigte Abdrücke der Gewächſe, u. ſ. w.* Faſc. VII. T-X. n. 151-175. Halae. fol.

Pharmacopoea Collegii Regalis Medicorum Londinenſis. Londini. 8.

Pharmacopoea pauperum in vſum noſocomii regii Edinburgenſis. Colon. Allobrog. 8.

Calendarium medicum ad vſum ſaluberrimae facultatis Pariſienſis. Pariſiis. 24.

Medical Muſaeum. Ian --- Decembr. 1763. Tom. I. II. London. 8.

Gazette ſalutaire, compoſée de tout ce, que contiennent d'intereſſant pour l'humanité les Livres nouveaux, les Journaux et autres Ecrits publics, concernant la Médécine, la Chirurgie,

la Botanique, la Chymie etc. Année 1763. a Bouillon. 4. mai.

Der Arzt; eine mediciniſche Wochenſchrift. 9ter und 10ter Theil. Hamburg und Leipzig. 8.

Memoria viri illuſtr. et ampl. IO. GEORG. ROEDEKERI, etc. Argentorati. fol.

Recueil de Pieces de Medécine et de Phyſique, traduites de l'Italien de M. COCCHI et autres Auteurs vivans. a Paris. 12.

Oſſervazioni concernenti varie importanti materie di Medicina, e le facoltà di molti rimedi, per guarire varie malattie rimarchevoli. Venetiis. 8.

Quaeſtionum medicarum, quae circa medicinae theoriam et praxin, per decennium proxime elapſum, in Scholis Facultatis medicinae Pariſienſis agitatae ſunt et diſcuſſae, ſeries chronologica; cum Doctorum Praeſidum, et Baccalaureorum propugnantium nominibus. Pariſiis. 4. mai.

Traité de l'Oeconomie animale et des cauſes premieres des maladies, avec un recueil d'obſervations ſur l'art de traitér la petite verole. a Geneve. 12.

Etrennes ſalutaires, ou Precis de ce, qu'il eſt a propos d'evitér et de faire, pour ſe conſervér en bonne ſanté et prolonger ſa vie. a la Haye. 24.

Dictionnaire medicinal portatif, contenant une methode ſure, pour connoitre et guerir les maladies critiques et chroniques par des remedes ſimples et proportionnés a la connoiſſance de tout le monde: et pluſieurs remedes particuliers. On y a joint un Dictionnaire abregé des plantes uſuelles. par M *** Doct. en Med. a Paris. 12.

Recueil ſur l'Electricité medicale, dans le quel on a raſſemblé les principales piéces publiées par divers ſçavans, ſur les moyens de guerir, en electriſant les malades. a Paris. 12. Voll. 2.

Traité

Traité des Fievres de l'Isle S. Domingue. a Paris 12. (*Auctore Cl.* POISSONNIER DESPERRIERES.)

An account of the Riſe, Progreſs and State of the Hoſpitals for relieving poor People, afflicted with the Small-pox and for Inoculation, from its firſt Inſtitution (26. September 1746.) to the 24. March. 1763. (London.) fol. mai.

Obſervations ſur la petite verole naturelle et artificielle. a la Haye et a Paris. 12. (*Auctor huius libelli eſſe dicitur Cl.* VERNAGE. *Facult. med. Pariſ. Doct. Regens*).

Diſſertation ſur la petite verole et l'inoculation. a Londres et a Paris. 12.

Le Conſeil de la raiſon ou Lettre de M * * * de l'Academie de Danemark a M. M *** de l' Acad. Roy. de Chirurgie a Paris, ſur l' Inoculation de la petite verole. (ſ. l.) 12.

Avis ſur l'Inoculation de la petite verole. (*a Geneve*). 12.

Reponſe a une des principales objections, qu' on oppoſe maintenant aux Partiſans de l' Inoculation de la petite verole. (ſ. l.) 12. (*a Paris*).

Nouveaux eclairciſſemens ſur l' Inoculation de la petite verole, pour ſervir de reponſe a un Ecrit de M. RAST. (*a Paris*). 12.

Recueil de Pieces concernant l' Inoculation de la petite verole, et propres a en prouver la ſecurité et l' utilité. a Paris. 12.

L' Inoculation terraſſée par le bon ſens. (ſ. l.) 12.

Arreſt de la Cour de Parlement ſur le fait de l' Inoculation. Extrait des Regiſtres du Parlement du 8 Juin 1763. a Paris. 4. (*Auctore Cl.* DE L'EPINE.

Tre Conſulti fatti in difeſa dell inneſto del Vajuolo da tre dottiſſimi Teologi Toſcani viventi; in Milano. 4. (*Sunt vero ſequentes:* 1) R. P. BERTI.

Florentin. Relig. Aug. Profeſſ. Hiſt. Eccleſ. Piſan. 2) VERNEA, D. *Theolog. Florent.* 3) R. P. ADAMI *Piſtorienſ. Theol. Profeſſ. Piſan. Edidit vero* CALVI, *Prof. Med. Piſan.*)

Diſſertatio medica hiſtorici generis de variolis. Ratisbonae. 4.

Les Fleurs de Guidon, corrigées et augmentées de la Pratique de Chirurgie, avec pluſieurs experiences et ſecrets, et la methode de conſultér pour les jeunes Chirurgiens. extraite des Leçons de M. L. MEYSSONNIER. a Lyon. 12.

Diſſertation anatomique ſur la Gloſſoſtomographie, occaſionnée par la nommée MARIE GRELARD DU POITOU, agée d'environs 20 ans, actuellement a Nantes. a Poitou.

Gedanken von dem Nutzen und der Nothwendigkeit einer mediciniſchen Polizeyordnung in einem Staate. Regenſpurg. 8.

Amuſemens Philoſophiques ſur diverſes parties des Sciences, et principalement de la Phyſique et des Mathematiques, par le Pere BONAVENTURE ABAT, Cordelier de l'Obſervance, Aſſocié a l'Acad. R. de Bell. Lettr. de Barcellon. a Marſeille. 8.

SÖREN ABILGAARDS *Beſchreibung von Stevens-Klint, und deſſen natürlichen Merkwürdigkeiten, mit mineralogiſchen und chymiſchen Betrachtungen erläutert, und mit Kupferſtichen verſehen. Kopenhagen.* 8.

Familles des Plantes, par M. ADANSON, de l'Acad. des Scienc. de la Societé Roy. de Londres, Cenſeur Royal. Tome I. II. a Paris. 8. Voll. 2.

Eiusdem Nouvelle Methode pour apprendre a connoitre les differentes Familles des Plantes. a Paris. 8.

Abhandlung von den Lufterſcheinungen, in einer öffentlichen Verſammlung der Kayſ. Academie der Wiſſ. d. 2 Iul. 1763. vorgeleſen von FR. ULR. THEOD. AEPINUS. *S. Petersburg.* 4.

Stran-

Stranguria, quæ venerea dicitur, mercurii aliquando eſſe poteſt effectus. Obſeruationes id probantes editae ab ANTONIO AGUSTINI. M. D. Venetiis. 8.

ARETAEI CAPADOCIS opera medica, a IUNIO PAULO CRASSO in latinum verſa. Editio noviſſima. Venetiis 8.

Plain and eaſy Inſtructions on the diſeaſes of the Bladder and Urethra, by G. ARNAULD. Lond. 12.

CONR. CHRIST. ASELMEYER Diſp. inaug. de empyemate ſingulari. Erlangae. 4.

Pſychologia ſiue motuum animalium et reciprocorum machinae animalis theoria medica, omnes humanos actus autoptica et facili methodo, quamvis hactenus inaudita, explanans; Auctore A. R. P. PAULO MARIA ASTENSI, Ordin. Capuc. Phil. et Med. D. Venetiis.

Tractatus de morbis mulierum, in quo ſolida theoria, praxi certiori et experientiis comprobata, complectitur. Accedit catalogus chronologicus medicorum, quorum ſcripta de iis morbis extant: Auctore IOANNE ASTRUC. Gallico ſermone conſcriptus, nunc latine verſus. Venetiis.

LEOPOLDI AUENBRUGGER, M. D. inventum nouum ex percuſſione thoracis humani vt ſigno abſtruſos interni pectoris morbos detegendi. Vindobonae. 8. (*noua editio priori exacte ſimilis.*)

SAM. AURIVILLIUS diſp. de aſthmate. Reſp. *Dav. Hultman.* Upſal. 4.

Eiusdem Diſp. exhibens hydrocephalum internum annorum 45. Reſp. *Car. D. Ekmark.* ibidem. 4.

Eiusdem Diſput. de ictero. Reſp. *Iacob Bjuur.* ibidem. 4.

An Eſſay on the Effects of Opium, conſidered as a Poiſon; with the moſt rational Method of Cure,

deduced from Experience; directing likewiſe the proper means to be uſed, when phyſical-aſſiſtance cannot readily be obtained; neceſſary to be univerſally known for the preſervation of Life; by JOHN AWSITER, Apothecary to the Royal Hoſpital at Greenwich. London. 8.

IOH. IAC. BAIERS *ſchädliche Schamhaftigkeit in Heilung der Krankheiten; aus dem lateiniſchen überſezt. Nürnberg.* 4.

ERN. GOTTFRIED BALDINGER Diſp. de militum morbis, inprimis vero exercitus regis Pruſſiae. Reſp. *Adolph. Iulian Boſe.* Vitemberg. 4.

D. IOHANN BALLS *gründliche und vollſtändige Anweiſung zur mediciniſchen Praxis, als eine Fortſetzung der Abhandlung von Fiebern. Frankfurth.* 8.

Diſſertation ſur l'Education phyſique des Enfans, depuis leur naiſſance, jusqu' a l'age de puberté, par M. BALLEXSERD. a Yverdun. 8.

THEODOR. BARON Quaeſtio medica, an quo manducantur accuratius, eo coquuntur perfectius, alimenta? *affirm.* Reſp. *Matth. Thom. la Caſſaigne.* Pariſiis. 4. (*Haec quaeſtio iam prodiit Pariſiis.* 1745. 4 *Praeſide* PET. CHEVALIER, *Reſp.* Steph. Pourfour du Petit, *ſub titulo*, an quo accuratior maſticatio, eo perfectior digeſtio?)

Memoires d'Agriculture et de Mechanique, dans lesquels on propoſe des Pratiques ſimples et nouvelles, relatives au bien de l'Etat, et des avantages particuliers de la Provence de Languedoc, etc. par M. BARTHES. a Paris. 8.

Ambroſina, nouum plantae genus: deſcribente FERDINANDO BASSIO, hort. med. exoticarum plantarum Bonon. Praefecto. Bononiae. 4. mai. c. tab. aen.

Manuel de Chymie, ou Expoſé des operations et des produits d'un Cours de Chymie: ouvrage utile

utile aux perſonnes, qui veulent ſuivre un Cours de cette Science, ou qui ont deſſein de ſe formér un cabinet de Chymie; par M. BAUMÉ. a Paris. 12.

Naturgeſchichte des Mineralreichs, mit beſonderer Anwendung auf Thüringen, herausgegeben von D. JOHANN WILHELM BAUMER. 1. *Theil. mit Kupf. Gotha.* 8.

Eiusdem Diſp. de mali hyſterici vera indole et curatione. Erfordiae. 4.

Eiusdem Progr. de delirio hyſterico. ibid. 4.

GOTTFRIED SAMUEL BAUMLERS *mitleidiger Arzt, welcher überhaupt alle arme Kranke, inſonderheit aber die abgelegene Landleute gründlich und aufrichtig lehret, wie ſie mit gemeinen Haußmitteln, und andern nicht allzukoſtbaren Arzeneyen ſich ſelbſten curiren können. Vierte vermehrte Auflage, von* GEO. HEINR. BEHR. *Frankfurth und Leipzig.* 8.

Conſervateur de la Santé, ou Avis a tous les hommes ſur les dangers, qu'il importe a chacun d'evitér, pour ſe conſervér en bonne ſanté et prolongér ſa vie, par M. LE BEGUE DE PRESLE, Doct. Reg. de la Fac. de Med. de Paris. a Paris. 12.

Memoire pour ſervir a l'Hiſtoire de l'uſage interne du Mercure Sublimé corroſif; par *le même.* On y a joint un Recueil d'Obſervations faites ſur l'uſage interne de ce remede en Allemagne, en Angleterre, en Italie, etc. a la Haye et a Paris. 12.

Beyträge zur Verbeſſerung der Forſtwiſſenſchaft, als ein 3ter Theil der Verſuche von der Holzſaat. Von IOH. GOTTL. BECKMANN. *Chemnitz.* 8.

Deſcription geographique de la Guyane, contenant les poſſeſſions et les etabliſſemens des François, des Eſpagnols, des Portugais, des Hollandois dans ces vaſtes Païs: le climat, les productions de la

Terre, et les Animaux, leurs Habitans, leurs Moeurs, leurs Coutumes et le Commerce, qu'on y peut faire; avec des Remarques pour la Navigation, et des Cartes, Plans et Figures, dreſſés au depot des Cartes et Plans de Marine, par le Sieur BELLIN, Ingenieur de la Marine et du Depot des Plans. a Paris. 4. mai.

Einleitung zur allgemeinen Haushaltung, in ſich faſſend die Grundſätze der Policey, Oeconomie und Cameralwiſſenſchaften, zum Behuf ſeiner Vorleſungen eingerichtet von IOH. ANDREAS BERCH, *Prof. der Rechte etc. in dieſer Ueberſetzung zum Drucke befördert von* DAN. GOTTFR. SCHREBERN, *D. und Prof. der Cameralwiſſenſch. Bützow.* 8.

Grundſätze der Policey, Oeconomie und Cameralwiſſenſchaften, eingerichtet von IOHANN ANDREAS BERCH; *aus dem Schwediſchen überſezt durch* D. G. SCHREBERN. *Halle.* 8.

PETR. BERCHER, Quaeſt. med. an ſua ſit in cerebro cuique ideae fibra? *aff.* Reſp. *Franciſc. Ioſeph Collet.* Pariſiis. 4.

IOHANN. BERNHARD, Diſp. inaug. de haemoptoe. Vindobonae. 8.

IOSEPH BERTHELOT, Diſp. de venenatis Galliae animalibus. Monspelii 4.

EXUPER. IOSEPH BERTIN Quaeſt. med. vtrum in pleuritide ſanguis mittendus e brachio lateris affecti? *affirm.* Reſp. *Ioſeph. Philip.* Pariſiis. 4.

Dictionnaire univerſel des Foſſiles propres, et des Foſſiles accidentels, contenant une deſcription des terres, des ſables, des ſels, des ſoufres, des bitumes, des pierres ſimples et compoſées, communes et pretieuſes, transparentes et opaques, amorphes et figurées, des mineraux, des metaux, des petrifications du regne animal, et du regne vegetal etc. avec des recherches ſur la formation

de

de ces foſſiles, ſur leur origine, leur uſages etc. par Mr. E. BERTRAND. Tome I. II. a la Haye. 8. mai. Voll. 2.

Trattato delle Operazioni di Chirurgia di AMBROSIO BERTRANDI. T. I. II. in Nizza. 8. Vol. 2.

HERMAN. BEZOET Diſp. inaug. de modo, quo natura ſolutum redintegrat. Lugd. Batav. 4.

Auserleſenes Cabinet phyſicaliſcher und mathematiſcher Inſtrumente, zum Beſten der Liebhaber dieſer Wiſſenſchaften von Herrn IACOB BIANCHI, *Fürſtl. Lichtenſtein. Phyſico. Wien.*

IO. GOTTL. BIEDERMANN Progr. de primis rei metallicae inuentoribus. Freibergae. 4.

Verhandeling van het zog der Vrouwen, ter beantwoordinge op de Vraage by de Hollandſche Maatſchappye der Weetenſchappen opgegeeven in de Jaaren 1760 en 1761. opgeſteld door LAMBERTUS BIKKER D. en M. en Lid van de Hollandſche Maatſch. der Weetenſch. etc. te Leyden. 8. mai.

CHRIST. LUD. BILFINGER de tetano liber ſingularis theoretico-practicus, monumentis veterum ſuffultus et obſeruationibus recentiorum, propriisque illuſtratus, quo ſimul omnis theoria conuulſionum nouo ſchemate ſtudioſe dilucidatur. Lindauiae. 4.

IOH. ULRICH BILGUERS *Anweiſung zur ausübenden Wundarzneykunſt in Feldlazarethen. Glogau und Leipzig.* 8.

Chirurgiſche Wahrnehmungen, welche meiſtens während dem von 1756 *bis* 1763 *gedauerten Krieg in den Königl. Preuſſiſchen Lazarethen von verſchiedenen Wundärzten aufgezeichnet und mit einigen Erläuterungen herausgegeben worden von* I. ULRICH BILGUER. *Berlin,* 8. mai.

LUD. REINHARD BINNINGER Diſp. inaug. ſiſtens oryctographiae Buxouillani et viciniae ſpecimen. Argentorati. 4.

MICH. IOAN. BITTERMANN Diſp. inaug. de vermibus. Vindobonae. 8.

Herbarium Blackwellianum, emendatum et auctum, i. e. ELISABETHAE BLACKWELL collectio ſtirpium, quae in pharmacopoliis ad medicum vſum aſſeruantur, quarum deſcriptio et vires ex anglico idiomate in latinum conuerſae ſiſtuntur, cum praefat. CHRISTOPH. IAC. TREW. Excudit, figuras pinxit atque in aes incidit NIC. FRID. EISENBERGER. ſ. *Neu vermehrtes und verbeſſertes Blackwelliſches Kräuterbuch u. ſ. w.* a tab. viu. color. pict. 538 - - 547. Norimbergae. fol.

THEOD. BLAND Diſp. de coctione alimentorum in ventriculo. Edinburg. 8.

GEORG. RUDOLPH. BOEHMER Diſp. inaug. de bello morborum cauſa. Reſp. *Io. Frid. Sinzius.* Witteberg. 4.

PHILIP. ADOLPH. BOEHMER Diſp. inaug. ſiſtens anatomen oui humani foecundati, ſed deformis, trimeſtri abortu eliſi, figuris illuſtratam. Reſp. *Car. Aug. Madai.* Halae. 4. c. tab. aen.

Eiusd. Epiſt. gratulat. exhibens nonnulla de vracho. ibid. 4. c. tab. aen.

Eiusd. Diſp. inaug. de confluxu trium cauarum in dextro cordis atrio. Reſp. *Nicol. Theune.* ibid. 4. c. tab. aen.

Eiusd. Diſp. inaug. de morborum criſi metaſtatica. Reſp. *Io. Elias Dresde.* ibid. 4.

Eiusd. Diſp. inaug. de natura et morbis ſaliuae eiusque neceſſaria excretione rite promouenda. Reſp. *Car. Leberecht Schefflerus.* ibid. 4.

Eiusd. Diſp. inaug. de neceſſaria therapiae internae cum externa coniunctione. Reſp. *Hier. Godofr. Dietrich.* ibid. 4.

Eiusd. Diſp. inaug. de oſſium ex viſcerum laeſione mollitie. Reſp. *Henr. Zembſch.* ibid. 4.

Eiusd. Diſp. inaug. de pulmonum cum encephalo conſenſu. Reſp. *Samuel. Henr. Weſche.* ibid. 4.

Eiusd. Diſp. inaug. de vrinae ſe et excretione ob multitudinem arteriarum renalium, largiore caſu quodam illuſtrata. Reſp. *Carol. Henr. Meuder.* ibid. 4. c. tab. aen.

HERM. BOERHAAVE traité des maladies veneriennes, traduit du Latin. Paris. 12. mai.

Traité de la pleureſie, traduit des Aphoriſmes de M. BOERHAAVE, commentés par Mr. le Baron VAN SWIETEN, avec un diſcours preliminaire, par M. PAUL. a Paris. 12.

GOTTFRIED CHRISTIAN BÖHNS *neueröfnetes Waarenlager, worinn aller in Handel und Wandel gangbaren Waaren, Natur, Eigenſchaft, Beſchaffenheit, verſchiedene Arten, Nutzen und Gebrauch, wie auch der Unterſchied der guten und verfälſchten Waaren, der Ort ihrer Erzeugung, ihrer Zubereitung, ihres Einkaufs und alles, was zur Erkenntniß derſelben nöthig iſt, nach alphabetiſcher Ordnung kurz und deutlich beſchrieben wird, ietzo mit vielem Fleiße wieder durchgeſehen, verbeſſert und überaus ſtark vermehret. Hamburg.* 8 mai.

Memoires ſur l'Education des Vers a Soie, par Mr. l'Abbé BOISSIER DE SAUVAGES, de la Soc. Roy. des Sc. de Montpell. etc. diviſés en trois Parties, avec un Traité ſur la culture des Muriers, et un ſur l'origine du Miel. a Niſmes. 8. Voll. 2.

ANTON. BOLLE e S. I. Diſp. de vi corporum. Pragae. 8.

ANDR. BONN. diſp. inaug. de continuationibus membranarum. Lugd. Batav. 4. c. tab. aen.

CHRISTOPH. GOTTLIEB BONZ Diſp. inaug. de venaeſectione, quatenus dolores ad partum auget. Argentorati. 4.

TUSSAN. BORDENAVE theſes anatom. chirurg. de corporibus extraneis intra oeſophagum haerentibus; Reſp. *Ant. Deſtremau.* Pariſiis. 4.

Eiusdem theſes anatom. chirurg. de intumeſcentia partium in primis vulnerum ſclopetariorum inſtantibus; Reſp. *Petr. Dufouart.* ibid. 4.

ROGER. IOS. BOSCOVICH, Philoſophiae naturalis theoria ad vnicam legem virium in natura exſiſtentium redacta. Editio prima Veneta ab Auctore recognita et plurimis in locis emendata, pluribusque additamentis locupletata, ipſoque praeſente et curante abſoluta. Venetiis. 4.

CHRIST. GOTTLIEB BOSE Progr. de ſuturarum cranii humani fabricatione et vſu. Lipſiae 4.

Lettres philoſophiques ſur la formation des Sels et des Cryſtaux, et ſur la generation et le mechaniſme organique des Plantes et des Animaux, a l'occaſion de la pierre Belemnite et de la pierre Lenticulaire, avec un Memoire ſur la theorie de la terre, par Mr. BOURGUET. Seconde Edition. avec fig. à Amſterdam. 12.

IAC. AMABILIS DE BOURZEIS Diſp. inaug. offerens tres morborum hiſtorias. Erlangae. 4.

LUD. GILBERT. ALEXANDER BOYROT DE IONCHERES Quaeſt. med. an a motu et grauitate humorum ſecretiones diuerſae? *affirm.* Reſp. *Car. Lud. Franciſc. Andry.* Pariſiis. 4.

Vademecum botanico, contenente i Caratteri generici delle Piante, ſecondo la decima Ediz. del Siſtema naturale del Ch. Sign. CARLO LINNEO, compilato da CASIMIRO BRANCHI, Fiorentino per uſu proprio, e degli Amici e da eſſo med. nella noſtra Toſc. Lingua ridotto; e ſotto gli auſpicii

auſpicii dell' Illuſtriſſ. e Dottiſſ. Imperiale Societa Botanica Florentina pubblicato; avendovi pure promeſſa una ſpiegazione alfabetica dei Termini Botanici piu difficili, ed alla voce *Siſtema*, una dichiarazione del Siſtema Tourneforziano ancora, con due Tavole in fine di molti generi, e nomi di Piante diſtinte in Officinali, e non Officinali, che hanno mutato nome appreſſo LINNEO. in Firenze.

FRANCISC. IAC. BRAUNEISEN Diſp. inaug. de hepatitide. Argentorati. 4.

Ornithologia ſiue ſynopſis methodica, ſiſtens auium diuiſionem in ordines, ſectiones, genera, ſpecies, ipſarumque varietates; cum breui et accurata cuiusque ſpeciei deſcriptione, citationibus auctorum de iis tractantium, nominibus eis ab ipſis impoſitis, nominibusque vulgaribus, a D. BRISSON. Reg. Scient. Acad. Socio. Tom. I. II. Lugd. Batav. 8.

A new and accurate Syſtem of Natural Hiſtory; containing the Hiſtory of Quadrupedes, Birds, Fiſhes and Serpents, Inſects, Waters, Earths, Stones, Foſſils, Minerals and Vegetables, with their Properties, Virtues and Medicinal Uſes; by ROB. BROOKES, in ſix Volumes. London. 12. mai. c. 150 tab. aen. Voll. 6.

Eiusdem General Practice of Phyſic; extracted chiefly from the Writings of the moſt celebrated practical Phyſicians, and the medical Eſſays, Transactions, Journals and Literary Correſpondence of the learned Societies in Europe; to which is prefixed an Introduction, containing the diſtinction of ſimilar diſeaſes, the uſe of the non Naturals, an Account of the Pulſe, the Conſent of the nervous Parts, and a Sketch of the animal Oeconomy. Vol. I. II. the fourth Edition, with conſiderable

conſiderable additions and improvements. London. 8. mai.

Eiusdem Introduction to Phyſic and Surgery; containing 1) medicinal Inſtitutions, or Phyſiology, Hygieine, Pathology, Semeiotice and Therapeutice; 2) a compendious Syſtem of Anatomy; 3) a general account of Wounds, Ulcers, Tumours, Operations and Dreſſings; as alſo the Medicines uſed in Surgery; 4) Botany and the Materia medica, 5) Pharmacy, as well chymical as Galenical; 6) a Diſpenſatory, containing a great Variety of the moſt efficacious officinal Compoſitions and extemporaneous Preſcriptions; 7) an Index of diſeaſes and their Remedies; 8) a Poſological Table, containing the doſes of all the Simples and Compounds. The ſecond Edition. London. 8. mai.

GOD. EPHR. BRUCK diſp. de effectibus ex quorundam humorum defectu in genere dependentibus. Halae 4.

Die natürliche Hiſtorie des Eidervogels, beſchrieben von MORTEN THRANE BRÜNNICHE, *aus dem Däniſchen überſezt, mit Kupfern. Kopenh.* 8.

ANDR. BÜCHNER Diſp. inaug. de angina exanthematum eruptione ſoluenda. Reſp. *Ioh. Siegfr. Anhalt.* Halae. 4.

Eiusd. Diſp. inaug. de catarrhis, quatenus ſalutem adferre dicuntur. Reſp. *Ioh. Petr. Schmidt.* ib. 4.

Eiusd. Diſp. inaug. de deſtructa partium irritabilitate per incongruum adſtringentium vſum. Reſp. *Gabr. Valentin. Köhler.* ibid. 4.

Eiusd. Diſp. inaug. de effectibus ex quorundam humorum defectu in genere pendentibus. Reſp. *Godofr. Ephr. Brück.* ibid. 4.

Eiusd. Diſp. inaug. de febre tertiana intermittente, epidemia ſoporoſa, apoplexiam mentiente, vt plurimum

pluṛimum funeſta, iuſta tamen methodo feliciter curanda. Reſp. *Fried. Blümke.* ibid. 4.

Eiusd. Diſp. inaug. de morbi ſymptomatici ad idiopathicum differente ratione therapeutica. Reſp. *Ioh. Lud. Beelitz.* ibid. 4.

Eiusd. Diſp. inaug. de neceſſario attendendis generalioribus principiis in ſpecificorum actione explicanda. Reſp. *Henr. Lud. Bernd.* ibid. 4.

Eiusd. Diſp. inaug. de periculo grauidarum ex febribus. Reſp. *Io. Georg. Wegelin.* ibid. 4.

Eiusd. Diſp. inaug. de praeſtantia camphorae in deliriis. Reſp. *Io. Frid. Reccart.* ibid. 4.

Eiusd. Diſp. inaug. de tuſſi humida epidemica morbos praecauente. Reſp. *Io. Herman. Oſperkaus.* ibid. 4.

Traité hiſtorique des Plantes, qui croiſſent dans la Lorraine et les trois Evechés, contenant leur deſcription, leur figure, leur nom, l'endroit de leur naiſſance, leur culture, leur analyſe chemique, et leurs proprietés, tant pour la Medecine, que pour les Arts et Metiers, par M. B. I. BUCHOZ. Tome II. a Nancy. 8. c. tab. aen.

GOTTFR. HEINR. BURGHARTS *gründliche Nachricht an ſeinen Freund *** von einem neuerlich geſehenen Hermaphroditen, wobey zugleich etwas von der mediciniſchen Mode eröfnet wird. Breslau und Leipzig.* 4.

Journal hiſtorique du Voyage fait au Cap de Bonne Eſperance, par l'Abbé DE LA CAILLE. a Paris.

Acta hiſtorico-chronologico-mechanica circa metallurgiam in Hercynia ſuperiori; *oder hiſtoriſch chronologiſche Nachricht und theoretiſche und practiſche Beſchreibung des Maſchinenweſens und der Hülfsmittel bey dem Bergbaue auf dem Oberharze etc. von* HENNING CALVÖR, I *und* II. *Theil. Braunſchweig.* fol. *m. Kupf.*

FRAN-

FRANCISC. EMAN. CANGIAMIGLIA Embryologia ſacra, ſiue de officio ſacerdotum, medicorum et aliorum circa aeternam paruulorum in vtero exſiſtentium ſalutem Libri IV. Venetiis. fol. min. c. tab. aen.

ANDR. CANTWELL Quaeſt. med. an ſanitas a debito partium tono? *aff.* Reſp. *Philip. Querenet.* Pariſiis. 4. (*Hanc quaeſtionem iam edidit* CANTWELL. Pariſiis. 1742. 4. Reſp. *Franciſc. Saleſ. Dan. Poullin.*)

Leſſico farmaceutico chimico, contenente gli rimedi piu uſati d'oggidi di GIO. BATTISTA CAPELLO, Speciale all' inſegna de tre monti in Campo Sant' Apollinare. Ottava impreſſione, riveduta, corretta ed accreſciuta dall' Autore di una nuova Aggiunta poſta in fine dell' Opera. In Venezia. 4.

IO. FRID. CARTHEUSERI pharmacologia theoretico-practica. Coloniae Allobr. 8. Voll. 2.

Eiusd. Diſp. inaug. de chocolatae analepticorum principe. Reſp. *Car. Hilmar Becmann.* Francof. ad Viadrum. 4.

Eiusd. Diſp. inaug. de memorandis inebriantium et narcoticorum quorundam effectibus. Reſp. *Io. Wilh. Froeſewit.* ibid. 4.

Eiusd. Diſp. inaug. de morbis potioribus ab atonia, vel ſpaſmo ſphincterum oriundis. Reſp. *Io. Bernhard Schumacher.* ibid. 4.

Eiusd. Diſp. inaug. exhibens nonnulla de morbis morborum remediis. Reſp. *Io. Chriſt. Habicht.* ibid. 4.

IO. FRID. CARTHEUSER Diſp. inaug. de naphtha ſiue petroleo. Reſp. *Io. Chriſt. Ferdinand Vierthaler.* ibid. 4.

Eiusd. diſp. inaug. ſiſtens theſes quasdam diaeteticas miſcellaneas, ad eſculenta ac potulenta ſpectantes. Reſp. *Chriſt. Gottlob Schefer.* ibid. 4.

IO. FRID. CARTHEUSER diſp. inaug. de viribus aquae marinae medicis. Reſp. *Salom. Froeſewitt.* Francof. ad V. 4.

Eiusd. diſp. inaug. de virulentis aeris putridi in corpus humanum effectibus. Reſp. *Iacob Aaron Hermſon.* ibid. 4.

Relation de deux Voyages faits en Allemagne par ordre du Roi, par rapport a la figure de la Terre; pour determinér la grandeur des degrés de longitude etc. par M. DE CASSINI DE THÜRI. des Acad. de Paris, Londres, etc. a Paris. 4.

Lettre de M. LE CAT, Ecuyer, Doct. en Med. Chirurg. etc. a M. DUMONT, Fils, Maitre en Chirurg. Lithotomiſte a Bruxelles, ſur l'operation de l'adherence des Pierres a la Veſſie, et autres erreurs ou imputations, contenues dans une Brochure de Bruxelles. a Rouen. 8.

CHRIST. CAVANDER diſp. de aere. Reſp. *Magn. Alopaeus.* Aboae. 4.

A. CORNELIUS CELSUS et SER. SAMMONICUS cum notis variorum, MORGAGNI epiſtolis et FACCIOLATI obſeruationibus. Venetiis. 8.

Philoſophiſche Abhandlung über die Phyſic und Naturhiſtorie, aus dem franzöſiſchen des Herrn von CHESEAUX *überſezt. Augsburg* 8.

Tableau de toutes les arteres du corps humain, et Tableau de toutes les muſcles du corps humain, par M. CHIROL. a Paris. fol. mai.

Obſervations on ſome of the Diſeaſes of the Parts of the human Body. Chiefly taken from the Diſſections of Morbid Bodies. By SAM. CLOSSY. London. 8.

Reliqua proxime.

Contenta

Contenta in hac parte.

1. Kongl. Vetenſkaps Academiens Handlingar for År. 1763 pag. 371
2. G. V. SWIETEN commentarior. in H. BOERHAAVE aphoriſmos de cognoſcendis et curandis morbis. Tomus IV. 392
3. CRANTZ ſtirpium Auſtriarum faſciculus I. et II. 410
4. WRISBERG. deſcriptio anatom. embryonis. Diſp. 420
5. SCOPOLI entomologia Carniolica. 422
6. KLINKOSCH Pr. diuiſionem herniarum, nouamque herniae ventralis ſpeciem proponens 428
7. R. A. VOGELII Diſſ. herniarum communia attributa et partitionem exhibens 430
8. HAEN rationis medendi Pars VII. VIII 433
9. WESTPHAL. Diſſ. de ſtructura mammarum. Reſp. *Kölpin* 445
10. LEVELING Diſſ. ſiſtens pylorum anatomico-phyſiologice conſideratum 447
11. KLINGHAMMER *Verſuch vom Daſeyn des Eiſens im Carlsbader Brudelſteine* 449
12. Della inoculazione del Vajuolo Tr. di SAV. MANETTI 451
13. Lettera del s. MANETTI, che puo ſervire di Supplemento al ſuo Trattato ſull' inoculazione del Vajuolo 454
14. *Dresdniſches Magazin. 1 und 2ter Band* 456
15. ZIMMERMANN *von der Erfahrung in der Arzneykunſt. 1 u. 2ter Band.* 475
16. LIND'S eſſay on the means of preſerving the Health of Seamen in the Royal Navy 486
17. BISSET'S eſſay on the Medical Conſtitution of Great-Britain. 486
18. VALCARENGHI, de praecipuis febribus ſpecimen practicum 491
19. LIZZARI binae rariores morborum hiſtoriae 503
20. GESNERI Phytographia ſacra Diſſ. I - V. 506
21. R. BROOKES new and accurat Syſtem of Natural Hiſtory. Vol. I. II. III. IV. V. VI. 510
22. DE BVCHWALD, Diſſ. de rubro ſanguinis colore 513
23. PALLAS *Anleitung zur practiſchen Chirurgie* 516
24. De morbo mucoſo: Auctoribus ROEDERER et WAGLER 517
25. Del' acque di Recoaro Diſcorſo di PAGANI 528
26. An experimental - Hiſtory of Materia - Medica by W. LEWIS 531
27. Noua phyſico - medica 534
28. Continuatio indicis ſcriptorum, quae 1763 prodierunt 543

COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.



VOLVMINIS XIII. PARS IV.

LIPSIAE MDCCLXVI.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH
Venduntur etiam
Amſtelodami apud I. Schreuder, Pariſiis apud Briaſſon, Patauii apud I. Manfrè,
Holmiae apud L. Saluium.

I.

Hiſtoire de l'Académie Royale des Sciences. Année MDCCLIX. Avec les Mémoires de Mathématique et de Phyſique pour la même Année, tirés des Regiſtres de cette Académie. A Paris de l'imprimerie Royale. MDCCLXV. 4. Hiſt. 1 Alph. 8½ pl. Mém. 3 Alph. 3 pl. 26 tab. aen.

h. e.

Hiſtoria et Commentarii regiae Academiae Scientiarum Pariſinae, ad annum MDCCLIX.

In hoc Volumine *obſeruationes* ad *phyſicam generalem* pertinentes reperiuntur ſex.

1. Fimum caballinum, in foſſa profundiore col- p. 34.
lectum, ſponte ſua incenſum eſt.

2. Nocte aeſtiua viſae ſunt duae trabes igneae, p. 35.
per coelum ſerenum volantes, quarum altera, in riuum quendam delapſa, fragorem effecit, qualis auditur, quum tonat, altera ſtabulum incendit, et quatuor in eo equos vita priuauit, ſine vllis aduſtionis ſignis, forti autem odore ſulphuris totum ſtabulum impleuit.

3. Quum aliquis terram, in capſa ante fene- p. 36.
ſtram alendarum plantarum cauſſa poſitam, veſperi

irrigaret, vidit ſuperficiem aquae effuſae ſcintillis quaſi conſperſam, quae tam diu conſpicuae erant, donec terra omnem aquam imbiberat. Cuius phaenomeni cauſſa, vt paullo poſt compertum eſt, fuerunt experimenta electrica, in proxime inferiori aedium contignatione eodem tempore inſtituta.

p. 37. 4. Vpſaliae quarto februarii die rarius illud luminis borealis genus, quod Cl. MAIRAN *completum* dixit, obſeruatum eſt a Cl. BERGMANNO, et hic deſcribitur.

p. 38. 5. Cl. DE SAUVAGES rationem reperiit, aliquatenus praeſagiendi pluuias eas, quas barometrum non praedicit, quia non pendent a mutato pondere atmoſphaerico, ſed ab imminuto calore aeris in aliquo loco, praeſertim humido, quo fit, vt vapores ibi eleuati colligantur in guttas, et recidant in terram, ſi aer ſit tranquillus. Nam ſi in aedificii, horto iuncti, atrio, lapidibus quadratis ſtrato, excepta adſpiciatur penumbra corporis, in aliqua diſtantia poſiti, coelo ſereno, atque in ea conſpiciatur aliquis motus, qualis eſt motus vmbrae, quam fumus aſcendens proiicit: ſcias, tunc multos eiectari a terra vapores, qui poſtridie plerumque generaturi ſint pluuiam, niſi ventus exortus eos abigat.

6. Monſtrum piſcis marini deſcribitur.

Obſeruationes anatomicas hiſtoria huius anni quinque tradit.

p. 82. 1) In cuniculo repertus eſt foetus monſtroſus, coalitus e duobus foetibus, quorum partes infra ſternum ſeparatae erant, reliquae autem, ſeu ſuperiores, mira confuſione vnitae inter ſe, ita, vt vnicum caput, vix difforme, duplici illi corpori impoſitum eſſet, et vnus oeſophagus vnusque ventriculus tantum adeſſet. Duae quidem tracheae aderant, ſed altera pertinebat ad pulmonem, cuius lobus maior deficie-

deficiebat. Ventriculo duplex canalis inteſtinorum erat annexus. Hepar ſimplex erat.

2) In agno locum, quem veſica occupare ſolet, p. 84. ſacculus occupauit membranaceus bifurcatus, cuius cauitates inferius in vnam coibant. Plenus fuit liquoris limpidi acidique, neque tamen vlla apertura in eo animaduerti potuit. Cum ſolis teſticulis vtrinque per ligamentum quoddam connexus fuit. Vaſa deferentia, ſolito magis dilatata, ad mediam partem pertingebant, vbi formato arcu, verſus inferiora cauo, deſcendebant, et ſub ſacculo illo coniuncta in alium deſinebant ſacculum cylindricum, ſub quo erat pars carnoſa, quae veſica eſſe videbatur, ſed corrugata.

3) In Corſica ſeptendecim milites de planta, p. 84. Oenanthe ſucco croceo viroſo dicta, in iuſculo comederant. Duo huius plantae veneno perierunt, ante quam illis ſuccurri poterat; reliqui ſeruati ſunt per emetica, euacuantia, et cardiaca remedia; maxime autem in hac curatione oxymellis ſquillitici virtus laudata eſt *).

4) Calculus e veſica feminae extractus eſt, ex p. 87. quo eminebat cuſpis acus eburneae, 3⅔ pollices longae; pars eminens longa erat ſesqui pollicem, et reliqua acus pars obtuſior nucleum calculi formauerat. Mulier quaeſita, quomodo haec acus in veſicam peruenerit, reſpondit, ſe recordari deglutitam a ſe ante ſedecim annos ſimilem acum, qua cum ſibi haerentem in faucibus ſpinam piſcis frater expedire tentaſſet, quum ſeptem annos nata eſſet; ſed incommodum ſe inde ſenſiſſe nullum; attamen anno aetatis decimo quarto fluxu ſanguinis ſe laboraſſe per integrum annum.

5) Cl. IENTY, medicus Londinenſis, in ſectione p. 89. cadaueris viri 35 annos nati, et quadam maraſmi

*) Vid. hor. Commentar. Vol. XI. p. 317.

ſpecie confecti, miram omnium fere partium ad ſe mutuo adhaeſionem animaduertit. Epiploon inteſtinis, et haec ſibi inuicem tam firmiter adhaerebant, vt ſeparari ſine disruptione non poſſent. Meſenterium vna quaſi maſſa erat, quae explicari non poterat; glandulae tamen eius obſtructae non videbantur. Hepar adhaerebat diaphragmati et partibus vicinis, pulmonum partes poſticae et laterales coſtis, pericardium cordi. Attamen membranae, quae viſcera inuoluunt, facillime ab iis ſeparari poterant. Superficies inteſtinorum ſicca erat, et multa oſtendebat tubercula, quae Cl. IENTY pro orificiis vaſorum exhalantium obſtructis habuit; quemadmodum etiam iſtiusmodi vaſorum extremitates fuiſſe exiſtimauit poros admodum patulos, quos in ſuperficie interna pericardii et externa cordis vidit. In cerebro, qua parte cerebellum attingit, reperit paululum puris ſubuiridis, in quo per microſcopium conſpexiſſe animalcula credidit. Morbi genus, quod haec mala peperit, comperire quidem non potuit, attamen coniectando iudicauit, cauſſam fuiſſe nimiam partium viſcidarum in ſanguine copiam, a quibus obſtructa fuerint vaſa exhalantia interna, vt humidum illud ſuppeditare non potuerint, quod ad impediendam adhaeſionem partium requiritur. Contrarium etiam huius rei, vaſorum puta abſorbentium obſtructionem, ſe aliquando obſeruaſſe dixit, in viro, qui continuo granorum ſinapis et acidorum vſu anaſarcam ſibi contraxiſſet; muſculos enim huius tam pallidos fuiſſe, vt a tendinibus vix poſſent diſtingui, et ſanguinem omnium fere particularum rubrarum expertem.

In Claſſe *chemica* duas legimus relationes:

p. 100. I. Comes DE LAURAGUAIS aetherem parauit ex aceto et ſpiritu vini, hos liquores, ſimulac partes

partes eorum aequales commiſcuit, igni exponens, vt ebullirent. Hic aether *acetoſus* pleraque cum aethere vitriolico et cum nitroſo habet communia. Attamen facilius ſe aquae miſceri patitur, aethere vitriolico, atque hoc etiam ſpecifice grauior eſt; et facile cum ſolutione concentrata cupri, cum acido nitri parata, agitatione vaſis commiſcetur, quod aetheri vitriolico non accidit.

2. Quum puluis et pilulae antiuenereae, quibus medicus quidam, nomine KEYSER, in noſocomio militari Ducis DE BIRON hactenus erat vſus, traduci coepiſſent, quaſi mercurium ſublimatum corroſiuum continerent: Academia, rogatu Ducis, haec medicamenta accurate examinari iuſſit. Deſcribitur hic via et ratio, qua hoc fecerunt, quibus id negotii erat demandatum; quam nos mittimus; ſatis habentes, indicaſſe ſententiam a iudicibus latam, quae huc redit: in his medicamentis neque mercurium dulcem, neque ſublimatum corroſiuum, neque turbith minerale, nec ſalem nitroſum mercurialem ineſſe, ſed ſalem genitum coniunctione mercurii cum acido vegetabili (veriſimiliter cum aceto), cui admixtum ſit paullulum materiae, quae ferri naturam habeat, et materiae cuidam craſſae, acido vegetabili forſitan tribuendae, iuncta ſit. p. 102. p. 106.

Ex Claſſe *botanica* enodanda nobis ſunt experimenta, quae Cl. TILLET ſuper carie frumenti inſtituit prope Lutetiam in agro ſicco et arenoſo. Hunc primis martii menſis diebus arandum, et fimo vaccino abunde ſtercorandum curauerat, et deinde diuiſerat in 14 areas ſimiles et aequales, quarum ſingulae quinque liris diſtinctae, binae autem proximae ſemita ſeiunctae erant. Omnes has areas granis eiusdem frumenti conſerendas curauit, ita vt grana in vnaquaque ſingula pedem vnum a ſe inuicem p. 116.

 diſtarent.

diſtarent. In quinque harum arearum ſerebantur grana conſperſa puluere nigro frumenti carioſi; in reliquarum quibusdam grana pura, abluta lixiuio parumper calefacto cinerum vulgarium, in quo tantum calcis viuae intinctum fuerat, vt lixiuium lacteum colorem duxiſſet; in ceteris grana pura non praeparata. Areae, granis infectis conſitae, ſingulae erant med ae inter duas areas, quibus grana non vitiata mandata erant. In vna vero aliqua area quinque ſeries erant granorum alternatim ſanorum et vitiatorum. Euentus horum experimentorum idem fuit, atque illorum, quae iam antea in terris melioribus capta erant. Scilicet grana, puluere nigro carioſi frumenti conſperſa, fere cuncta genuerunt culmos morbidos et ſpicas carioſas; pura contra laetas dederunt ſegetes, neque communicatus eſt cum illis ſpicarum infectarum, prope et inter quas creuerant, morbus *).

Commentarii in hoc Volumine habentur ſeptem et viginti.

1. Cl. DE LA LANDE *de cometa anni 1682, qui anno 1759 reuertit, et elementis orbitae eius pro hac nouiſſima eius apparitione definitis.*

p. 41. 2. Cl. GUETTARD *Obſeruationes medicae. Prima* harum obſeruationum eſt de effectu ſingulari et prope lethali poſitionis horizontalis. Auctor in ſe ipſo illum eſt expertus. Quum enim aliquando ante focum in ſella, brachiis inſtructa, per ſemihoram, vt ſueuerat, eſſet meridiatus, reclinato corpore, ac cruribus in ſitum horizontalem compoſitis et extenſis, atque expergefactus ſurgere vellet; dolorem exquiſitum ſenſit circa os ſacrum, quod ſellae

*) Vid. Comment. hor. Vol. X. p. 634.

ſellae nudae innixum erat, quia puluinus mobilis verſus poſteriora ſellae receſſerat. Quo dolore impeditus, quo minus ſeſe in nates reponere, et erigere poſſet, in latus ſe flexit, et brachia ſuper alterum ſellae brachium proiecit. Hoc autem motu intenſum dolorem frigus ſecutum eſt, per totum corpus manans; extremitates inferiores immobiles redditae ſunt, et brachia ingens debilitas inuaſit. In hoc ſitu iacentem adueniens aliquis domeſticorum aegre potuit erigere, et ad lectum pertrahere, in quem vtcunque proiectus, ſenſit frigus incredibili ratione intendi, reſpirationem difficulter, nec niſi per ſingultus, fieri, debilitatem brachiorum augeri, et brachia vsque ad apices digitorum, quaſi acubus, pungi. Pluribus nunc obtegebatur ſtragulis, pedibus ferrum calidum ſubiiciebatur, pectus, manus, vultus linteis calefactis inuoluebantur: quo facto, poſt ſesqui horam recaluit tandem, ſingultus et puncturae ceſſarunt, ac cruribus brachiisque mobilitas reddita eſt; ſenſit tamen adhuc modicum circa renes dolorem, atque aegre pedibus incedere potuit; et corporis aliqua debilitas ipſi per plures dies ſuperfuit. Cauſſam horum ſymptomatum Auctor in p. 45. extenſione violenta muſculorum, qui artus inferiores regunt, atque in nata inde preſſione vel tractione neruorum, in hos muſculos inſertorum, oſtendit. Denique quaeſtionem mouet, an in hoc affectu ſanguinis miſſione melius ſibi conſultum fuiſſet? Ad p. 49. quam ſic reſpondet, vt, licet in frigore eam ſuadendam fuiſſe negat, propterea quod ea circulum ſanguinis adhuc lentiorem redditura fuiſſet, tamen haud diſſimulet, reſtituto naturali calore, venam in brachio vel pede incidi, prudentiae fuiſſe, vt ſi qua forte obſtructio in aliqua parte, retardato ſanguinis motu, effecta fuiſſet, ea mature reſolueretur; nam, exempli gratia, ob intimam medullae ſpinalis ac ce-

rebri communionem, verendum omnino fuiſſe, ne in ſubtilibus cerebri vaſis ſanguinis congeſtio facta, et depoſitum quoddam ibi formatum fuerit.

p. 49. In *ſecunda* obſeruatione exponitur de tumore cyſtico hepatis mortifero. Puella ab incunabulis tumorem in hypochondriis dextris habuerat. Hic ſubito disparuit, quum anno aetatis octauo ab homine currente humi proſtrata eſſet; et ſtatim coepit de doloribus abdominis conqueri, quod intumuerat, et valde tenſum erat; ſaepe etiam per aluum eiecit materias ſubuirides, et albidas, in copioſo liquore ſeroſo natantes. Auctor incertus, vtrum in hepate, an in inteſtino colo tumor ille fuerit, violentiam tantum ſymptomatum compeſcere ſtuduit, et, quia audiuerat, clyſmata emollientia puellae iam fuiſſe cum bono effectu adminiſtrata, repeti ea iuſſit, ventrique fomentum adhiberi, ac potionis antiſpaſmodicae portiones aegrae ſubinde propinari. His remediis leuamentum quidem doloris effectum eſt, ſed ad breue tempus; nocte enim proxima dolores reuerterunt, et conuulſiui euaſerunt, ac vitam puellae finierunt. Sectio deinde cadaueris docuit, tumorem in hepate fuiſſe. Erat enim in parte inferiore conuexa maioris lobi cauitas, quatuor circiter pollices longa, continens cyſtidem, ſed fiſſam, et prorſus vacuam. Inteſtina erant diſtenta, et alba, nihilque continebant praeter aerem. Neque in toto abdomine quidquam reperiebatur illius materiae, cuius cyſticus ille tumor plenus antea fuerat. Hinc Vir Cl. autumat, illam materiam, rupta tunica tumoris, per poros inteſtinorum in canalem inteſtinorum penetraſſe, et ipſa irritando e glandulis expreſſiſſe liquorem iſtum ſeroſum, in quo materia ſubuiridis
p. 54. natans obſeruata erat. Inſuper monet, vitam puellae ſeruari potuiſſe, ſi tumor ille, antequam disparuit,

ruit, paracenteſi apertus fuiſſet, quam in hoc caſu ſecure adminiſtrari potuiſſe demonſtrat.

In *tertia obſeruatione* agitur de gangraena lienis, p. 55.
quae omnem fere motum arteriarum inhibuit. Vir quidam, qui ſe ambulatione cita et venatione exercere ſueuerat, et aliquoties de inflatione lienis queſtus erat, domum reuertens e venatione correptus eſt febricula continua, cuius etiam paroxyſmi modici fuerunt, nec cum aliquo dolore, niſi leui quodam in regione lienis, coniuncti. Qua febre per iteratam ſanguinis miſſionem, clyſmata purgantia, et accuratam diaetam diſcuſſa, aegroto datum eſt purgans ex caſſia et manna remedium, quod quidem effectu non caruit: ſed poſt eiusdem diei meridiem totum corpus frigore conſtrictum eſt, quale eſt mortui hominis, et ſudore gelido viſcidoque obductum. Auctor ab aegro vocatus in hoc eum ſtatu reperit, quamquam cetera ſano homini primo adſpectu ſimillimum. Pulſum arteriarum tacturus, nullibi aliquem ſentire potuit, praeterquam in arteria temporali, eumque perquam debilem. Iuſſit tunc, aegrum linteis calefactis fricari ac foueri, et ipſi potionem cardiacam exhiberi. Sed vbi, poſt p. 57.
aliquot horas rediens, virum in eodem ſtatu rurſus reperit, ſuſpicari coepit gangraenam in aliqua parte abdominis, a ſtagnante ibi ſanguine effectam; hinc, remota iſta potione, aegrum bibere iuſſit infuſum corticis Chinae, et venam in brachio ſecari. Poſtridie mane, quum nunc aliquem pulſum in brachio ſentire poſſet, repeti iuſſit venae ſectionem; poſt meridiem porro, fortiori reddito pulſu, et aliquali corporis calore percepto, iterum ſanguinem mitti iuſſit. Sequenti die mane, quum pulſum bene fieri, neque caput aegri affectum eſſe videret, quartam ſanguinis miſſionem ſuaſit: ſed, eam diſſuadente alio medico

medico ſeniore, cardiaca potio electa eſt. Poſt meridiem autem huius diei reſpiratio aegri fortis et impedita, ac cum vndulatione muſculorum abdo-
p. 58. minis coniuncta, deprehenſa eſt. Quod ſymptoma quum in morbis ex inflammatione ſignum eſſe inſtantis mortis Auctor experientia eſſet edoctus, aegrum reliquit; qui paullo poſt animam reddidit. Sectio cadaueris veram fuiſſe docuit Auctoris ſententiam, falſamque alterius medici, qui ſedem ma-
p. 59. li in cerebro eſſe contenderat. Cerebrum enim et viſcera thoracis bene ſe habuerunt; in abdomine ſolus lien corruptus, et penitus putrefactus comparuit. Cauſſam ergo iſtius morbi ſic aeſtimat Auctor, vt ſtatuat, eum non tam a deſtructione ſubſtantiae lienis effectum fuiſſe, quippe quam haud raro induratam vel deletam cernere ſine tanto effectu liceat, quam potius a ſanguinis, cuius magna copia ad hoc viſcus aduehitur, corruptione, quam viſceris gangraena ipſi attulerit; hunc enim ſanguinem, reliquo ſanguini deinceps admixtum, omnem gangraenoſum reddidiſſe, et per huius in vaſa actionem circulum ſanguinis adeo retardatum, tandemque oppreſſum fuiſ-
p. 60. ſe. Ceterum gangraenae in liene iſtius viri cauſſam ex eius habitu ac vitae genere repetit. Erat enim, inquit, robuſtus et obeſus, nimiumque vacabat exercitatione corporis, qua non potuit non valde agitari et rarefieri ſanguis; quo factum eſt, vt in liene ſtagnaret, et mora ibi vitium contraheret.
p. 61. Qua animaduerſione Auctor etiam vtitur ad explicanda morbi ſymptomata, ſuumque in medendo conſilium defendendum.

3. *De longitudine maris ope lunae obſeruanda* commentatur DE LA CAILLE. Sequuntur

4. Cl. BRISSON *Obſeruationes de genere quodam cochleae terreſtris, cuius teſta ſine incommodo animalis*

fracta

fracta reperitur *). Haec cochlea eſt ex eo genere, quod *fuſum longum* appellant, et in agro Montis peſſulani degit; vnde quaedam ad REAUMURIUM miſſae fuerant, quae oua pepererunt. Ex his nata animalcula Cl. Auctor vsque ad poſtremum incrementi terminum obſeruauit diligenter, in vaſis vitreis cuſtodita, vt cognoſceret atque ad REAUMURIUM referret, qui fiat, vt teſtae harum cochlearum ſemper mutilatae reperiantur, licet animal nihil detrimenti inde pati videatur. Nam ad duorum pollicum longitudinem perueniret, et tredecim ſpiras haberet, ſi nullam faceret iacturam: ſed adultum ſemper reperitur carens poſtrema teſtae parte, et quatuor tantum ſpiras cum dimidia habens, quae vnius tantum pollicis cum ſexta parte longitudinem efficiunt. Vidit ergo, hanc cochleam ex ouo prodire cum tribus ſpiris integris, quibus poſt aliquot dies accreſcit quarta; ad hanc intra duos circiter menſes quinque nouae anterius accedunt. Dum nona ſpira formatur, animal paulatim extremitatem corporis retrahit verſus caput, et tres ſpiras poſtremas vacuas relinquit, quas ab anticis ſeparat quodam diaphragmate, quod ſibi format. Quo facto hae poſticae ſpirae, vtpote animali inutiles, rumpuntur, et paullo poſt ad aſperitates terrae alliſae cadunt. Poſtea noua ſpira accreſcit; qua formata, duae poſtremae cum dimidia eodem modo auelluntur, vt quatuor tantum cum dimidia ſuperſint. Porro teſta iterum vna ſpira augetur anterius, ſed poſtrema ſpira ſola perit. Deinceps, poſtquam per tres menſes hibernos in terra delituerunt, idem augmentum et decrementum teſta intra menſem aprilis patitur; quod ipſis rurſus, ac poſtremum, accidit menſe iunio. Hic enim eſt vltimus incrementi terminus, quo transgreſſo, amplius nec truncatur teſta,

p. 99.

*) Lectae d. 7. Dec. 1759.

teſta, neque extenditur in longum, remanentibus
p. 110. quatuor ſpiris cum dimidia. Quibus expoſitis, Auctor carbone notat aliquas propoſitiones, quas I. TH. KLEINIUM in *Lucubratiuncula de formatione, cremento, et coloribus teſtarum*, non conſulta experientia ſcripſiſſe affirmat.

5. *De cometa anni* 1759 *commentatur* CLAIRAUT.

p. 121. 6. *De charactere plantarum ſpecifico differit* Cl. GUETTARD *). In hac commentatione Vir Cl. ſibi potiſſimum propoſuit, oſtendere, quod characteres ſpecificos plantarum raro petere liceat ab earum glandulis et filamentis, atque hinc pendentibus quarundam plantae partium qualitatibus, ſecundum quas iſtae villoſae, viſcoſae, aſperae, laeues, ſpinoſae dicuntur. Rationem hanc affert, quod plerumque glandulae ſimiles eorumque vaſa excretoria
p. 128. ſimilia omnibus ſpeciebus eiusdem generis communia ſint, ſimul autem vel in vno eodemque indiuiduo partim euidentia, partim copia diuerſo tempore differant. Hinc enim conſequitur, vt characterem ſpecificum a glandulis earumque filamentis petendo, ſaepe in characterem incidere poſſimus, qui aut ineptus ſit, quum generi toti competat, aut fallax, quum indiuidua eiusdem ſpeciei nobis tanquam ad diuerſas ſpecies pertinentia, vel viciſſim, repraeſentet.
p. 133. ſentet. Exempli gratia, Ill. LINNAEUS, caſtanea et fago ſub nomine generico *Fagi* coniunctis, duas fagi ſpecies conſtituit, alteram foliis ſubtus nudis, alteram ſubtus tomentoſis; quod minus recte ab eo factum eſſe Auctor monet, quum prioris harum ſpecierum, vulgo caſtaneae nomine venientis, folia certo tempore etiam habeant glandulas villoſas (des houp-

*) L. d. 21. Iul. 1759.

houppes), propter quas tota eorum ſuperficies inferior albicat. Cuiusmodi exempla plurima Auctor exponit, ad ſuam ſententiam confirmandam. Solis p. 147.
illis glandulis, quae in alis foliorum reperiuntur, cum aliqua fiducia vti licere ad characteres ſpecificos exiſtimat, propterea, quod rariſſime accidat, vt, vbi illae ſemel fuerint, vnquam dispareant. Ceterum et initio et ſub finem huius commentationis aduerſus eos, qui botanicam ſine methodo, tanquam empirice, tractare geſtiunt, erudite disputat. Sequitur

7. *Commentarius* Cl. DE L'ISLE *de cometa anni* 1758.

8. Cl. GUETTARD *commentatio, in qua ea, quae conchitis in terra, ac conchyliis in mari reperiundis, accidunt, inter ſe comparantur.* Quum huic ſcri- p. 189.
ptioni occaſionem dederit ſingularis opinio Cl. BERTRANDI de origine conchitarum, quam alibi *) indicauimus: Auctor principio argumenta, quibus ille ſuam ſententiam fulcire voluit, breuiter refutat. Deinceps pro communi hodie ſententia, quae teſtas conchyliorum, in mari olim viuentium, in conchitas mutatas eſſe ſumit, noua argumenta proponit, a p. 195.
quibusdam accidentibus horum foſſilium, quae pariter in conchyliis marinis obſeruantur, petita. Sunt illa triplicis generis, 1. adhaeſio conchitarum ad ſe inuicem, vel ad alia corpora, 2. conſeruatio, 3. deſtructio vel deformatio. Quamobrem Auctor omnem hanc commentationem in tres partes diuiſit. Et in hac quidem *prima parte* de adhaeſione conchitarum agit, et primum oſtreas tum aliis oſtreis vel conchyliis, tum corporibus aliis, veluti ramis arborum, corallis, ſilicibus, vario modo innecti, et ſimilem nexum in foſſilibus, quae oſtreas referunt, reperiri, pluri-

mis

*) In Vol. XI. horum Comment. p. 625.

p. 213. mis docet, deinde de balanis ſeu conchis anatiferis,
p. 219 ac de tubulis idem oſtendit. Obſeruationem etiam
p. 225. hanc addit, quod vix cuiquam, qui nexum illum accuratius contempletur, dubium eſſe poſſit, quin ille ſucceſſiue, dum teſta ſit formata, factus ſit, ideoque animalculum olim teſtas illas foſſiles inhabitauerit.

9. Cl. LE GENTIL *Obſeruationes de ſtella* χ *mutabili in collo Cygni.*

10. Cl. ADANSON *deſcriptio nouae ſpeciei vermium, lignum et naues arrodentium, ad Senegalam ob-*
p. 250. *ſeruatae.* Hic vermis reperitur ad ripas fluuii in radicibus quarundam arborum, palisque ex earum ligno factis, ſub aqua, quae ibi per ſex fere menſes ſalſa eſſe ſolet. Degit in concha ſeu teſta, quae quidem non perfecte cylindrica, nec tamen turbinata eſt, et cuius longitudo nonnunquam decem pol-
p. 253. lices aequat, diameter dimidium pollicem. Corpus vermis eſt ſaccus membranoſus, mollis, ſubſtantiae ſimilis carni mytulorum vel oſtrearum, qui, quum plenus eſt aquae, cauum conchae prorſus explet. Affixus eſt vtrique extremitati conchae per muſcu-
p. 255. lum rotundum. Extremum ſuperius corporis deſinit in duos tubulos breues, per quorum alterum vermis aquam haurit, per alterum eam, poſtquam particulae limoſae, quibus nutritur, inde ſeparatae ſunt, excernit. Hos tubulos poteſt contrahere, et in concha recondere, orificium autem conchae claudere duabus valuis, palmularum luſoriarum figuram habentibus, quae aquae ingreſſum prohibent. Inferius extremum cingitur duabus laminis duris, conuexis, ex mobilibus, et ex parte ad inſtar limae aſperis, quibus vermis lignum, in quo habitat, elimat,
p. 258. domunculam ſuam ampliaturus. Terminatur autem hoc extremum corporis papilla, quam vermis

parum-

parumper exſerere ac retrahere poteſt, et cuius hic vſus eſſe videtur, vt limaturam ligni colligat, et aquae, per corpus vermis iugiter circulanti, tradat, per tubulum ſupra memoratum egerendam. Quibus expoſitis, Auctor ea, quibus hic vermis ab aliis teredinibus diſcrepat, accurate indicat, et ſimul quae VALLISNERIUS, DESLANDES, SELLIUS, et alii de teredinibus ſcripſerunt, ſub examen reuocat.

11. Cl. MARALDI *obſeruationes cometae anni 1759, cuius reditum* HALLEIUS *praedixerat.*

12. Cl. DE PARCIEUX *commentatio, in qua demonſtratur, rotas curſu fluuiorum maiorum motas longe maiorem effectum praeſtituras eſſe, ſi palmae ad radios inclinatae eſſent.*

13. Cl. BERTIN *commentarius de fluido nerueo.* p. 300.
Quum Vir Cl. in eo ſit, vt fluido nerueo circulationem afferat talem, qualem ſanguis in corpore viuo habet: viam ſibi ſternere voluit ad huius argumenti tractationem, ea percenſendo, quae hactenus de motu fluidi illius a phyſiologis tradita ſunt. Docet igi- p. 316.
tur in hoc commentario, iis, quae GALENUS de exiſtentia, natura et motu ſpirituum in neruis erudite propoſuit, vix quidquam adiectum eſſe induſtria eorum, qui poſt ipſum ad praeſens vsque tempus ea de re ſcripſerunt; niſi quod recentiores ſubtilioris anatomiae ope euictam dederint GALENI ſententiam, e maſſa ſanguinis ſecerni in cerebro fluidum illud ſubtiliſſimum, quod ſpiritus dixit, et per neruos in omnes partes corporis, ſenſus motusque gratia, diſtribui. Hac enim arte, et microſcopii auxi- p. 318.
lio, oſtenderunt, ſubſtantiam cerebri cineritiam compoſitam eſſe e vaſis, quae, poſtquam ex pia matre, vbi adhuc ſanguifera fuerunt, egreſſa ſunt, in

tubulos cryſtallinos ſeu lympham puram et pellucidam, ad inſtar cryſtalli, vehentes, degenerant, et ſubſtantiam medullarem ex illa corticali, tanquam eius continuatione, naſci, quemadmodum ſubſtan-
p. 319. tia tubuloſa renum ex eorum ſubſtantia corticali naſcitur. Sed quanquam apud omnes haud prorſus indoctos phyſiologos hodie in confeſſo eſt, ex ſubſtantia medullari cerebri ac cerebelli, et e medulla ſpinali ſpiritus influere in tubulos anguſtiſſimos neruorum maxima velocitate, ad efficiendam muſculorum contractionem: tamen illa quaeſtio, vtrum,
p. 325. quum muſculus relaxatus eſt, ſpiritus pergant influere in neruum, an influxus ille penitus ceſſet, aeque obſcura eſt etiamnum, ac GALENI tempore; licet plerique in ceſſationem influxus propenſiores eſſe videantur. Et quod ad motum ſpirituum in ſenſatione attinet, omnes fere arbitrantur, ſpiritus, qui in neruis ſenſoriis antea quieuerint, tunc repelli verſus cerebrum in iisdem canalibus, qui eos ad organa ſenſuum ducant. Itaque Vir Cl. circulationem ſpirituum per neruos affirmando, non immerito nouam ſe credit ſententiam proponere, cuius nulla in ſcriptis phyſiologicis mentio reperiatur, exceptis aliquot locis in Ill. HALLERI *comment.* in BOERHAAVII *praelectiones*, et *primis lineis Phyſiologiae*, vbi haec ſententia affertur quidem, ſed per
p. 302. modum quaeſtionis tantum, ceu mera coniectura, cui ipſe HALLERUS tam parum tribuit, vt in aliis locis eam reiiciat. Quo maiori deſiderio nos ſequentem Viri doctiſſimi commentarium exſpectamus, in quo ſe hanc rem idoneis rationibus confirmaturum eſſe pollicetur.

14. Cl. CASSINI DE THURY *commentarius de altitudine ſolis in ſolſtitio aeſtiuo anno* 1763.

15. Cl. GUETTARD *pars ſecunda commentationis de iis, quae conchitis et conchyliis in mari reperiundis accidunt, inter ſe comparatis.* Pergit nunc Auctor ad alterum genus eorum, quae circa conchylia marina obſeruantur, quod ad conſeruationem eorum ſpectat. Docet, dari conchylia quaedam, inprimis ea, quae *dactyli* dicuntur, quae ob ſuam conſeruationem in arena, madreporis, lignis, lapidibus, aliisque conchyliis ſeſe abſcondunt, item alia, quae paruis ſilicibus et conchyliis ſemet obtegunt. Multa vero Auctor exempla etiam profert conchitarum, in conchitis, aliisque corporibus, eisque duriſſimis repertorum. Et quanquam ſaepe veriſimile eſt, materiam circum illos paullatim induruiſſe: tamen de multis hoc cum aliqua veri ſpecie vix dici poteſt, et conſpicua adeo ſunt in nonnullis veſtigia laboris, quem animal, ſui conſeruandi cauſſa, in dura illa corpora penetrando ſubiiſſe videtur. Pariter inter conchitas nonnullos effodi, obſeruat Auctor, qui aliis minoribus conchitis, vel horum fragmentis tecti ſint, vel in quorum ſaltim ſuperficie cauitates cernantur, quibus inſediſſe alios conchitas veriſimile ſit. Quibus omnibus argumentorum pro origine conchitarum e conchyliis marinis numerus augetur. Ceterum, dum his exponendis vacauit Vir Cl. per occaſionem aliquam nouum etiam argumentum contra eorum ſententiam attulit, qui lignum vere petrefactum dari negant.

p. 330.

p. 340.

16. *Marchio* DE MONTALEMBERT *demonſtrat, quam periculoſae et inſufficientes ſint hactenus vſitatae rationes experiundi bonitatem ferri fuſi, ex quo tormenta bellica paranda ſunt, quale ferrum ad ea maxime idoneum ſit, et quibus mediis haec qualitas ferri tutiſſime cognoſci poſſit.*

p. 374. 17. Cl. DAUBENTON *) *veſpertiliones* deſcribit. Eorum quidem, qui in Gallia degunt, duae ſpecies ſub nominibus veſpertilionis maioris, et veſpertilionis minoris, iam dudum cognitae erant: ſed his quinque alias ſpecies addit Auctor, nondum deſcriptas, quas etiam nominibus peculiaribus inſignit. Capita horum omnium veſpertilionum delineata exhibet, quippe per quae ſpecies illas a ſe inuicem diſcernere licet. Deinde nouem ſpecies exoticas, a ſe obſeruatas, deſcribit, et nomina illis, ad modum
p. 394. SEBAE, imponit. In plerisque veſpertilionibus brachium vno oſſe conſtat, quod radio in ceteris animalibus ſimile eſt. Et magis etiam ſingulare hoc eſt, quod oſſa metacarpi, praeter primum, et phalanges digitorum, praeter duas phalanges pollicis, ſint mirifice longae. Ratio autem huius rei eſt, quod primum os metacarpi, cum pollice, his beſtiis pro pede eſt, quum non volant; cetera autem oſſa metacarpi, et ceteri digiti, alarum ſuſtentacula ſunt.
p. 397. Maxilla ſuperior in plerisque veſpertilionibus eſt interrupta, ita, vt pars anterior palati ſit membranacea. Sequitur

18. *Pars III commentationis* Cl. GUETTARD *de eorum, quae conchitis et conchyliis in mari reperi-*
p. 399. *undis accidunt, comparatione.* Accedit nunc Vir Cl. ad tertium genus eorum, quae tam conchitis, quam conchyliis marinis accidunt, deformationem puta, et deſtructionem. Deformationis exempla affert in quibusdam echinitis, ſtrombis, et cardiolithis. Et quanquam non omnino negat, potuiſſe nonnunquam deformationem oriri a compreſſione aliqua concharum, limo iam obductarum, et per liquores quosdam, in eas penetrantes, emollitarum: tamen huic ſententiae, a ſe ipſo olim propoſitae, nunc, viſis-

*) L. d. 22. Aug. 1759.

ſis pluribus deformationis exemplis, praeferendam cenſet iſtam, quae conchylia, in mari adhuc degentia, deformationem iam paſſa eſſe ſumit. Quod denique ad deſtructionem attinet, concedit quidem, poſſe conchas deſtrui tandem in terra a liquoribus, quibus penetrantur: ſed autumat tamen, in nonnullis exemplis fere manifeſtum eſſe, accidiſſe deſtructionem aut tunc, quum conchylia limo obducta ſunt, aut longe antea; veluti in oſtreis et buccinis, p. 406.
quorum teſtae permultis foraminibus, variae et irregularis figurae, pertuſae a fluctibus maris in littora eiiciuntur, et quibus prorſus ſimilia foſſilia in terra reperiuntur; item in chamis et tellinis illis, fora- p. 407.
men conicum habentibus, a buccino, quod ſe illorum animantium ſucco nutrit, formatum, quae chamae et tellinae a piſcatoribus e mari mediterraneo et oceano quotidie extrahuntur, et omnino ſimiles ſunt conchitis, foramine conico pertuſis, qui e terra effodiuntur. Ceterum ſub finem huius commen- p. 414.
tationis Auctor etiam ex indole lithophythorum et ichthyolithorum argumenta petit, quibus Cl. BERTRANDI opinio conuellitur.

19. *Equitis* D'ARCY *commentatio de praeceſſione aequinoctiorum.*

20. *De ligno petrefacto* Cl. FOUGEROUX DE p. 431.
BONDAROY *commentarius* *). Lignorum petrefactorum ſpecies ab incautis miraculorum naturae amatoribus nimium multiplicatas, et in hunc numerum relatos ſaepe eſſe lapides filamentoſos ac foliaceos, externa quadam ſpecie lignum mentientes, non eſt diſſimulandum. Et deprehendit eorum quidem errorem peritiorum hiſtoriae naturalis obſeruatio, qua lapides illos vaſtorum ſtratorum terrae homogeneo-

 rum

*) L. d. 21. Aug. 1756.

rum partes fuiſſe animaduerterunt: ſed hinc haud
pauci, vt fit, in contrarium errorem ſeducti ſunt, vt
ligna petrefacta dari omnino negarent, ſimplicem
tantum incruſtationem concedentes. His Auctor
opponit exemplum trunci arboris cum radicibus,
p. 434. quem petrefactum reperit Cl. DU HAMEL prope
Rupemfortem in collis cuiusdam ſtrato argillaceo vel
potius limoſo, cui incumbit ſtratum e lapillis albis
et duris conſtans, decem pollices altum, ſub humo
nigra et leui poſitum, quae duos fere pedes alta eſt.
Strato, in quo arbor petrefacta delituit, ſubiacet ſtra-
tum ſabuli lutei, quod obtegit lapicidinam, quae ad
radices vsque collis extenditur, et in qua lapis eius-
dem fere grani cum trunco petrefacto habetur. De-
ſcripta hac arbore, Auctor coniecturis, experientia
nixis, explicare ſtudet modum, quo lignum in lapi-
p. 442. dem conuertitur. Sententia eius huc fere redit:
maxima ligni parte putreſcendo deſtructa, remane-
re tantummodo quaſi ſceletum ligneum, conſtan-
tem e moleculis terrae vegetabilis ſubtiliſ, quae ſi-
tum et poſitionem, quam in viua arbore habuerunt,
ita conſeruant, vt organica ligni ſtructura inde ad-
huc agnoſci queat; huius ſceleti terreas quaſi fibras
permeari iuxta ipſarum directionem a liquore illo
cryſtallino ſeu petrefaciente, qui colligendis et vni-
endis moleculis terreis, ad eam rem idoneis, lapi-
p. 445. des generet (qualem liquorem dari, multis proba-
bilibus argumentis confirmat), et ſic fibras illas ter-
reas in lapideas mutari. Et quemadmodum diuer-
ſam lapidum diuerſorum indolem non ſolum a diuer-
ſis qualitatibus illius liquoris, ſed etiam a diuerſa na-
tura materiarum, quae petrefiunt, pendere veriſi-
mile eſt; ita et hinc explicari poſſe autumat diſcri-
men, quod in partium arboris petrefactarum corti-
ce, libro, et ligno obſeruatur. Praeterea quorun-
dam aliorum admirabilium phaenomenorum, in li-
gnis

gnis petrefactis obſeruatorum, rationes ex ſua ſententia reddere conatur; ſed de his vt harum rerum curioſi ipſum hunc commentarium conſulant, ſatius eſſe putamus.

21. Cl. LE GENTIL *annotationes de ſtellis nebuloſis.*

22. Cl. FOUGEROUX DE BONDAROY *commentarius de alumine* *). Alumen eſſe ſalem neu-
trum, qui fiat combinatione acidi vitriolici cum baſi
terrea, ſatis quidem exploratum eſt: ſed qualis ter-
ra illa baſis ſit, nondum liquet. Quod conſiderans
Vir Cl. propoſuit ſibi, acidum vitriolicum cum plu- p. 472.
rimis terris alcalinis combinare, et qualia ſalia neu-
tra inde reſultent, annotare, vt hac via in eam terram
incideret, quae aluminis baſis eſt. Quae haec labo-
rum ſeries ipſi ſuppeditauit memoria digna, ſuo
tempore cum chemicis communicabit; in praeſen- p. 476.
ti autem duo tantum ex illis depromere voluit. Vi-
delicet terra quaedam ſubtilis, leuis, citrini coloris,
prope vrbem Redonum in Britannia minori in loco, p. 478.
vbi terra tripolitana effoditur, reperiunda, cum aci-
do vitriolico combinata, ſine addito alcalino ſale,
breui tempore ſuppeditauit ipſi verum alumen. De- p. 481.
inde ſimiliter ex contuſo lapide cinerei coloris, in
quo amiantus Cyprius naſcitur, obtinuit cryſtallos,
quae omnes aluminis proprietates habebant, prae-
ter figuram, quippe quae non octaedra, ſed paral-
lelepipeda oblonga, in pyramidem deſinentia, re-
praeſentabat.

23. Cl. DE CHABERT *ſchema obſeruationum aſtronomicarum et hydrographicarum, quae ſeriem mappa-*

*) L. d. 7. Dec. 1759.

rum nauticarum, pro mari mediterraneo exacte conſtruendarum, praebere poſſunt.

24. Cl. DU HAMEL *obſeruationes botanico-meteorologicae anno* 1758 *habitae.*

25. Cl. DE LA CAILLE *monita de computo elementorum theoriae cometae anni* 1759.

26. Cl. MORAND, *iunioris, disquiſitiones anatomicae de ſtructura et vſu thymi* *). Circa ſtructuram
p. 526. thymi praeter nota obſeruat, eum ex pluribus lobis conſtare, a membrana, in quam mediaſtinum expanſum eſt, cinctis et ſibi inuicem annexis, qua mem-
p. 534 brana etiam totus thymus inuoluitur; maſſam autem cuiusque lobi in canibus et vitulis plurimas continere cellulas, liquore lacteo plenas, in infantibus vero longe pauciores cellulas, et parum liquoris lactei, ſed largas cauitates vacuas, a BARTHOLINO iam notatas. Hinc rationem reddit, cur thymus in recens nato mirifice amplietur, paullo poſt autem
p. 535. decreſcat, et in adultis fere oblitteretur. Illud, inquit, efficitur abundantia ſanguinis, in infante, qui mammas matris ſugere coepit, qua fibrae, vaſa et cellulae thymi adhuc valde flexilis non extendi non poſſunt; hoc inde partim eſt, quod ſanguis, qui nunc craſſioribus et minus fluidis particulis conſtat, perquam anguſtos tubulos thymi non amplius permeare, eosque flexiles ſeruare poteſt, vnde fit, vt impulſioni fluidorum ac motui cordis reſiſtentes non modo non extendantur amplius, verum etiam indureſcant, partim a motu pulmonum pendet, quippe qui non ſolum in inſpiratione thymum comprimunt, ſed quoque, ſanguinem libere transmittendo, multum eius arteriae carotidi et arteriae thymicae ſubtrahunt,

*) L. d. 1. Dec. 1759.

trahunt, vt ſolita fluidorum copia ad thymum non amplius deferatur. Quod ad vſum thymi attinet, docet Auctor idoneis argumentis, quod ab aliis coniectatum erat, eum totum ad nutritionem foetus in vtero pertinere, quatenus ſanguis nondum ſatis ela- p. 531. boratus parte ſucci lactei, quem ex vtero vel placenta ſecum attulit, in cellulis huius viſceris priuatur, vt reliqua pars, nunc depurata, et affuſo per vaſa thymi lymphatica liquore modificata, ad ductum thoracicum et venam ſubclauiam per eadem vaſa lymphatica deferri, et torrenti circulantis ſanguinis immiſceri poſſit.

27. Cl. GUETTARD *commentarius de topographia mineralogica Aluerniae.* Deſcribitur hic regio circa *Ricomagum*, reſpectu ad foſſilia habito, quae ibi in et ſub terra reperiuntur. Quia autem, quae hic leguntur, in compendium mitti non poſſunt, duo tantum inde enotabimus, quae nobis prae ceteris memorabilia videntur. Quum canalis excauabatur, p. 545. reperiebatur marga fuſco-lutea, quae per campos vicinos diſſipata, terram admodum fertilem reddidit. In quibusdam praedictae regionis locis lignum p. 550. petrefactum effoditur, veluti in territorio *Claramontii.* Fruſtum quoddam huius ligni, aquae iniectum, vt ablueretur, aquam citrino colore tinxit, et redditum eſt mollius, vt inde ſcintillae acie difficilius, quam antea, elicerentur. Quum Cl. DU TOUR fruſtum eiusmodi ligni petrefacti ad medietatem immergeret aquae, vidit eam ſpatio quadrantis horae pollicem vltra libellam in ipſo aſcendere, tanquam in tubulo capillari, vel in panni lacinia; quanquam fibrae ligni maſſam continuam ſine interſtitiis formare videntur.

II.

Relation d'une Maladie epidemique et contagieuſe, qui a regné l'Eté et l'Automne 1757 ſur des Animaux de differentes eſpeces dans quelques villes et plus de ſoixante Paroiſſes de la Brie etc. Par M. H. AUDOUIN DE CHAIGNEBRUN, ancien Chirurgien des Hopitaux et Armées du Roi, et actuellement Medicin employé ordinairement, par ordre de Sa Majeſté aux epidemies des Hommes. Paris chès L. Prault. 1762. 12. p. 58.

i. e.

Relatio de morbo epidemico et contagioſo, qui per aeſtatem et autumnum anni 1757 graſſabatur inter animalia varii generis in nonnullis vrbibus et plus quam ſexaginta parochiis prouinciae Brienſis. Autore H. AUDOUIN DE CHAIGNEBRUN.

p. 3. Morbus hic contagioſus non boues tantum, ſed et equos atque inprimis, quod rariſſime alias fieri ſolet, aſinos inuaſit, maximamque horum animalium partem in prouincia Brienſi occidit. In animalibus vero eo correptis, nulla fere febris, nullaeque praeter naturales excretiones animaduertebantur, eaque ipſa fere ad mortem vsque cibum potumque conſueto more capiebant. Praecipuum itaque morbi ſignum erant tumores quidam, nullum dolorem excitantes, mollioresque, fouea ſcilicet digito impreſſa diu in illis ſubſiſtente. Oriebantur vero eiusmodi tumores ſub cute in tela celluloſa, iis potiſſimum in locis, vbi ea laxiorem quodammodo habitum

tum oſtendere ſolet, v. c. in inferiore colli, pecto-ris et abdominis parte, in ſcroto et ad vbera. Talium tumorum plerumque duo ad ſex vsque aderant, quorum ſinguli inter ſe chordarum eleuatarum ope communicabant. Repleti erant intus tela celluloſa fungoſa, ſanguinolentum ichorem continente, atque iure a Noſtro cum carbunculis et bubonibus comparantur. Qui ex vena animalis contagioſo hoc morbo affecti profluebat ſanguis, maxima corruptionis dabat ſigna. Erat enim ſpumeſcens, viſcidus, nonnunquam quaſi lardoſus, atque vt plurimum cruor nigrum, ſeroſa vero pars flaueſcentem vel virideſcentem habebat colorem. Quae vero a Cl. Auctore hic collectae ſunt hiſtoriae diſſectionum animalium, quae hoc morbo interfecta ſunt, eae oſtendunt, locum, quem tumores hi exterius conſpiciendi occupabant, ſemper relationem quandam habuiſſe ad internam morbi ſedem, aut partes vi morbi corruptas.
In iis enim animalibus, in quibus vel thoracis vel ab- p. 23.
dominis viſcera laeſa erant, ſemper quoque tumores vel ſub thoracis vel ſub abdominis integumentis reperiebantur.. Quodſi vero nulli tumores exterius aderant, tunc ſemper ſanguis reſolutus in internas corporis cauitates effuſus deprehendebatur.

Cauſam autem epidemiae huius Cl. Auctor potiſ- p. 24.
ſimum in calore aeſtatis 1757 ponit, quippe qui ob praegreſſam pluuioſam tempeſtatem aeris corruptioni et contagioſis morbis, praecipue in paludoſa regione, qualis Brienſis eſt, facile occaſionem
dare poterat. Curationis methodus accommodan- p. 27.
da eſt ſtadio morbi animalis eo correpti. Animalia illa, quae tumores exterius habebant, facilius euadebant, quam ea, in quibus viſcera corrupta erant, in quibus plerumque morbus fatalem exitum habebat. Inter remedia a noſtro propoſita venaeſectio primum occupat locum. Quae vero crebrius repeten-

da

da atque in initio ſtatim morbi adminiſtranda eſt. Commendantur porro clyſmata lenia et purgantia antiphlogiſtica, draſtica vero omnia reiiciuntur, e contrario autem ſerum lactis, cremor tartari et nitrum laudantur. Tumores reſoluere optimum eſt; quodſi vero hoc commode fieri non poteſt, tunc incidendi, et, ſi gangraena iam acceſſerit, exſtirpandi
p. 44. ſunt. Praeſeruationi inſeruiunt purgantia et cauterii adplicatio. Reliqua huius libelli curam potiſſimum concernunt, qua contagii progreſſus coercen-
p. 54. dus eſt, atque nil niſi cognita continent. In fine huius tractationis aliquae obſeruationes adnexae ſunt, in quibus Cl. Auctor ex morbi deſcripti hiſtoria nonnulla phaenomena, quae in morbis hominum nonnunquam obſeruantur, explicare tentat. Putat enim Noſter, tumores metaſtaticos, qui ſaepe ex vno loco ad alterum tranſeunt, locum ſuum mutare ope telae celluloſae et chordarum illarum, quas in animalibus ſimili materia purulenta repletas vidit. Venerei quoque veneni ſedem potiſſimum in tela celluloſa ponit, atque ſaepe et in aliis morbis materiam morboſam in contextu celluloſo haerere, viſceribus ipſis illaeſis, variis argumentis confirmat.

III.

IO. HUXHAMI, Med. Doct. Reg. Societ. Londin. et Collegii Regii Medicorum Edimburgenſis Socii, Opera phyſico medica. Curante GEORGIO CHRISTIANO REICHEL, Phil. et Med. Doct. et Facult. Med. Lipſ. Aſſeſſore. Lipſiae, impenſis Io. Paul Kraus, 1764. 8. Tom. I. Alph. 1. pl. 1. Tom. II. pl. 14½. T. III. pl. 13½. c. tab. aen.

Quae nouitate ac vtilitate ſeſe commendant ſcripta, de iis vt referamus ad Lectores noſtros, ipſi

ipſi forſitan a nobis exſpectant: nouum vero quum ei, quod vtile eſt, longe poſtponi debeat, iis gratum fore ſperamus, ſi nouam breuiter indicemus editionem libri, in quo quidem noui aut nondum impreſſi quid fruſtra quaeſiuerint, cuius tamen medici eruditi omnes vno fere ore ſunt confeſſi praeſtantiam, quae ſimul exinde apparet, quod maxima eius pars vel aliquoties recuſa, vel etiam in alias linguas ſit translata. Hinc nulli dubitamus decernere laudes Cl. REICHEL, quod ſcripta Cl. HUXHAMI, quotquot conquirere potuit, iunctim edendi, et opera haec vulgatiora reddendi inierit conſilium. Quae latino ſermone conſcripta ediderat olim Cl. HUXHAMUS, integra et nullo modo immutata hic denuo traduntur, quae vero in diariis variis ſparſim extabant anglice et gallice, collegit latinitatique reddidit indicemque locupletiſſimum adiici curauit Cl. REICHEL.

Nos vero, cum de nonnullis alibi iam expoſuimus, nunc elenchum tantum faciamus, vt pateat, quaenam ſint Cl. HUXHAMI ſcripta in his operibus inuenienda. Placuit Editori, in tres tomos vt diuideretur opus, quorum *primus* Obſeruationes de aere et morbis epidemicis, ab anno 1728 ad finem anni 1748 vsque Plymuthi factas, olim duobus voluminibus editas et a nobis iam *) laudatas, continet. *Secundus tomus* in ſe comprehendit librum de febribus earumque variis generibus, cui adiuncta eſt diſſ. de variolis, et altera de pleuritide et peripneumonia. *Tertius tomus*, opuſcula varia exhibens, complectitur 1) Excerptum epiſtolae ad IAC. IURINUM datae, partium genitalium in muliere ſtructuram praeternaturalem ſiſtentis, quod in Transact. philoſoph. Anno 1723 Num. 379. p. 408. proſtat; 2) Obſeruationes duas rariores, quarum prima ingens

*) vid. Comment. noſtr. Vol. II. p. 577.

gens omentum, altera ſaliuae colorem inſolitum concernit, in epiſtola ad eundem, deſumtas ex Transact. phil. Ann. 1724. Num. 382. p. 60. 3) Diſſ. breuem de variolis epidemicis anomalis, phil. Transact. Ann. 1725. Num. 390. p. 379. inſertam, latine verſam. 4) Diſſ. de aurora boreali ex Transact. phil. Ann. 1726. Num. 395. p. 132. 5) Duos caſus rariſſimos ex epiſtola ad GUIL. RUTTY, in Transact. phil. Ann. 1730. Num 413. p. 217. 6) de morbo colico ſingulari epiſtolam ad IAC. IURIN, ex phil. Transact. Ann. 1732. Num. 422. p. 236. 7) Diſſ. de polypis ex nautarum ab India occidentali Plymuthum proxime reuertentium corde extractis, ex epiſtola ad Cl. MORTIMER data et in phil. Transact. Ann. 1742. Num. 464. p. 123. extante. 8) Opuſculum de morbo colico Damnoniorum, eoque maxime epidemico anno 1724. 9) Nautarum in diu durantibus curſibus exploratoriis et longis itineribus ſanitatem conſeruandi methodum. 10) Diſſ. de angina maligna; inuenitur haec in Recueil periodique des Obſeruations de Medecine, Chirurgie et Pharmacie, par M. VANDERMONDE Tom. VII. p. 241 et 321 *); vltimo tandem loco adduntur obſeruationes medicae et chemicae de antimonio, primo ſeorſim editae et poſtmodum phil. Transact. Vol. XLVIII. p. 832. **) inſertae.

Atque haec ſunt, quae in his deprehenduntur operibus. Cum vero Cl. REICHEL ſibi expetierit a lectoribus plura, ſi fieri poſſet, ſibi indicare Cl. HUXHAMI opuſcula, non poſſumus, quin moneamus, nonnullas minoris etſi molis et operae proſtare obſeruationes et epiſtolas, hic omiſſas: ita e. c. legi poſſunt in phil. Transact. Vol. XLVI. p. 472. Litterae ad Cl. MORTIMER datae, in quibus obſeruationes aurorae borealis

*) vid. Comment. noſtr. Vol. VIII. p. 454. 457.
**) ibid. Vol. V. p. 592.

realis diebus 15 et 16. Febr. anno 1749 - 50. viſae continentur *); in eiusdem diarii Vol. L. P. I. p. 428 etiam reperitur obſeruatio de calore aeris menſe iulio 1757, propoſita in literis ad Cl. WATSON **), et Vol. L. P. II. p. 523. relatio traditur de aeſtu extraordinario iulii 1757 eiusque effectibus in literis ad Cl. WATSON datis ***); itidem occurrit in Vol. LII. Part. II. p. 515 extractum epiſtolae ad eundem, referens duos memorabiles caſus chirurgicos ****), vt alias HUXHAMO non proprias, ab ipſo tamen Societati Regiae communicatas taceamus obſeruationes, quas cum aliis tum editis tum forſan adhuc edendis Cl. HUXHAMI opuſculis in ſupplemento ſeu quarto horum opuſculorum tomo itidem a Cl. REICHEL editum iri confidimus.

IV.

Das Steinreich ſyſtematiſch entworfen von IOH. ERNST IMMANUEL WALCH, *der Beredſamkeit und Dichtkunſt ordentl. öffentlicher Lehrer auf der Univerſität zu Jena. Halle, bey Joh. Juſtinus Gebauer,* 1762. 8. *pl.* 11½. *m.* 24 *Kupfertafeln.*

i. e.

Regnum lapideum ſyſtematice propoſitum ab IO. ERN. IMMAN. WALCH.

Cl. Auctor in praefatione huius libri fatetur, ſe vix librum peruoluiſſe lithologicum vel mineralogicum, quin erroribus vel difficultatibus obrutus fuiſſet.

*) vid. Comment. noſtr. Vol. I. 696.
**) ibid. Vol. IX. p. 694.
***) ibid. Vol. X. p. 134.
****) ibid. Vol. XIII. p. 13.

fuiſſet. In omnibus reprehendit: 1) plurima ſyſtemata chemicis ſuperſtructa eſſe fundamentis, in qua tamen norma non vno modo impediatur is, qui per ignem foſſilium differentias eruere ſatagit, quin potius et operoſiſſimam rem et ſaepius non licitam ſuscipiat, atque hac ratione lithographia cum lithognoſia confundatur; 2) non ſatis determinari characteres, formam et externum habitum, quibus lapides a ſe inuicem dignoſcuntur, cuius vitii cauſſam vel in deſcribendi modo vel in defectu iconum latere arbitratur; 3) quoad ſyſtematicam eorum diſpoſitionem, claſſes et ordines ſaepe praeter neceſſitatem augeri, ſpecies et varietates neque rite diſtinctas neque recte annotatas eſſe; 4) eos, qui lithographias ſcripſerunt, in ſuis ſcriptis alios auctores non frequenter et copioſe citaſſe; 5) confuſionem inde exoriri, quod vagi nimis in determinandis denominandisque lapidibus fuerint auctores; 6) denique, nimis ſtudioſe a multis animaduerti loca, vbi haec corpora, petrefacta inprimis, reperiuntur, cum tamen exinde non ſatis diſtingui poſſit, vtrum ab aqua ſeu fluuiis eo aduecti ſint lapides, vel an ibidem effoſſi caeſique. Quo itaque has difficultates euitaret Cl. Auctor, in hoc libro ad quinque potiſſimum reſpexit momenta: 1) vt lapides omnes, ſiue ſint figurati nec ne, non chemiae ope, ſed characteribus ſenſui obuiis discerneret, et ea inprimis ſigna, quae a forma, colore, habitu externo, partium diſpoſitione cet. deſumuntur, colligeret; 2) vt corpora haec lapidea non modo, quatenus fieri poſſet, deſcriberentur, ſed iconibus etiam illuſtrarentur; 3) vt concinnior ſeruaretur ordo rerum diſtribuendarum, quo lapidum genera et ſpecies melius intelligerentur; 4) vt ſimul adducerentur peritiſſimorum virorum libri, eo quidem conſilio, vt ipſos fontes adeundi opportuna cuique eſſet occaſio; 5) vt quod-

cunque

cunque ſuperfluum ſit in lithologia, omittatur. Icones huic libro additae, non inelegantes, ad naturalia exemplaria lapidum ex muſeo Cl. WALCH factae, ea ſatis apte exprimunt. En! conſilium Auctoris, ſimul ac ſummam libri, qui duobus conſtat capitibus, quorum primum agit de rebus lapideis in genere, alterum de corporibus, quae petrefacta vulgo dicuntur.

Color et forma vt ſigna, ab externo habitu deſumpta, ſufficiunt, ex quibus ſolis in muſeis collectorum lapidum differentiae ſtabiliri poſſint. Quo autem appareat, quo ordine ſyſtematice ſecundum hoc diuiſionis fundamentum lapides collocauerit Cl. Auctor, ſatius eſſe putamus, tabulam generalem libri adponere. Lapides itaque ſunt vel p. 3.

figurati

I. idiomorphi
- A. forma quadam
  - a) natura formati, vt
    - α) quarzum, gypſum, ſpatum
    - β) ſtalactitae
    - γ) lapides polyaedri, vt pyrites.
  - b) caſu fortuito formati, his eſt ſimilitudo
    - α) cum corporibus naturalibus
      1. animalibus
      2. vegetabilibus, vt amygdalitae, ficolitae cet.
    - β) cum artefactis
      1. facie externa, v. c. caſei facie
      2. ſtructura interna, vt aetitae.
- B. picti
  - a) pictura per integrum lapidem, vt farciminis facie lapides.
  - b) in ſuperficie tantum, quorum eſt ſimilitudo

α) cum rebus naturalibus

1. corporibus coeleſtibus, aſteritae

2. terreſtribus, limnitae, chorolithi cet.

β) cum artefactis, vt grammatolithi, ſtaurolithi cet.

II. heteromorphi, quorum forma

A. deſumptis partibus quibusdam orta; vt ceraunei.

B. auctis aliisque partibus corporum diuerſorum adiectis expreſſa; corpora haec peregrina

a) vel adhuc ſuperſunt, vt

α) corpora petrefacta et ex re metallica conſtantia

β) mutata calce vel terra

γ) indurata atque incruſtata.

b) vel non ſuperſunt, ſed impreſſionis modo ſigna

α) facie externa

β) facie interna.

vel non figurati

I. Lapides continui, partibus inconſpicuis

A. pellucidi, vt quarzum quodlibet, eſt

a) vel purum, vt

α) gemmae verae, adamas.

β) ſpuriae, cryſtalli.

b) vel impurum.

B. ſemipellucidi, *Hornſteine*, quorum alii

a) nobiles, carneolus, onyx.

b) ignobiles, ſilex vulgaris.

C. opaci

a) nobiles, iaspis, lapis lazuli, heliotropius cet.

b) ignobiles.

II. Lapides granulati,

A. molles, et forma et magnitudine varia

a) tactu aſpero,

α) particulis micantibus fractura facta, alabaſtrum.

β) nullis micantibus, marmora.

b) tactu leni,

α) paululum pellucidi, *Nierenſtein.*

β) opaci, ſmectis.

B. duri, quarzo ſimiles, lapides arenarii omnes.

III. Lapides lamelloſi,

A. tactu glabro,

a) vel lamelloſi, cuborum forma, nexu partium aſperi, ſelenites.

b) vel lamellis conſtantes ſplendentibus, ſuperficie plana, mica glacies mariae.

B. tactu, vt in pinguibus corporibus, talcum, *Talk.*

IV. Lapides filamentoſi,

A. fibris compoſiti, pumex.

B. filamentis radiorum modo poſitis, laxis, ſuillus lapis Bononienſis.

C. filamentoſi ſimpliciter, amianthus.

V. Lapides ſciſſiles

A. colore nigro

B. variantibus coloribus.

Sequitur alia de petrefactis tabula, complectens primum regni animalis corpora, quibus denique ea ad vegetabile regnum pertinentia ſubiunguntur hoc modo:

Animale regnum

I. Animalia lapidea terreſtria

1) corporis humani

2) animalium quadrupedum

3) auium

4) inſectorum

5) vermium,

II. Animalia lapidea aquatica:
1) abſque valuis
2) cum valuis
α) cochleae lapideae:
— abſque turbinibus
— cum turbinibus.
β) conchae lapideae:
— animalia vniualuia.
— biualuia.
— multiualuia.
III. Animalia lapidea, amphibia dicta.

Vegetabile regnum.

I. Plantae terreſtres.
II. Plantae marinae.

p. 46. Petrefactorum ſeptem genera Cl. Auctor eſſe ſtatuit, ſunt alia, inquit, vere lapidea, vel metallis impraegnata; alia in calcem mutata; terris ſimilia; obdurata; incruſtata; animalia et plantae in lapide expreſſa; lapidum nuclei, imagines rerum imitantes.

p. 47. Quaeſtiones, paucis ſolutae, ſunt ſequentes: prima eſt de petrefactorum ortu, vbi monet Cl. Auctor, petrefacta ad naturae luſus non pertinere; eſſe corpora in lapides mutata, de quibus certe conſtet, ea originem vel ex animali vel vegetabili regno coepiſſe; non omnia animantia vt vegetabilia eiusmodi mutationem eadem facilitate admittere; quotidie oriri petrefacta; mutationis tempus eſſe incertum; cauendum eſſe ſibi, ne vera petrificata cum opinatis confundantur. De petrefactorum loco altera exiſtit quaeſtio, quid enim in cauſa eſt, cur in altiſſimorum quoque montium acuminibus talia corpora reperiantur? Quaedam, eſt ſententia Auctoris, eſſe diluuii vniuerſalis monumenta; permulta alia nullo modo, nec vbiuis locorum vna eademque petrefacta extare, neque omnibus eſſe eandem lapidum

dum naturam, ſed plerumque ratione matricis differre. Iam ex his, quae diximus, patet, quomodo Cl. Auctoris libellus ad intelligendas rerum lapidearum ſeries ſit proficuus? Nos de eius vtilitate plane non dubitamus.

V.

Elementa phyſiologiae corporis humani. Auctore ALBERTO V. HALLER etc. Tomus ſeptimus. Inteſtina. Chylus. Vrina. Semen. Muliebria. Bernae, ſumptibus ſocietatis typographicae, 1765. 4. P. I. Alph. 3. pl. 5. P. II. Alph. 1. pl. 2. tab. aen. 1.

In praefatione, quae huic tomo praefixa eſt, Ill. Auctor defenſionem ſententiae ſuae de ſenſibilitate et irritabilitate, quam denuo impugnauit ROBERTUS WHYTT, addit, eamque nouis argumentis corroborat. Quod ad contenta huius tomi attinet, in duas partes iſte diuiditur: in priore nimirum nonnulla adhuc, quae ſunt toti generi humano communia, et quae ſexus maſculus peculiaria habet, explicantur, in poſteriore autem de ſexu altero diſſeritur. Sic liber primus, ordine tamen vigeſimus quartus, de inteſtinis; vigeſimus quintus de vaſis chyliferis; vigeſimus ſextus de viis vrinariis, et vigeſimus ſeptimus de partibus genitalibus maſculis agit; vigeſimus demum octauus, qui partem poſteriorem vnice conſtituit, muliebria eorumque functiones exponit.

Ab inteſtinis tenuibus initium fit; latius quam cor ipſum regnat inteſtinum, et in homine nonnullisque animalibus inteſtinorum diſcrimen eſt, alia tenuia, alia craſſa; in vtraque claſſe differt fabrica et contenta materia, ac in vniuerſum plus eſt in laxi- p. 1.

 ori

ori inteſtino fibrarum longarum, transuerſarum in tenui. Homini vulgo dicuntur eſſe proprii corporis ſextupla: ſed variat haec menſura. Inteſtinorum tenuium in omnibus animalibus maior eſt longitudo, quam craſſorum. Plerumque tenuia in duodenum, ieiunum et ileon diuiduntur; non bene tamen. Vnicum enim eſt, cum et ſimilis ei fere vndique fabrica ſit, et diameter parum diuerſa. Incipit tenue inteſtinum a ventriculo, omneque, quod eſt inter meſocolon transuerſum et inter coecum, hoc nomine inſigniendum eſt. Inteſtinum cylindrus eſt membranaceus, et prima membrana a peritonaeo prouenit, quae in duodeno non reperitur, eſtque ea inſenſilis, ſequitur celluloſa prima, deinde membrana muſculoſa, in qua fibrae longae et circulares deprehenduntur, hae in homine validiores, illae vero tenuiores ſunt. Hanc excipit neruea, tum celluloſa tertia, vltimo villoſa, et haec epidermis eſt continuata, atque dicitur inſenſilis, et valuulae quae in inteſtinis ſunt, ab hac tunica proueniunt: eſt enim ea multo amplior, quam tunica neruea, ideoque valuulae ſunt e duplice villoſa tunica. In hac villi ſunt conſpicui, qui fiunt epidermide et interiore celluloſa tela, nec vllo modo debent referri ad fibras muſculares. In his inteſtinis et folliculi varii et frequentiores glandulae ſunt, ex quibus humor prouenit, cuius natura, cum varii humores, vt bilis, liquor pancreaticus etc. admixti ſint, non ſatis conſtat, copia tamen reliquos humores ſuperare, et mitis, ſubſalſus, paulo viſcidus, ad putredinem facilis, conſolidandis teneris inteſtinorum neruis, ab acrimonia violatis, aptus eſſe dicitur. Hic ipſe humor praecipua penus erit, de qua vaſa lactea ſuum, praeter chylum, humorem ſugunt, lympham nempe reſumunt. Praeterea et copioſa vaſa, tum arterioſa, tum venoſa, neque pauciores nerui in inteſtinis ſunt.

Deſcri-

Deſcriptis inteſtinis tenuibus, functionem eorum conſiderat Noſter, quam in mutandis alimentis conſiſtere, oſtendit. Maſſa haec alimentoſa, mucoſa et viſcida, flaua ſaepe, nunquam alba, in duodenum venit, in quo tamen iam albeſcit, ab admiſta vero bile perpetuo flaueſcit: in ieiuno quidem inteſtino maſſa de cibo ſuperſtes flaueſcit, eo magis tamen albeſcit, quo longius per ieiunum percurrit ſpatium. In ileo mucus quidem ſemper, magis autem magisque pellucidus eſt. In hoc inteſtino odor alimenti magis magisque fatue dulcis fit, qualis odor putredinem praecedit. Dura corpora et viribus humanis maiora conſeruant fere figuram; eo perfectius tamen officio ſuo functum eſt inteſtinum, quo magis cibi peculiaris integra figura et cohaeſio deleta eſt. Licet autem alimentorum magna ſit mutatio; tanta tamen, vt videtur, non eſt. Sic enim ſemina vim germinandi retinent; plurima etiam pars acoris ciborum vegetabilium in faecibus inſuperata relinquitur; immo in ipſos animalium humores acida natura tranſit; in lacte acor percipitur; in ſudore acidus odor ſupereſt, et in ſanguine acida cacochymia ſubnaſcitur: omnium minime ſal marinus ſuperatur, et aliae alimentorum aliorumque corporum qualitates, v. g. alliorum rancor, moſchi odor rheique color, in ſanguinem immutatae transeunt. De venenis dubitatur: aliqua ſubigi, certum videtur, ſaltem animalia e. g. venenum viperae; non omnia tamen; ſic plerumque boum lue extinctorum caro et mytulorum, certo anni tempore in cibum receptorum, proprium venenum eſt. Itaque alia venena vegetabilia et animalia ſubigi, alia neutiquam, colligitur. Mineralia venena vim noſtri corporis ſuperant, exemplo arſenici; alia corpora ſorbentur immutata; ſic oleum ad lotii vias et mercurius ad oſſium cellulas venit. Ipſa p. 50.

denique ferri terra abunde tranſit in ſanguinem, an autem aliae terrae ſubigantur, dubitari poteſt. Fatetur demum Noſter, non poſſe tuto definiri, quae per inteſtina mutentur corpora, quaeque in noſtram naturam aut mutentur, aut renuant mutari. Praeparatus nunc chylus in vaſa lactea ſorbetur, eſtque in eo lactis natura, color idem gratusque ſapor; conſtat iſte ex aqua, multa pinguedine butyroſa, caſeoſis particulis et abundante terra; acida natura in chylo dominatur, facileque alimentorum dotes v. g. colorem et odorem recipit, ac naſcitur in inteſtino chylus diuerſis temporibus, vt vires digeſtrices validae fuerint, et vt ipſe cibus ad lacteam naturam propius acceſſerit. Num per venas meſentericas reſorbeatur chylus, affirmarunt alii, alii negarunt. Adfirmantes aliqui ad venarum meſentericarum amplitudinem reſpexerunt; ſed haec ſententia infirma a Noſtro pronunciatur. Aliquando plus eſſe virium dicitur in reſorptione celerrima humorum, inprimis aquae. Aliud argumentum pro reſorptione in venas ab auium, quadrupedum frigidorum et frigidorum piſcium analogia depromitur, quippe in quibus nulla ſunt vaſa lactea, et chylus tamen a venis meſentericis reſorbetur. Alia argumenta pro reſorptione praebent glandulae, in ſenibus exiguae et exſuccae, abſentia bilis in chylo, ductusque thoracicus deſtructus, ita tamen, vt homines diu ſupereſſent. Licet autem Cl. HUNTERI experimenta ſuadere videantur, ab inteſtinis in lactea vaſa patulam viam eſſe, non perinde in venas meſentericas, contraria tamen et numeroſa argumenta eſſe, Ill. Auctor dicit; ſic viam in inteſtinum aquae, oleo, glutini piſcium aliisque humoribus patere, hinc, ſi oſtia venarum meſentericarum oleum et gluten piſcium admittant, non videri repudiatura chylum, qui vtroque tenuior ſit, oſtendit, in arterias autem meſente-

ſentericas nihil ſorberi, ob circulum ſanguineum detectum facile probatur. Sed quaenam ſunt cauſae, p. 70. quae ventriculi contenta in chylum mutant? Has varias eſſe, Noſter docet, primoque ad calorem et aerem reſpicit. Calore aer fixus in corporibus liberatur et elaſticus euadit; tunc autem a conatu repulſiuo aeris elementa ciborum diſpiciuntur et attenuata coniunguntur; inprimis autem calor in inteſtinis efficax eſt, atque mobilia reddit, quae in cibo firma et glutinoſa ſunt, vt demum numerus particularum fixarum in alimento minuatur, et augeatur numerus volatilium molecularum, quae ſuper ignem in ſalem vrinoſum mutari nunc aptae ſint. Iisdem quoque cauſis homogenea maſſae chyloſae natura naſcitur; putredine enim peculiares vires corporum deſtruuntur et acor, cum pinguedo ad particulas acidas adhaerens eas reddat volatiles, deletur; immo maſſa haec magis ſimilaris fit, poſtquam pleraque corpuſcula, ad fugam aptiora, de cibo deceſſerunt. Aliam cauſſam praebet ſuccus inteſtinalis, qui adhaeſionem corporum ad inteſtina impedit, viſcidasque particulas diluit, et acrimoniae ciborum effectum mitigat; deinde bilis notatur, quae tenacia ſoluit et acorem, vrinoſam ſuam indolem ei opponendo, ſubigit, et motum periſtalticum ſuſcitat: porro ſuccus pancreaticus attenditur, qui et bilem cyſticam et maſſam cibariam diluit; tum mucus inteſtinorum quidquam confert, qui non ſolum villoſam tunicam, cui maxime ſentientes nerui ſubſunt, defendit, ſed et particulas terreas aliasque inter ſe ligat, et oleum cum aqua optime vnit. Tandem praecipuum inſtrumentum et mutationis et promotionis maſſae cibariae ſiſtit motus muſcularis: hunc aliqui a muſculis abdominis repetierunt et a diaphragmate, parum tamen iis viribus prementibus tribuendum eſt, multum contra inteſtinorum natu-

ra irritabilis huc facit. Eſt autem adeo accurata vis contractilis, vt inteſtinum quaſi filo conſtrictum arctetur et nulla omnino cauitas ſuperſit. Id experimenta docent: irritata enim contrahuntur, etiam poſt mortem, et educta de proprio corpore; immo poſt diuturnam abſtinentiam a cibis inteſtina anguſta euadunt. Ex his colligendum eſt, perpetuum in viuis animalibus ad contractionem niſum eſſe, cui vel alimentum dilatans reſiſtit, vel inprimis aer de cibis extractus et a calore expanſus. Idem hic ſtimulum praebet, et ob hunc inter ſtricturas quascunque explicatum immenſae, cum ſummo dolore et cita morte, inteſtinorum fiunt diſtenſiones. Cedunt adeo retento et expanſo aeri inteſtina et diſtenduntur; et eſt flatus a debilitate inteſtini, ſed ea ipſa diſtenſio ſibi remedio eſt. Irritatae enim fibrae inteſtini in contractionem nituntur, cauſſamque ſtimulantem remouent, eſtque igitur perpetua lucta inter vim inteſtinorum contractilem et inter diſtendentem aerem. Si flatus loco aliam cauſſam irritantem, vt cibum bilemque poſueris, ſimilia omnino fient, et inteſtina in motum rapientur. Eiusmodi motus in viuis animalibus frequenter apparet, ac in morte et a morte ſupereſt, diciturque motus periſtalticus, qui ob multos et contrarios motus deſcriptu et obſeruatu difficilis eſt. Totum enim inteſtinorum agmen reptat, et ſecundum varios ductus attrahitur et conſtringitur paſſim et laxatur alibi, paucis, vtrumque genus fibrarum tum longitudinalium tum transuerſarum operatur, vt vna breuius fiat inteſtinum et arctius. Motus, qui deorſum ducit, periſtalticus verus dicitur, atque cibos promouet, nodos facit, per totum inteſtinum regnat, quod adeo contrahit, vt exigua cauitas ſuperſit. Quando autem ſurſum contra ventriculum redeunt inteſtina, antiperiſtalticus motus nuncupatur. Eius directio-

direƈtionis aliqua etiam cum perfeƈtiſſimo motu periſtaltico miſcela eſt, neque vnquam longe aut aer procedit, aut cibus, quin aliquo vsque retrorſum redeant. Licet autem iſte motus cedat forte robore motui periſtaltico, tamen perinde totam inteſtini longitudinem percurrit, et de ipſo ano faecem per contraria coli et tenuium inteſtinorum volumina in ventriculum, porroque per os ipſum repellit. Naſcitur iſte a variis cauſis, cibum morantibus, quae vel in ipſo inteſtino, vel in corporibus, in inteſtino haerentibus, quaerendae ſunt. Inter mutationes, a motu inteſtinorum vtroque faƈtas, ſunt introſuſceptio, appendix, reuolutio et ereƈtio. Suſcipi dicitur inteſtinum, quando pars eius anguſtior in ambientem vndique proximi et laxioris inteſtini portionem ita ſubit, vt ſeƈtio totius cylindri duos ſemicirculos exterioris inteſtini, cylindrum interioris inteſtini et interuallum contineat inter vtrumque inteſtinum. Non perinde certum eſt, quomodo appendix, frequens hoc inteſtini tenuis vitium, naſcatur. In inteſtini tenuis nimirum parte nouiſſima, quae ileum dicitur, valde frequens eſt, inteſtinum quidem cylindrum ſuum continuare, aliquando etiam ea parte foueam impreſſam gerere, inde vero appendicem breuem, tuberculi ſimilem exigere, longiorem ſenſim, demum cylindricam, vt ipſum inteſtinum eſt, ad reƈtum angulum de ileo exeuntem. Saepe eiusmodi appendix in herniam peritonaei ſubit et ſola comprimitur, dum princeps inteſtinum liberum ſupereſt. Ita poteſt et gangraena inteſtini ab hernia naſci, et tamen iter per inteſtinum ad anum patere. Apparet etiam eiusmodi appendix in inteſtino reƈto, ſed raro, et in colo, ac generatur, vbi laxata alicubi muſculoſa membrana aer et faex, a vicinis fibris transuerſis promota, incumbit in hanc partem minus reſiſtentem. Quod tandem

ad

ad reuolutionem inteſtini attinet, quae in inteſtino viui animalis diſſecto deprehenditur, hoc non manet, quale fuit, ſed reuoluitur et membrana intima ſiue villoſa vtrinque contra partem inteſtini integram redit, vt ipſa nunc villoſa tunica extimae loco ſit, et labia oris humani cuticula deſtituta aemuletur.

p. 98. Modus, quo cibus a ventriculo ad anum promouetur, ſequentibus a Noſtro deſcribitur. Contrahitur pylorus, qui cibi particulam in duodenum propellit; cumque ſuperior pars inteſtini omnibus computatis facilius conſtringatur, inferior minus fortiter, atque cedat adeo aduenienti aeri aut cibo, fiet vtique, vt poſt multas librationes et oſcillationes tandem omnis motus faecis et aeris in recti inteſtini finem ducat. Magis enim irritabilia ſunt prima inteſtina, et in quoque inteſtino pars ſuperior, quam inferior, mobilior eſt, et motus periſtalticus omnibus comparatis deorſum fortior. Quando itaque inteſtinum contrahitur, profundius intra maſſam cibariam valuulae ſe immittunt, ſeque chylo admouent, vna emunctae glandulae et compreſſa vaſcula exhalantia, ſudorem atque mucum effundunt, villi comprimuntur ſuumque chylum tradunt vaſculo lacteo proximo, porroque cum valuulae reditum denegent, verſus ductum thoracicum pergunt vrgere. Cauſſa motus periſtaltici, vt Noſter oſtendit, anima non eſt, ſed ſtimulus, qui ab oleoſis et pinguibus, cum irritabilem inteſtini naturam ſopiant, et a narcoticis minuitur vel tollitur. Stimulus vero inteſtinorum pene perpetuus aer eſt, quem deglutiuimus et cibi generarunt. Alter ſtimulus cibus eſt, qui vel mole ſua inteſtinum diſtendit, vel edito aere vel acrimonia aliqua ſollicitat. Tertium locum bilis obtinet, cyſtica potiſſimum, acris et ad ſuſcitandum inteſtini motum perapta. Horum vterque ſtimulus non eſt perpetuus, ſed poſt paſtum inprimis motum

periſtal-

periſtalticum ciet. Reliqui ſtimuli habent aliquid morboſi et praeter naturam ſe admiſcent, exemplo ſint vermes et purgantia. Cauſſam motus inteſtinorum efficientem fibras transuerſas et longas eſſe, et transuerſarum officium pro principe habendum Noſter oſtendit. Transuerſae illas a ſtimulo contractiones, quae totius motus periſtaltici ſcaturigines ſunt, faciunt, cibum promouent, antiperiſtalticum quoque motum faciunt, fibris longis fundamentum praebent, ad quod ſe contrahunt et annulum faciunt. Fibrae longae inteſtinum breuius reddunt et contra partem contractam ducunt, inter nodos inteſtini faecem coaceruant, angulos inteſtini nodosque, conſtrictione ablata, explanant, tandem villos diducunt et laxant, vt in ampullam chylus ſubire poſſit. Itaque intelligitur, magnam eſſe motus periſtaltici vtilitatem; ſic cibus promouetur et comminuitur, bilis admiſcetur, valuulae intra caueam inteſtini educuntur, chylus recipitur et promouetur et acribus aſperisque cibis mucus et aquula obducitur. Licet autem motus antiperiſtalticus naturae deſtinato fini obſtare videatur, tamen ſumma eius eſt vtilitas. Ab eo enim mora naſcitur, vt lentius multo cibus iter ſuum abſoluat; plus patiatur tritus; plus admiſti recipiat humoris humani, diutius bilis vim ſoluentem experiatur et reſorptioni ſucci alibilis diutius ſe offerat.

Ad craſſa inteſtina accedit Noſter. Coecum inteſtinum pleraque quadrupeda habent, omnia tamen animalia, quae aluo laxa ſunt, dicuntur aut coecum inteſtinum non habere, aut habere breuiſſimum. In rapacibus breuiſſimum eſt. Nonnulla duo coeca habent, vt aues herbiuorae, etiam aliquae carniuorae. Inter quadrupeda iis magna coeca ſunt, quibus dentes inciſorii longi. Animalibus carniuoris eadem, quae homini fabrica eſt. In limite coli cum p. 110.

coeco

coeco celebris illa valuula eſt, quae in plurimis animalibus reperitur, tamen non in omnibus, vt in erinaceo, ſciuro, anate, columba etc. et ab iis inprimis videtur abeſſe, quae coecum inteſtinum nullum nacta ſunt. Inſignis autem huius valuulae eſt vtilitas. Sic enim aqua et inprimis ſcybala retinentur. Cum coeco cohaeret inteſtinum colon, quod homo adultus cellulatum et peramplum cum paucis animalibus iisque herbiuoris commune habet. Ab vltima lumborum vertebra et a flexu ſemilunari iliaco colon nunc in rectitudinem exporrectum deſcendit ſecundum os ſacrum, retrorſum in peluim, et ita finitur, vt tunica villoſa in epidermidem, neruea in cutem abeat, muſculoſae fibrae transuerſae in ſphincterem terminentur, rectae vero circa eam ſedem albidae euaneſcant. Omnium horum inteſtinorum fabrica eadem fere eſt, quae tenuis inteſtini. Membrana extima a meſocolo oritur et peritonaeo; ſequitur celluloſa tela prima et poſt eam tunica carnea; hanc excipit tela celluloſa ſecunda, tunc tertia. Intima absque villis conſpicuis eſt; ſed rugis reticulatis, in recto inprimis inteſtino plena et eodem loco pertuſa poris mucoſis. Praeterea inteſtina haec et glandulas ſuas ſuaque vaſa tum arterioſa tum venoſa, etiam lactea et neruos habent, quorum ope ſenſus etiam ſatis acer in inteſtinis hic deprehenditur.

p. 169. Functio craſſi inteſtini ſpectat ad iter faecum, ad reſorptionem vtilis humoris, quae ex ipſis fit faecibus, ad earum demum expulſionem. Adulto ſanoque homini craſſae faeces ſunt, eſtque in iis deteſtabilis foetor, in quo vis putredinis a peculiari degeneratione, cuique animali propria, ita temperatur, vt cuique aliae faeces ſint, magis execrabiles in carniuoris et in ipſo homine, tolerabiliores in herbiuoris. Color flaui quid in ſano habet ab ad-

miſta bile. Sapor dulcis ſeu potius fatuus dicitur. In faece variae materies v. g. fibrae carnium, ramenta corticum, ſtramina etc. ſuperſunt. Si chemice disquiritur faex, ea ex ruminantibus cum ſpiritu nitri efferueſcit, neutiquam faex humana. Halitus ſtercoris humani ignem obiectum concipit. Deſtillationi ſubiectae faeces aquam limpidam, foetore proprio humani ſtercoris impraegnatam, oleum, duplex quaſi, flauum primo, tum empyreumaticum, ſalem fixum nullum et terram praebent. Carbo ſtercoris vehementer ardet et cum alumine in pyrophorum abit. Faex aluina non vnice ex ciborum fit reliquiis, multum accedit propriae humanaeque materiae; accedit bilis, cuius natura ea eſt, vt vehementer dureſcere apta ſit, tunc ſucci pancreatici pars terrea, in eo ſucco abundans, hinc calculorum inteſtinalium origo, quae vel huic ſucco vel inteſtinali exhalationi tribuenda eſt. Diuerſiſſimus a ſtercore ſuccus eſt, qui in vaſa lactea reſumitur, ſubacidae naturae, dulcis, inodorus, fluidus, verus chylus, a chylo tenuium non diuerſus. Cauſſa peculiaris indolis faecum princeps eſt putredo; ad quam aeque ac ad foetorem bilis confert; eadem cum muco faecem inſpiſſat, et exhalabile quoque illud arteriosum alcaleſcentis et viſcidulae indolis ad faecis foetorem et ſpiſſitatem videtur conferre. Praecipua tamen ſpiſſitatis faecum cauſſa eſt reſorptio, confert etiam abſtinentia a potu. Motus periſtalticus inteſtini craſſi fere eſt, qui in tenui inteſtino, tantum vt potentiores ſunt, fibrae, quae longitudinem inteſtini ſequuntur, ita maiores earum partes ſunt in promouenda faece. Ita alternis motibus, ſuperante motu, qui deorſum vrget, faeces poſt itus et reditus in rectum inteſtinum depelluntur. Motus enim diaphragmatis et muſculorum abdominis in promouenda faece parum poteſt. Flatus in inteſtino craſ-

ſo

ſo frequentes ſunt, cumque aeris congeſti vis inſignis eſſe ſoleat, ſaepiſſime ea funeſta nobis foret, niſi inteſtini vis contractilis eaque robuſta intercederet. Iter faecum in variis varium eſt: multum enim hic poteſt diuerſa irritabilitas hominum, bilis robur varium, aetas, conſuetudo; caeterum tarditas alui non infrequens malum eſt. Sic nonnullis aliquot diebus immo et aliquot menſibus aluus ſicca fuit. Cauſſa primaria alui ſegnis videtur eſſe diminuta irritabilitas; hinc inſolito addito ſtimulo purgantis medicamenti malum ſuperatur. Quod ad excretionem faecum attinet, irritatio et ſenſus inſeparabilis ad eam nos ſollicitat, quae tota voluntaria eſt. Is ſtimulus plerumque eſt in excrementis, mole aut acrimonia moleſtis. Credibile vero eſt ſphincterem internum multo vſu voluntarii ſphincteris extimi demum confirmari, vt ſolus officio ſuo ſufficiat; eſtque tanta vis ſphincteris vtriusque, vt contractio ſola fibrarum inteſtini recti in ſano homine ſphincterem vix vnquam ſuperet. Quare, vt moleſtia ſe liberet ſphincterque renitens ſuperetur, voluntas niſum edit; ita faex in ſphincteris rimam vrgetur, eamque paulatim dilatat, vt ſibi fiat via. Tandem de haemorrhoidibus quaedam Noſter addit, quae pro naturali et aetatis confirmatae innato praeſidio habentur. Licet autem ſanguis euentu minime malo, interdum ſalutari de inteſtinis exeat, et, cum a venae portarum obſtructione oriantur, et ſic venae ad portas ducentes intumeſcant, ſanguine emiſſo varices hae ſubſideant, et vena portarum liberetur, tamen naturae opus non eſſe, neque ſani hominis functionem et triſte remedii genus eſſe, quod plerumque vires frangat, Ill. Auctor monet.

p. 198. Ad chylifera vaſa accedit Noſter. Haec non peculiare genus vaſorum eſſe, putat, ſed inter lymphatica valuuloſa numerat. Atque ei, qui inteſti-

norum propria vaſa lymphatica a lacteis diſtincta putarunt ſe vidiſſe, ii, ſi viſa dixerunt, in exempla incidiſſe, Noſtro videntur, in quibus lympha ſedem lactis occupabat. Haec vaſa non a ventriculo, ſed a toto inteſtinorum tractu, a ieiuno plurima oriuntur. Tendunt ea ex celluloſa tertia, perforata neruea, per celluloſam ſecundam; perforant muſculoſam et in celluloſa prima iam valuuloſa apparent. Duae autem de quoque circulo inteſtini exeunt vaſculorum ſeries, anterior nempe et poſterior, et duo pariter per meſenterium recti pergunt ordines. Ea vaſcula alias ſocia vaſorum rubrorum ſunt, etiam duplicia ad vnum vas rubrum, alias ſolitaria. Multo, vaſis rubris, numeroſiora in truncos paulatim confluunt, variisque factis inſulis et anaſtomoſibus ita pergunt, donec ad glandulam aliquam meſenterii peruenerint, in qua anterior ordo cum poſteriori confunditur. Haec vaſa lactea primi generis ſunt. Non pauca tamen alba vaſcula eas glandulas praetereunt, vt ſecundi generis vaſa per primum genus repleri poſſint. Caeterum haec primi generis lactea vaſa de venoſo ſunt genere, numeroſioribus etiam valuulis interrumpuntur. Iterum lactea vaſa de glandulis naſcuntur, et in maiores truncos collecta pergunt continuo in ciſternam, pleraque in aliam glandulam, et ea, quae ſunt inter glandulam et glandulam, ſecundi generis vaſcula ſunt, quae ciſternae lumbari inſeruntur, quae eſt ampulla chylifera inſignis, ad vertebras lumborum ſita. Sed in nonnullis animalibus et magis adhuc in homine aliter ſaepe ciſterna ſe habet. Eſt enim vnice praegrandis ductus lymphaticus, vtrinque conicus et in medio latior. Alias non vnicum eſt vas, ſed duo, alias tria, denique in quibusdam corporibus, rarius quidem, loco receptaculi plexum innumerabilium vaſculorum conglutinatorum Ill. Auctor reperit. Ex ci-

ſterna chyli, quae duodecimam vertebram non ſuperat, adſcendit ductus chylifer aut thoracicus dictus, qui rectus per pectus adſcendit, pluribusque inſulis factis, ac in pectore et collo variis vaſis lymphaticis receptis, in collum adſcendit, fine ſuo aut ſimplici, aut duplici, interdum multiplici deſcendit, et in venam ſubclauiam ſiniſtram, rarius in dextram, interdum quoque in venam aliam, e. g. in venam ſine pari, in cauam venam inſeritur, cumque iſte ductus lymphae pariter vehendae deſtinetur, valuulas etiam habet, quarum praecipua eſt, quae praeſidet inſertioni ductus thoracici perpetua. Ab inteſtinis itaque per vaſa lactea ad glandulas, denique in ciſternam ac in ductum chyliferum adſcendit chylus, et celeriter quidem mouetur, a quo ductu in venam ſubclauiam et in cor per ſanguinem conſpicuus progreditur. Cauſſa motus chyli vera ea eſt, quae in tubis capillaribus operatur, velox nimirum attractio, eaque perpetua eſt, quamdiu oſtium lacteum in medium chylum mergitur, et progreditur tunc chylus ob inſitam vim contractilem vaſis lactei, ac huic poteſtati maximam partem itineris chyli Noſter tribuit, eandemque etiam vim contractilem fibrarum receptaculo chyli et ductui thoracico innatam eſſe, non repugnat. In viuo tamen homine aliam poteſtatem, e. g. preſſionem diaphragmatis, reſpirationis vim et aortae preſſionem accedere, ideoque diuerſas cauſſas motus chyli eſſe, concedit. Succum tandem ex arteriis in lactea vaſa transeuntem chylum per glandulas transeuntem diluere, probabile Noſtro videtur, in iisdem autem glandulis chylum vix accelerari, ſed lenteſcere potius eius motum, per ſanguinem diu circumfluere, tandem cum multo ſanguine circumductum paulatim in partes ſeparari et diſcedere, eiusque partes in ſanguinis humorumque maſſam abire, chylique offici-

um

ùm in alendo corpore vniuerſo conſiſtere, oſtendit.

Vigeſimus ſextus liber de viis vrinariis, et primo de renibus agit. Reperiuntur iſti in quadrupedibus et cetis et auibus piſcibusque; ab inſectis tamen, vermibus, et teſtaceis abſunt. Poſiti ſunt ad vtrumque latus ſpinae dorſi. Menſurae incertae ſunt; non raro renes inaequales, alterque minor. Figura eorum in variis animalibus varia eſt. Et in homine et in plerisque animalibus ren, qui vnus videtur et numeratur, ex aliquot incerti numeri minoribus renibus componitur, magis tamen diſtincti ſunt in aliis animalibus lobuli. Cuilibet horum iterum ſuum infundibulum eſt papillaeque duae, et videtur primordialis fabrica in homine eſſe, quae in bobus, a preſſione vero abdominalium muſculorum renes ſenſim exaequari. Tunica renis non a peritonaeo naſcitur, ſed ex ſe ipſa exiſtit, et celluloſa, ſtricti generis ac ſimplex eſt. Interior natura renis in aliis et aliis animalibus alia eſt. In homine ren integer ex minoribus conſtat, ſiue tuberculis per celluloſam telam connexis. Cuiuis renculo duplex eſt caro: ambitum omnem tenet rubella aut flaua et mollis caro, inſigniter vaſculoſa et quaſi grumoſa, quae corticalis dicitur. Interior, ex omni ambitu de corticali carne naſcens, et in papillam abiens, ſtriata eſt et medullaris dicitur. Ex papillarum naſcentium ambitu oriuntur tot cylindri membranacei, quot ſunt papillae. In his ramis aut in exitu de rene connatis, aut poſt eum exitum peluis naſcitur, quae in medio latiſſima, ſenſim diminuta, in cylindricum canalem contrahitur, qui vreter dicitur. In vretere hominis aegre membranae diſtinguuntur, quas nimis ſtricta celluloſa tela vnit neque muſculoſae fibrae oſtenduntur facile, et irritabilitatem veram non habet, ſenſum tamen habere creditur. p. 241.

Deſcendit iſte in pelui, ad ſodalem inclinatur et in veſicam absque valuula inſeritur. Omnes iſtae partes vaſis tum arterioſis tum venoſis inſtructae ſunt. Licet autem ſatis numeroſi nerui circa renem ludant plexusque faciant, quibus vaſa renalia miris modis irretiuntur: ii tamen, qui ad ipſum renem veniunt, exigui ſunt. Hinc ſenſus renis exiguus eſt. Lymphatica vaſa non facile oſtenduntur. Fabrica renis intima quoad corticem vaſculoſa eſt; de glandulis renis dubitatur. Fabrica ſubtilior papillarum ex filis conſtat, quae columnae ſunt et faſciculi, in quorum quoque plurimi veri ductus vriniferi cum vaſis rubris et connectente vtraque celluloſa tela continentur. Summo et intimo reni impoſita corpora, glandulis acinoſa ſua fabrica adfinia, capſulae renales vocantur. Tunicae loco habent celluloſum tenue inuolucrum, a peritonaeo adipe interpoſito diſtinctum. Cauea intus eſt, in qua humor reperitur, in foetu albidus, in adulto ſanguineus, ab alcohole coagulabilis. Capſulae iſtae arterias et venas habent. Nerui quidem plurimi ad ea corpuſcula accedunt, an autem eius naturam ſubeant, Noſter non adfirmat. De ductu eorum excretorio dubitatur.

p. 296. Veſica in homine et quadrupedibus calidisue piſcibus reperiunda in pelui anteriorem ſedem tenet, et oſſibus pubis anterius nititur. In adulto figuram oui habet et in homine ampliſſima eſt. In hanc per duos vreteres vrina aduenit, exit eadem in foetu, neque penitus vnquam in adulto homine, per vrachum, longe plerumque tamen in homine in lucem edito per vrethram. Primum veſicae inuolucrum celluloſum eſt, quo ad omnes partes ambientes adhaeret. Sequitur muſculoſa tunica, quae cum ventriculo adfinitatem habet, et ex reticulatis lacertis conſtat; ab omnibus autem aliis folliculis in eo differt, quod interualla lacertorum maiora habeat. Hinc,

cum ea ſede vis contractilis minor ſit, quam in partibus, in quibus lacerti ſunt, fit valde frequenter, vt veſicae pars aliqua inter lacertos hiſcentes ad herniae modum extendatur, et in cellulam abeat, in qua non infrequenter calculus habitat. Aliae fibrae obliquae ſunt, inter rectas et tunicam nerueam mediae, quarum praecipua in veſica vis eſt. Eaedem enim, dum breuiores fiunt, veſicam ſecundum omnes directiones arctant. Irritabilis eſt veſica, eaque, vt extenditur, ita ad egeſtionem ſtimulatur, atque ſibi relicta contrahitur, et ſola lotium, in viuo animale vulnerata, proiicit. Inter muſculoſas fibras et nerueam tunicam celluloſa ſecunda eſt, quam excipit neruea, acerrime ſentiens. Haec ope celluloſae tertiae, quae breuis eſt, coniungitur cum intima, quae leuiſſima, muco perpetuo lubrica, tenuior quam neruea, epidermidis eſt propago. Muci, quo veſica intus oblinitur, fontes non ſunt facillimi oſtenſu et raro, veros tamen in conuexitate tunicae intimae folliculos ſimplices Noſter vidit. In veſica quoque pori inorganici ſunt, per quos quidem aer non penetrat, aqua vero facile permeat. Praeterea et arterias et venas et neruos et muſculos ad expellendam vrinam neceſſarios habet veſica.

Humor in rene generatus ac in veſica adſeruatus lotium ſeu vrina vocatur, et ſemper alius et alius, atque in variis animalibus varius eſt. Alia eſt vrina potus, continuo a ſumto potu reddita, quae mera fere aqua eſt; alia eſt vrina chyli, hora vna alteraue poſt paſtum reddita, quae a cibis et ingeſtis ſaepe vitiatur; alia denique eſt vrina ſanguinis, quae pluribus poſt cibum potumue ſumtum horis mingitur, quae prioribus lotii ſpeciebus multo magis colorata, acris et foetida eſt, minus copia abundans. Color vrinae in homine flauet, eoque pallidior eſt, quo pauciores pulſus ſunt, eſtque iſte ex oleo. Calor idem p. 338.

eſt, qui ſanguinis; pondus maius, quam aquae; minus quidem, quam ſaliua aut bilis cohaeret, glutinoſa tamen eſt. Odor recentis vrinae non ingratus eſt, facile tamen foetorem contrahit. In adultiori homine acris eſt, acrimonia tamen compoſitae indolis dicitur. Eminet in vrina ſal, qui ab ea ipſa nomen ſuum accepit; raro quidem ſigna dat indolis alcalinae, tamen ad alcalinam volatilem naturam inclinat acrimonia, ob quam vrina etiam ſaponis locum tenet. Et in hominis vrina et in ipſis animalibus, ſale muriatico vtentibus, euidentiſſima ſigna ſunt marini ſalis. Acor in recente et incorrupta vrina vix conſpicuus eſt. Vrina, mutationes ſpontaneas paſſa, ſedimentum, terram, oleum et ſales continet, tartarumque deponit, ſibique relicta primus omnium humorum putreſcit et alcalina fit. In vrina multus aer eſt, eaque igne disquiſita dat aquam, qua abacta, vrina melluginis ſpiſſitatem induit. Ex eiusmodi mellugine, frigido loco repoſita, ſecedit ad latera vaſis ſal natiuus lotii, mediae indolis, qui denuo ignis violentiae expoſitus ſpiritum igneum praebet. Relinquitur maſſa, quaſi vitrea. Dum ſal iſte generatur, decedunt ad vaſis fundum faeces ſubpingues, de quibus, abacto per ignem ſpiritu, ſale volatili et oleo, relinquitur aliquid cinerum ſimile; in quo terra eſt inſipida, et ex aqua, in qua cineres eloti ſunt, ſal marinus obtinetur, ac poſt generatum ſalem fuſilem, reſiduum aqua dilutum cryſtallos, ſali Glauberiano ſimiles, deponit. Porro ex mellugine deſtillata prodit ſpiritus vrinae alcalinus, ſal volatilis alcalinus, oleum, et inter diuerſi generis olea ſpiritus acidus. Ex lente putrefacto lotio, poſt abactos ſales oleumque, admixto ligni carbone paratur phoſphorus, in quo acidum vitriolicum, ſal communis, terra vitreſcens et materies inflammabilis reperitur. Ex carbone vrinae, quocunque modo parato,

rato, obtinetur ſal marinus. Vltimum elementum lotii eſt terrae ſeleniticum genus. His expoſitis, calculi hiſtoriam tradit Noſter, eumque in nonnullis regionibus e. g. Belgio, Anglia et Gallia frequentem eſſe, neque rarum in beſtiis, notat. Vim lapideſcentem in teſtaceis animalibus abundare et calculi fundamentum in aqua quaerendum eſſe, ac per certos etiam morbos oſſium ipſorum cretaceam terram in vrinam redire, ab ea tamen omnem calculum non eſſe, et nonnullas aquas ad producendum calculum magis aptas reperiri, neque eas, quae lapidificae videantur, ſtatim calculum facere, monet. Porro materiem arenoſam ſanguini ineſſe, paſſimque in corpore vniuerſo oſſeas aut omnino lapideas cruſtas deponi, ac in variis etiam humoribus reperiri, et callos arteriarum flauos, pultaceos, inde duriores, denique oſſeos et lapideos, cum flauo pariter pultaceo humore, ſtrepero et manifeſto ad calculi naturam tendente, qui in ductibus vriniferis tenerorum infantum a Noſtro detectus eſt, ſummam adfinitatem habere, et in arthriticis atque podagricis hominibus materiem calcariam abundantem in ſanguine innatantem deprehenſam eſſe, oſtendit. Inde autem calculum ab arthritide et podagra naſci, colligit. Verum cum calculo viarum vrinae etiam calculus biliarius, vt Noſter obſeruat, coniungitur, et multas quoque corporis partes arenoſa materies obſidet, vt appareat, non adeo loci vitio fieri, quam humoris in ſanguine abundantis. Aliam itaque conditionem accedere debere, manifeſtum eſt, vt calculus in rene coaleſcat. Primum, quod requiritur, videtur eſſe quies et ſtagnatio; altera cauſſa eſt magnes quicunque, ſiue viſcidum in veſica inualeſcens, quod terreas particulas attrahit et retinet. Poſſit etiam excoriata et ſicca veſica, aut exulcerata caro renis, aut vrethrae caruncula, epidermide carens,

calculo pro fundamento eſſe. Porro, ſi corpus quodcunque extraneum, ſiccum neque humorem exhalans, in veſica vrinaria diutius retinetur, circa id corpus calculus colligitur. Id etiam in aliis cauis corporis praeter veſicam fieri, experientia docet. Si calculus disquiritur, multus aer, ſed aqua pauca reperitur; eſt ſal volatilis multus, eſt vrinoſus ſpiritus et aliqua particula olei. Calx minor eſt quarta parte calculi; ſalis fixi nihil ineſt, ſed ferri aliquantum, neque tamen vllus acor. Soluitur in plurimis liquoribus calculus, dum diu et tepide cum iis digeritur, e. g. in aquis medicatis variis, in ſuccis variis, in acidis alcalicisue liquoribus; ſoluitur etiam a medicamentis Stephanianis. Hoc vero medicamentum in vias vrinarias penetrare, et vrinam ab eius vſu lixiuioſam fieri, atque ſic calculum minui, euidentia, vt Noſter perhibet, teſtimonia perſuadent.

p. 377. Vrina conſiderata, eiusdem iter a Noſtro deſcribitur, primoque demonſtratur, princeps lotii colum renes eſſe, ac in iſtis ſolis vrinam percolari. Aliae viae, vt docet Noſter, probabiles non ſunt. Sufficit ſeparandae vrinae copioſae ſanguinis celeritas. Sed neque verum eſt, quod de ſubita mictione aquae dicitur. Nam non eſt ea vrina, quae ita ſubito mingitur, haec ipſa, quae nuper epota eſt aqua, ſed vrina colorata foetida, quae dudum in veſica fuit: et hora demum fere exacta aquae potores limpidam vrinam deponunt, qualem fere aquam biberunt. Quod ad varia craſſa et viis renalibus imparia corpora attinet, quae dicuntur per vrinam deceſſiſſe, in multis narrationes ſcriptorum, miracula amantium, nimiae ſunt; in aliis potuit a rene ad inteſtinum colon et a veſica in rectum etiam facilius, vitio natus canalis adfuiſſe, qui eiusmodi corpora transmiſit. Si aliqui adſumti liquores natiuas ſuas dotes nonnunquam in vrina retinuerunt, eadem

etiam

etiam in ſanguine et inde nato ſudore et in tranſpiratione conſtantia fuit. Si aliquando rene ſuppurato vrina in veſicam percolata eſt, factum hic idem fuit, quod etiam in ventriculo, in viis ſudoris, in cerebri ventriculis vtique demum fit, quoties partes illae acres per legitimam viam deponi non potuerunt. Sanguis enim lotii characterem conſtituentibus particulis oneratus in omnia illa caua liquorem deponit, qui lotii eſt odore et colore. Itaque in rene vrina non naſcitur, ſed in vniuerſo ſanguine ex ipſa vi vitae oleum et ſal cum aqua iſta interteritur, vti in vrina eſt. Cum vrinae dotibus fabrica conuenit. Canales ſecretorii parui quidem ſunt, ſed inter maximos. Facilis eſt ergo via ex ſanguine in canalem ſecernentem: inde copioſa ſecretio et humoris non tenuiſſimi. Ne autem nimis facilis eſſet, natura cauit ſerpentina figura arteriolarum ſecretoriarum, quae moram aliquam faciat et in qua ſanguis vberius congeſtus multum poſſit ſibi loci parare. Ne nimis lentus eſſet motus renalis ſanguinis, addidit natura arterias magnas, ex proximo aortae trunco natas. Iterum, ne nimis craſſi humores per vaſcula vrinifera decederent, duriora ea natura fecit, quam vsquam alibi. Eundem, quem denſitas, effectum neruoſa conſtrictio edit. Vti vero neruorum in renes manifeſta eſt efficacia, ita renum in neruos. Menſura lotii variat eiusque copia per frigus maior eſt; in ſenibus et a multo potu multa, et adeo demum augetur, vt morboſa ſit affectio, qualis eſt diabetes. Ex renibus per vreteres in veſicam vrina deſcendit, in qua moratur, vsque dum veſica ſtimulata lotio ſe liberet. Nihil autem de veſica in vreteres redit, nihil etiam de vrethra effluit, licet naturalis ſit lotii via. Cauſſa non eſt in ſphinctere aliquo, qui voluntati obediat; ſphincter tamen non reiicitur. Pars itaque cauſſae Noſtro

quod veſica imo ſuo fundo ſub vrethrae exitum deſcendat, et eo magis deſcendat, atque in rectum inteſtinum nitatur, quo eſt plenior. Hinc ad ſitum primo, qui de fundo veſicae vetat vrinam exire, poſteaque ad ſphincterem attendit, qui voluntati non obnoxius ex natura ſua, a lotio irritatus, contrahat ſe et de ſuperiori veſica lotium non ſinat exire. Vrina ex rene tenuis nec acris deſcendit, in veſica autem lotii characterem induit. Copia eius aucta diſtenditur veſica et ſtimulatur; ita naſcitur voluntas vrinae reddendae, celerius ab vrina acriore et in veſica magis ſentiente atque excoriata. Quando homo ſtimulo nunc vult obſequi, et veſica lotio bene plena eſt, tunc incipit micturus ab inſpiratione. Primo guttae aliquae de veſica et vrethra exeunt; deinde magis et magis libero filo lotium proſilit. Reliquam mictionem ſola veſicae contractio perficit. Vtilitas mictionis eſt, vt primo nimia aquae parte ſanguis per vrinam expurgetur, deinde, vt terra alimentorum, vel de ſolidis corporis humani partibus detrita, excernatur, aliaque putrida euacuentur. Quod tandem ad capſularum renalium vtilitatem attinet, nihil vltra de his capſulis, quam ſuccum in ipſis ſeparari, qui ad foetus vitam magis, quam ad vitam adulti hominis neceſſarius ſit, Noſter aſſerit, atque ſub finem huius ſectionis figuram renis infantis adiectam explicat.

p. 410. Transeamus ad vigeſimum ſeptimum librum, qui de partibus genitalibus maſculis agit. Propagantur animalia maiora duorum ſexuum ope, maris et foeminae, ſimilium in vniuerſum in quaque ſpecie animalium, tantum vt mas ſemen emittat, quod ouis in foemina ſubnatis, aut intra corpus matris, aut ex eo effuſis, foecunditatem conciliat. Princeps ergo marium diſcrimen eſt, ſemen in ſe ipſis generare et effundere. Ad hoc ſemen generandum princeps

organon

organon teſtis eſt, qui duplex in homine adulto extra abdomen proprio ſacco, qui ſcrotum dicitur, continetur. Ab annulo muſculorum abdominis cylindrus celluloſus de celluloſo textu, exterius peritonaeo circumiecto, continuatur, qui tunica vaginalis dicitur, cui cremaſter muſculus exterius adhaeret, et qui teſti circumfunditur. Teſtis carni firmiter innata membrana ſolida, dura, vaſculoſa, cum vaginali tunica continuata, vocatur albuginea. In homine nonnullisque animalibus teſtis ex duabus partibus fit, teſte nimirum et epididymide, quae teſti adhaeret. Ex vaſis ſub imo rene faſciculus arteriarum, venarum plurimarum, neruorum, vaſorum lymphaticorum componitur, qui funiculus ſpermaticus vocatur, quiue ad ſedem annuli abdominalis veniens accedentem ex pelui ductum deferentem excipit, demum intra cellulas vaginales pergit ad teſtem vsque. In omnibus his partibus diuerſa reperiuntur vaſa, tam arterioſa, quam venoſa, etiam lymphatica et nerui. Remota tunica albuginea, caro teſtis disquiſita pulpam mollem et in lobulos diuiſam offert, qui ex filis intortis, ſerpentinis, mollibus, pertenera celluloſa tela inter ſe coniunctis, fiunt. Notanda praeterea ſunt vaſcula teſtis efferentia, quae ex vltimo fine epididymidis, quae ex vnico vaſculo conſtat, prodeunt. Is autem ductus, ab epididymide ad vrethram continuatus, ſeminalis ſeu deferens ductus nominatur, qui cum veſiculis ſeminalibus, inteſtinum coecum in glomerem conuolutum ſulcis et lineis diuiſum referentibus, imaeque parti veſicae vrinariae ſubiectis, coniungitur. Alius ductus pene ſemper ex veſiculae canali excretorio et ex deferente ductu communis efficitur, qui ſuo ſodali accumbit, et glandula proſtata tectus, ad vrethrae partem primam, quae in ea glandula continetur, eiusque faciem inferiorem venit. Proſtata in

homine

homine et in nonnullis animalibus vnica, leui quodam ſulco diuiſa, reperitur, eaque eſt glandula, aut certe celluloſum compactum corpus, et partim vrethrae et veſicae, partim veſiculis ſubiicitur. Duae aliae glandulae prope angulum corporis cauernoſi penis pone bulbum vrethrae reperiuntur, quibus natura conglomerata eſt, loboſa, acinoſa, laxa, figura ſubrotunda, quarum ductus excretorius vnicus repit inter vrethrae membranas, et vltra roſtrum colliculi ſeminalis producitur. Vrethra communis ſemini et lotio via eſt, quae ab exitu veſicae incipit, et in fine penis in homine ac multis quadrupedibus aperitur. Notantur in ea tunicae, celluloſa et neruea, ſinus mucoſi, iſthmus, qui locus dicitur, vbi vrethra in proſtata et aliquo ante proſtatam ſpatio, praeter celluloſam aliquam fibroſamque telam, nuda eſt, tandem corpus cauernoſum. Potiſſimam autem molem et firmitatem peni dant corpora cauernoſa, quorum natura eſt ſacci, ex tenaciſſima celluloſa ſtipata facti. Haec corpora proprios ſuos muſculos habent, erectores dictos. Ad corpora cauernoſa et ad vrethram adnectitur cutis penis, et libera ſolaque vaginam, a glande diſſitam, efficit, in qua glans mobilis continetur, quaeque praeputium dicitur. Glans craſſius in homine additamentum eſt, in quo vrethrae oſtium reperitur. In hac cutis permollis et tenera et ſenſilis eſt, ſub qua tela celluloſa deprehenditur. Tandem in his partibus varia et permulta occurrunt vaſa, et arterioſa, et venoſa, etiam lymphatica et nerui, qui in pene inter omnes corporis humani partes ſenſum ſuo modo acerrimum efficiunt.

p. 517. Ad ſeminis explicationem progreditur Ill. Auctor. Iſte liquor albus eſt, aut alba potius opaca materie et commixta ſubpellucida miſcetur, tamen ſemipellucidus, eo magis, quo debilior homo et venus

nus frequentius repetita. Viſcoſus eſt humor ac glutinoſus, et pondere alios humores animales ſuperare dicitur. Odor ei peculiaris eſt, grauis et adeo penetrabilis, vt totam carnem animalis penetret et inutilem reddat ac foetidam Ita cerui caro veneris tempore foetet, et ſemen aphrodiſiacam virtutem exercet. Admiſtis variis humoribus, e. g. alcohole vini, ſpiritu nitri, lixiuio alcalino etc. ſemen mutatur fere, vt mucus. In ſemine humano emiſſo, recente, aqua diluto, reperiuntur particulae, capite rotundo, cauda ad molem capitis exigua, quae animalcula ſpermatica vocantur. Haec, vt experimenta docent *omnino*, viua ſunt corpuſcula, non tamen in ſolo ſemine, ſed etiam in aliis humoribus, e. g. ſaliua, vrina, ſanguine etc. reperiri dicuntur. Num ſint primordia animalis? Seminis primo materies et ortus perpendantur. Prouenit ſemen ex ſanguine; videtur etiam chylus ad ſemen conferre. Animalia enim bene paſta ad venerem ſe accingunt, et abſtinent a venere, quando malignius paſcuntur. Varii autem ſunt liquores, qui ſemen componunt; primus eſt in teſte generatus, alter eſt veſicularum ſeminalium liquor, tertius ſuccus proſtaticus, vltimus nerueus liquor eſſe, dicitur. Nunc quaeritur, qui eorum humorum foecundet? In teſte verum ſemen generari, vel ex eo ſolo probatur, quod in omnibus animalibus, venere vtentibus, teſtes adſint; eorum autem multis aut proſtata nulla ſit, aut nulla veſicula ſeminalis.

Duplex eſt iter ſeminis: vel de corpore prodit, p. 544. vel reſorbetur, et ad ſanguinem redit, ac tunc animalia maſcula foetore ſingulari per omnes carnes ſuas penetrantur, et ab eo videtur fieri, vt robur virile in homine et in maſculo animale augeatur, ſtimulo, vt videtur, addito, qui cor et reliqua organa motus irritet. Eo amiſſo animalia languent; hinc illa mirifica

rifica caſtratorum hominum et animalium debilitatio. Eſt autem in hac vi incitante ſeminis quaedam mediocritas. Nimius enim ſtimulus nocet, et a proprii ſeminis vi homines venere abſtinentes nauſeam, triſtitiam, epilepſiam et mortem adeo paſſi eſſe, dicuntur. Cum ſeminis generatione coniunguntur partium in corpore humano et animali generationes et mutationes, quae a ſemine pendent; ſic barba prodit et pubes, et vox mutatur in mare raucitasque ſub pubertatis tempus obſeruatur. In animalibus cornua prodeunt; ſi enim ante cornuum exitum teſtes ablati fuerint, nulla vnquam cornua prodeunt. Si eo ipſo tempore, quo cornua erumpunt, teſtes amputati fuerint, cornua et deformia prodeunt et perpetua. Si poſt cornua enata ceruus virilitatem amiſerit, nunquam decident eadem. Ex his colligit Noſter, cor a ſanguine, acrimoniae alcaleſcentis participe, magis ſtimulatum, poſſe vt in febre pulſare vehementius, ſuccosque in vaſcula craſſos adigere, a quibus dilatentur et increſcant, ac ſic intelligi, vnde a ſemine reſorpto iſtae mutationes fiant. Verum non ad corpus ſolum redit ſemen, ſed extra corpus quoque egreditur. Secernitur ſemen ex arteriis vltimis teſtis, cum et eae ipſae admodum anguſtae ſint, lentam nunc ſeminis ſecretionem eſſe, probabile ſit. Sunt tamen etiam contrariae cauſae, quae ſeminis generationem accelerant. Princeps eſt amor. Alii etiam ſtimuli ſeminis generationem augent, ipſa gonorrhoea, cibus plenior et nonnulli analogo ſeminis odore bulbi orchidum, tuberum, erucae, tum lacerti Aegyptii, idque genus alia. In animalibus poteſtas ciborum ad venerem ciendam et ad foecunditatem eſt euidentiſſima, vt viciae ſeminis in columbis, ſeminis cannabis in ouibus, in auiculis. Exit ſemen in epididymidem et ductum deferentem; ob innumerabiles

autem

autem anfractus conorum vaſculiferorum et epididymidis ipſiusque ductus deferentis, atque etiam ob anguſtiam eius canalis et adſcenſum, et ob viſcorem ipſius humoris lentus ſeminis motus eſt. Venit tunc in veſiculas, vbi diu adſeruatur, etiam perpetuo, et reſorbetur hic vapor ille, et ipſum ſemen in loco calente, qui inteſtinum rectum, putridis faecibus plenum, ſibi ſubiectum habeat, alcaleſcere et foetorem hic potiſſimum induere videtur. Quare adeo intermiſſa venere, ſemen maxime prolificum et certior foecundatio. Vt ſemen in veſiculas veniat, ſolae vires circumeuntium humorum et muſculorum quorundam ſufficiunt. Si autem a veſiculis in vterum progredi debeat, penis erectio requiritur. Princeps erectionis et naturae ſimillima cauſſa eſt in boni ſeminis copia, qua teſtes et veſiculae turgent. Altera cauſſa in ſano homine eſt imaginatio ſiue cupido veneris. Tertia cauſſa et potentiſſima eſt odor genitalium muliebrium ſui generis. Propius partes genitales ipſas adficit et excretionem extorquet, auget et perficit frictio glandis et potiſſimum colliculorum, qui ſunt ſub oſtio vrethrae. Quinta demum cauſſa eſt irritatio a veſica vrinaria, lotio plena, matutina. Aliae cauſſae naturales non ſunt; ſic irritatio ſenſilium organorum genitalium, fere quaecunque, etiam cum dolore coniuncta, erectionem ciet. Sed quaeritur, quaenam vera ſit cauſſa erectionis? Duplex ea Noſtro videtur, altera irritatio neruoſa eſt, aut in ipſis partibus genitalibus aut vicinis, aut etiam in remotis; altera vero ad iter ſanguinis ex pene reducis interceptum pertinet. Reditum autem ex corporibus cauernoſis impediunt non muſculi erectores, aut comprehenſae inter laqueos neruoſos venae, ſed ſanguis, qui maiori copia adfluit, quam redit. Inter cauſſas, quae ſemen ex veſiculis exprimunt, requiritur inprimis voluptas ad ſummum pro-

ducta

ducta, et conuulſiua quaedam neruorum contentio. Vno autem coitu veſiculae ſeminales non euacuantur, nam et ſecundus coitus in homine diu caſto pene aeque multum habet ſeminis, quam primus. Menſura tamen incerta eſt, et homo ex iis eſt animalibus, quibus ſemen parcius eſt et vis coeundi minima. Inter incommoda nimiae veneris eminet inprimis debilitas corporis, praecipue oculorum et tabes dorſalis, a qua ſyſtema neruorum frangitur, et inſignes noxae producuntur. Sed quaeritur, vtrum neruorum conuulſio periculum nimiae veneris faciat, an ſeminis emiſſio? Vtrumque nocere, tamen neruos potiſſimum pati, Noſter oſtendit. Vltimo de pubertate quaedam addit, ac poſt duodecimum annum ſeminis iam tantum generari dicit Noſter, vt ab ipſa natura per nocturna ludibria amandetur puer. Paulo poſt plenam iam eſſe ad venerem aptitudinem, iisque temporibus irritabilitatem maximam, ac poſt annum quadrageſimum ſenſim vim veneris in viris elanguere, neque tamen vllo modo naturam ſeni vetare patrem fieri, aſſerit, rectiusque facere, qui ſerius ad venerem accedunt, monet.

p. 1. Tomi ſeptimi pars poſterior muliebria pertractat. Differt foemina a viro, quod in iis partes omnes molliores, magis extenſiles magisque ſenſiles ſint. Duae ſunt foeminae humanae mammae, et in quauis papilla vna eminet, rugoſa et rimoſa, per irritationem eminens. Interior cutis facies laxatur ſenſim in laminas celluloſas. Plurimus ſub cute mammae adeps mollis deprehenditur, a quo princeps volumen mammae eſt. Glandula mammae vnica, vera conglomerata, in centro mammae eſt, in qua innumerabiles ductus excretorii reperiuntur. Hi in truncos coaleſcunt, qui anguſtiores ſunt, quando areolam mammae attingunt. Ex areola porro

in

in papillam ſubeunt, oſculaque habent exigua, per quae humorem ſuum euacuant. In hos ductus ab arteriis lac deponitur, quae vero radices ab adipe adueniunt, eas ex eius cellulis adipem aliquem ſorbere et cum lacte commiſcere, Noſtro probabile videtur. Quod ad papillam ſpectat, ea rugoſa eſt et reticulata, eademque irritando erigitur, extra vero tempus irritationis in ſe ipſam redit, vt omnia eius vaſa et nerui in plicas reducantur. Arteriae mammarum a coſtalibus et brachiali proueniunt, de iis autem, quae ex epigaſtrica arteria prouenire dicuntur, Noſter dubitat. Venae multo magis exiguae ſunt, nerui autem grandes, hinc acris mammarum ſenſus dicitur.

Ex papilla pueri, nuper in lucem editi, puellaeue ſeroſus liquor exprimi poteſt, qui videtur natiuus humor et mammae proprius eſſe. Nihil tamen in vtrouis ſexu de mammis exit, neque mammae ante pubertatem intumeſcunt, neque in mammis caſtae virginis lac generatur. Id autem vt fiat, ſtimulo aliquo opus eſt, qui in raris nonnullis exemplis ſuctio fuit. Repetita hac actione ex virginis mammis lac elicitur, vt non poſſit ex ſolo lacte de corrupta virginitate plenum iudicium ferri. Plerumque tamen et ex naturae lege lac tunc demum in muliebri corpore generatur, quando foetus aliquot menſibus in vtero increuit. A puerperio demum vera lactis in mammis naſcitur abundantia, quae tamen, niſi lactentis paruuli irritatio acceſſerit, euaneſcit deſinitque ſecerni. Eſt etiam neruis in lactis iter magna poteſtas; ſic a terrore et moerore ſaepe ſubito mammae ſiccantur, et lac noxium euadit; atque, ſi res ipſa vera eſt, videtur neruorum poteſtas noxium aliquem humorem, forte bilem, in lactifera vaſa admiſcuiſſe.

p. 16.

 Mam-

p. 20. Mammarum cum vtero conſenſus multis modis confirmatur; ſic mammae ſub pubertatis tempora creſcunt, et in grauidis foeminis lac in mammis incipit colligi, ac viciſſim mortuo foetu mammae dicuntur gracileſcere, et a ſuppreſſis ſubito menſibus mammae intumeſcunt, atque ſanguis per eas effluit, et menſes nimios admotae ad mammas cucurbitulae moderantur, denique lac ad vterum conuertitur. Cauſſa huius conſenſus a nonnullis in anaſtomoſibus quaeritur, cum vero inter epigaſtricas et mammarias exiguae ſint inoſculationes, dictam cauſſam Noſter non facile concedit, eamque potius in ſimilitudine ſucci vterini cum lacte quaerit. Verus nempe chylus eſt, qui in mammas decumbit, cumque inter vteri ſuccum et lac non obſcura ſit ſimilitudo, plerumque in vterum, tanquam in colum ſuo colo analogum, lac conuertitur. Alia denique mammarum cum vtero ſympathia in neruis eſt; ſic contactus papillarum libidinoſus inſuetis puellis igniculos mouet venereos. Patet itaque, vterum cum mammis connecti, et lac ex chylo eſſe. Huius, chyli nempe, maxima pars in mammas puerperae deponitur, neque tamen lac merus chylus eſt, ſed ad alimentum admiſcetur aliquid magis animale. Aceſcit lac, multarumque rerum ſaporem et vires remediorum retinet, ac aliud lac ab animali cibo, aliud a vegetabili eſt, atque ſic morbi a matre, non alias transeunt. Lac humanum recens neque acidae naturae neque alcalinae indicia edit, ſibique relictum in acidam naturam tranſit, qua ſuperata, diutius retentum denique putreſcit. Adfuſo acido quocunque et ſpiritu ardente lac coagulatur, a ſale fixo leuiter cogitur, a volatili minus ſpiſſatur, a ſalibus mediis diluitur. In lacte volatile quid acidum eſt, quod exhalat, ſibique relictum in ſuperficie ſumma cremorem recipit; ſub quo ſerum eſt pingue cum

parte

parte grumoſa, caſeoſa miſtum, quae ſenſim decedit et fundum petit. Variat autem lac pro diuerſitate animalium. Ponderoſiſſimum eſt aſininum, ſequitur humanum, proximum ouillum, tunc vaccinum, inde equinum, leuiſſimum omnium caprillum eſt. Lac ouillum pinguiſſimum eſt, plurimumque habet caſei; aquae plurimum aſininum, minimumque pinguedinis et partium ſolidarum: humanum poſt id lac et aſininum ſuccedit aquae copia et parcitate caſei atque butyri. Soluit ergo et tenuius eſt aſininum et equinum, maxime alit humanum et ouillum. Per ignem lac disquiſitum aquam dat, ſpiritum acidum, oleum rubrum, pene nigrum, et carbonem, ex quo exuſto ſal fixus lixiuioſus obtinetur. Fermentatione ſpiritum inebriantem praebere dicitur. Seri pondus minus eſt, quam lactis, et ineſt ei glutinoſi quid et viſcidi; eſt etiam in eo ſalis genus proprium vere animale, quod cryſtallos dat albas, ſubflauas, dulces. Butyrum olei genus eſt, cum aquae portione commiſtum. In caſeo alia natura eſt et putredinem fouet, mirificamque tenacitatem habet. Quod ad lactis vtilitates ſpectat, primaria in nutriendis pueris conſiſtit, ſed etiam matri foetum ſuum nutrire multo praeſtabilius eſt. Ita enim et refluxus lactis in ſanguinem periculoſus, et periculoſiſſimi illi in mammis ſcirrhi auertuntur. Et homini adulto, niſi vinoſo potu ventriculum nimis imbuerit, conuenit; facillime enim coquitur, bene alit, absque vllo malo per omnia diſtribuitur et motum ſanguinis contemperat. Eſt tamen in lacte quoque ſuum vitium. Debilitat adultum hominem, ventriculum obtundit, aluum alias nimis ſoluit, ſiccat alias, oblinitis inteſtinis, et in vniuerſum minus conuenit vinoſis et iis, quibus fibra debilis eſt et laxa. Poteſt etiam lac reſidere in primis viis et in coagula abire, etiam lapidea. Serum lactis tenuius eſt, mi-

nus habet olei, minus caſei, vt tamen alat. Ad acrimoniam calidam, ſcorbuticam, putridam aptius videtur, et facilius per organa excretoria tranſit, tantum quod lubricitate ſua ventriculum in multis aegris nimis deliniat, neque facile poſſit diuturnior vſus tolerari. Reliquae partes lactis minorem laudem merentur. Pinguedo enim et putrida natura caſei motum periſtalticum minuunt.

p. 45. Latius, quam mammae, regnat vterus, ſedetque iſte in pelui, quae a peritonaeo, quaſi ſepto aliquo, bipartitur et diuiditur. In foetu adſcendit ſupra peluis ſuperiorem ambitum et vna ouaria tubasque ſuas ilium oſſibus modice cauis imponit. In matura virgine vterus totus pelui continetur, et cum eo ovaria et tubae. Vterus vtique lagenae cuiusdam figuram imitatur, in qua et collum eſt et amplitudo, in quam collum expanditur; ceruix illud, hoc corpus vteri dicitur. In vtero cauea deprehenditur, non tamen inanis, quae fere triangularis eſt, et in grauiditate in rotundam mutatur. Alia cauea cum triangulari coniuncta ceruicis eſt, longa et ſatis cylindrica, quae ore terminatur anguſtiori, quod internum vteri vocatur, et in viua foemina clauditur. Membranam vterus non aliam habet praeter peritonaeum, quare anterius magna pars vteri eſt absque inuolucro. Vterus humanus ab omnium animalium vteris differt, et peculiarem materiem floccoſam habet celluloſam, ſtipatam, denſam, ſucculentam tamen et ſpongioſam. Craſſior etiam eſt, quam in vllo animali, non tamen vndique eadem eſt craſſities, quae ad medium fundum fere maior. Irritabilis eſt vterus et a partu contrahitur, et extra omne dubium fibras muſculoſas habet, quarum aliae, vt Noſter docet, latera ad ſe inuicem adducunt, transuerſae, et aliae ceruicem ad fundum attrahunt vterumque reddunt breuiorem. Membrana vteri in-

tima flocculenta eſt, non villoſa, et videtur, vt epidermis, ſenſu carere. Tota interior facies ceruicis vteri dura et calloſa eſt, et os vteri ipſum crenatum ac ſerratum eſt intusque ſulcatum. In vtero humano duplicis generis humor reperitur; in corpore ſeroſus, ſubalbidus et turbidus tenuis humor eſt; alter eſt mucus ſaepe ſubruber, ceruicis vteri frequens hoſpes, et potiſſimum in grauidis foeminis abundans, totamque ceruicem replens. Vterini ſeri exhalabilis natura videtur, muci fontes ſunt lacunae et glandulae. Ceruici vteri adnaſcitur vagina, canalis cylindricus, virgini peranguſtus, qui poſt partum nunquam puellarem arctitudinem recuperat. Externam membranam nullam habet, et vaginae princeps natura eſt ex craſſa, celluloſa, ſtipata et extenſili tela, et fibras etiam carnoſas, contractiles habet. Poſt celluloſam telam membrana ſequitur neruea, cuius magna portio dura eſt et cartilaginea; intima manifeſto epidermis eſt. In adultae foeminae vagina verus mucus, et maculae, et pori, et ſinus, nullae vero glandulae a Noſtro repertae ſunt. Ad finem vaginae pudendum eſt, in quo inter alia, quae accurate hic deſcribuntur, clitoris et hymen notanda veniunt. Clitoris ſimilitudinem habet cum virili pene, crura, muſculos, glandem ſeu caput, praeputium, corpora cauernoſa, cuius pars exigua ſponte patet, maior latet. Senſus eius mire vehemens eſt, eiusque moles multo vſu augetur, ita ſaepe, vt ob hanc magnitudinem foeminae pro hermaphroditis habitae ſint. Ea, quod ſingulare videtur, in foetu trimeſtri et quadrimeſtri grandis eſt, et poſt eam aetatem iterum diminuitur. Sub clitoridis corpore ſupra vaginam vrethra eſt breuis, vnciali non longior. Ex ipſa continua vaginae carne, inferius et poſterius, lunata pariter in diductis partibus eſt membranula, ex epidermide facta, ſurſum caua, quae magnam

vaginae partem claudit, quaeque hymen dicitur, cuius praeſentia, vt Noſter putat, maritum de caſtitate ſponſae facile conuincere poteſt. Ab vtero vtrinque canalis exit, qui tuba Fallopiana dicitur. Factus eſt ex duabus membranis, quarum interna longius procurrit, externa breuius terminatur, ac inter has duas membranas eſt aliquid celluloſi. Hic canalis inter duo folia ligamenti lati comprehenditur, et in vterum oſtio paruo, fetam tamen recipiente, aperitur. Circa oſtium tubae, quod in cauum abdomen aperitur, interior membrana vltra exteriorem producitur, facitque laciniatum pene radiatum tubae ornamentum. In tubis mucus reperitur, qui humor exhalabilis eſſe Noſtro videtur, cum vaſculorum in tuba immenſus ſit numerus. Mutantur tubae a grauiditate, ita, vt multo inferius nunc de vtero prodeant, mutantur etiam morboſe. Cum vtero ligamento connectitur vtrinque ouarium, quod de margine ſuperiori ligamenti lati poſterius, quam tuba cum ala veſpertilionis antrorſum educta nectitur. Adultae foeminae dimidium ouum referunt, cuius anterior ſuperficies et poſterior peritonaeo obducitur. Interior eius fabrica, praeter oua et corpora lutea, nihil eſt niſi ſucculenta, laminoſa, celluloſa tela, ſcirrhi non valde diſſimilis. Oua, quae in homine in celluloſa natura ouarii reperiuntur, in omni fere animali viſa ſunt, quorum magnitudo vtcunque, non tamen perpetuo, molem animalis ſequitur. In vetulis plerumque oua euaneſcunt, et eorum locum tubercula duriuſcula tenent. Intus ouum leuiſſimum eſt, absque glandulis aut reticulo. Repletur idem humore limpido, aliquando rubello aut luteo, in alcohole ad ignem coagulabili. Praeter haec etiam hydatides in ouariis ſunt, omni dote ouis ſimillimae, eaeque enormem in molem abeunt, oui gallinacei, etiam multo maiorem.

Ligamen-

Ligamentum teres, vt Noſter oſtendit, minus bene hoc nomine inſignitur, nec ad firmandum vterum quidquam facit, ſiquidem vterus mobilis omnino eſt, et tumenti veſicae aut infarto inteſtino vltimo cedere debet. Vaſa, quae hic reperiuntur, arterioſa et venoſa, duplicis generis ſunt, alia ſpermatica, alia hypogaſtrica. Lymphatica Noſter in homine non vidit, in maioribus beſtiis tamen ab eo uiſa. Nerui copioſi hic occurrunt; hinc vterus et connexae cum vtero partes vehementis ſenſus ſunt.

Ad purgationem menſtruam accedimus. Menſes ſeu ſanguinis per vuluam expurgatio omni foeminae bene natae, rariſſimis exemplis exceptis, quam primum pubes prodit, ad initia vsque ſenectutis, poſt menſem ſolarem reuolutum, ex naturae lege ſuperuenit. Tempus vitae, quo manant menſes, eſt, vbi mammae ſurgunt, et pili in pube explicantur, et quando magnam incrementi partem virgo abſoluit. Circa quinquageſimum annum menſes omnino foeminas ſanas deſerunt, et vna foecunditas. Interdum tamen longiori tempore fluunt, et aliquae perpetuos menſes ad ſummam ſenectutem paſſae ſunt. In grauidis menſium neceſſitas interrumpitur, non tamen perpetuo. Sunt enim, quae per totam grauiditatem absque omni malo per vterum purgatae ſunt. Etiam lactantium menſes minus certo ſupprimuntur, neque etiam conceptionem lactatio impedit. Ante menſes conſtanter ſatis humor ſeroſus albicans effluit, tum ſanguis verus. Tempora incerta ſunt, in aliis tamen ſeptem et octo diebus, in aliis, vbi menſes celerius fluunt, periodicus ille fluxus triduo aut quatriduo durat. Sanguinis copia incerta eſt, eaque exhauſta, flumen ſiccatur. Septem vero aut octo in fluxu ſanguineo diebus conſumtis, viginti duobus aut tribus in quieto interuallo periodus menſtrua abſoluitur. Ita in ſobriis; in aliis tamen, ob

p. 137.

 alienos

alienos in vitae regimine mores, tempus redeuntium menſium praecipitatur aut retardatur. Sanguis menſtruus de ſana neque immunda foemina, rubore, calore, odoris abſentia, nihil ab alterius foeminae ſanguine differt, nec foetorem vllum oſtendit. De fonte menſium dudum diſputatum eſt; fuerunt, qui a vagina repetierunt; ſanguinem vero ex vagina fluere, potiſſimum, quando vtero impedito tamen cauſſa, menſes excitans, vrget, Ill. Auctor non negat, ſed viam tamen menſium principem per vterum eſſe, oſtendit. In vtero ipſo nulla pars eſt, quae menſtruum ſanguinem non fundat, etſi in fundo et in corpore abundius, quam in ceruice maculae reperiantur. Hunc ſanguinem ex venis fluere, probabile eſt; cum tamen facilius ſit, ſanguinis in arterias congeſtionem concipere, difficilius vero cauſſa inueniatur, quae ſanguinem in venis adeo potenter poſſit retinere, per arterias menſes expurgari, magis probabile videtur. Cauſſa menſium non facilis eſt; tres fere ſunt hypotheſes, lunae poteſtas, fermentum vterinum, plethora. Prima et ſecunda a Noſtro non admittitur; verae autem cauſſae tres ſunt; motus in ſanguine incitatus, ſanguinis maior copia in vniuerſo corpore, et ſanguinis ad vterum maior adfluxus. Menſes vero diminuunt et tardant ſanguinis motus retardatus, plethorae diminutio, demum ſanguinis ab vtero auerſio. Symptomata, quae menſibus ſuppreſſis ſuperueniunt, multa ſunt, et quidem mire varia, quorum alia ad vterum pertinent, in quo ſanguis reſidet; aliqua ad corruptionem peculiarem ſanguinis, quae ex ea ſuppreſſione naſcitur; aliqua in neruis ſedem ſuam habent: alia ad plethoram pertinent, quae ex menſibus ſuppreſſis naſcitur. Inprimis a ſuppreſſis menſibus haemorrhagiae ſuperueniunt et ſanguis retentus, qui venas opplet, per omnia corporis humani emunctoria

ria viam ſibi aperit. Omnia autem mala, a menſibus ſuppreſſis orta, iis reſtitutis, tolluntur. Quod ad theoriam fluxus ſanguinis menſtrui attinet, ad vaſa inprimis et plethoram reſpiciendum eſt. Arteriarum nimirum ad venas alia ratio in foeminis eſt. Robur nimirum arteriarum in iis minus eſt, quam in foeminis. Venae contra in foemina minus facile, quam in mare ab arterioſo ſanguine dilatantur, hinc duriores cenſendae ſunt. Ex his ſequitur, arterias in foeminis ſanguinem per venas minus poſſe propellere. Porro quoque verſus peluim arteriae maris indurantur, foeminae minus tenereſcunt, et arteriae inferiores in foemina ampliores fiunt, quam venae inferiores. Hinc ſanguis in foeminarum aortam inferiorem maiori celeritate aduenit, et ex arteriarum vltimis idem ſanguis per minores et denſiores pro portione venas difficilius redit. Hinc retinetur diutius in anguſtiis naſcentium venarum vteri. Perpendendum etiam eſt, in omnibus animalibus primo euolui vaſa ſuperiora, ſerius inferiora, per aetatem vero haec magis diſtendi. Quando nunc incrementum exiguum eſt, in vtroque ſexu oritur plethora, in foemina tamen magis. Quam primum vero vterus vel parum extendi poteſt, vel nihil, plethora in eo producitur et ſanguinis in vterum congeſtio; hinc menſes erumpunt. In beſtiis ſanguinis facilius in peluis arterias iter ad diſtenſionem vteri et foetus incrementum pertinere videtur. In viris arteriae duriores, venae molliores ſunt, hinc facilior ſanguinis per minima tranſitus; cumque nullum in iisdem viſcus ſit, quod magnorum vaſorum copia inſtruatur, ſanguis etiam nullus colligitur. In foeminis grauidis vterum placenta occupat, quae arteriarum fines ſibi implantatos accipit, praeterea foetus ſubnaſcens plethoram vterinam in ſuum incrementum conuertit. In foeminis lactantibus la-

ctis vberrima ſecretio magnam vim chyli conſumit. In vetulis vteri arteriae duriores negant extendi, et impulſo a corde ſanguini firmius reſiſtunt. Hinc ob has rationes beſtiis, viris, grauidis, lactantibus et vetulis menſtrua proprie nulla. Si autem requiras, cur menſtrua plethora magis, quam alia quacunque periodo naſcatur et per vterum expurgetur, cauſſa certe dari accurata non poteſt. Plethoram autem in foeminis natura fecit, vt ſuo tempore eo in viſcere foret parata opportunitas ſanguini, quem vberius in foetum oportebat transmitti. Altera ſecundaria vtilitas ad plethorae expurgationem pertinet, qua vero natura foeminarum carere potuiſſet, niſi ad foetum alendum requireretur.

VI.

IACOBI WERNISCHECK, Phil. et Med. Doct. Genera plantarum, ad facilius conſequendam earum notitiam, ſecundum numerum laciniarum corollae diſpoſita. Vindobonae, typis I. Th. de Trattner, 1764. 8 mai. Alph. 1. pl. 5½.

Varia a diuerſis hinc temporibus experta fuiſſe fata plantae floris partes, et in condendis ſyſtematibus nunc hanc, nunc illam, principem obtinuiſſe locum, rei herbariae cultoribus notiſſima res eſt. Ex nulla vero hoc aeque, ac inprimis praeterito ſeculo magis characteres pro definiendis generibus deſumti fuerunt, quam ex corolla, et certe, licet reliquae partes, et praecipue ſtamina, ad methodum concinnandam commode adhiberi poſſint, tamen corollam pro faciliori aſſequendae cognitionis indice haberi, et reliquis praeferri debere, multi, et inter eos quoque Cel. WERNISCHECK exiſtimarunt.

runt. Hic enim ex corollae limbo, eiusque laciniarum numero genera plantarum, nouo quadantenus modo, ordinauit et viginti claſſes inde conſtituit. Quo itaque haec diſpoſitionis ratio eo perfectius appareat, fundamenta, a quibus deſumta fuit, annotemus.

Quatuor modis differunt plantae ratione petalorum.

Planta enim eſt vel *petalodes* vel *apetala*, et *petalum* eſt aut *ſolitarium*, idque vel *ſimplex*, vel *compoſitum*, aut *ſimul plura* adſunt *petala*. *Petalum ſolitarium ſimplex*, ſiue *flores corolla monopetala ſimplici*, ratione limbi quinque exhibent claſſes. Scilicet *prima* erit, vbi *limbus duo quodammodo labia* efformat, labiati et perſonati alias dicti; *ſecunda*, vbi *limbus in quatuor*, *tertia* vbi *in quinque*, *quarta*, vbi *in ſex lacinias* potius, quam labia diuiditur, et *quinta* eos monopetalos reliquos continet, ad nullam commemoratarum claſſium reducendos, *corolla integra, vnilabiata*, *in tres*, *aut in plures*, *quam ſex lacinias diuiſa* inſtructos. *Petalum ſolitarium compoſitum*, ſiue *flores monopetali compoſiti*, *tres*, vt ab aliis etiam plerumque corolliſtis receptum fuit, conſtituunt claſſes. *Sexta* ſcilicet in ordine erit, vbi *limbus omnium corollarum eſt ſubaequalis*, *flores compoſiti tuboſi*; *ſeptima*, vbi *omnes in ligulam longam extrorſum patentem* abeunt, *ligulati*; *octaua*, vbi *interiores limbum habent ſubaequalem*, *exteriores vero ligulam*, *radiati* dicti. *Petala plura* ſimul ſi adſunt, ſiue *flores polypetali*, *octo* formant claſſes. *Nona* enim comprehendit *flores petalis* 2, 4 et 8 inſtructos, quos omnes ob mutuam affinitatem in vnam hanc coniiciendos cenſuit Auctor, exemptis modo a TOURNEFORTIO dictis *cruciformibus*, qui *decimam* conſtituunt. *Vndecima* ſiſtit flores pariter affines, *petalis* 3 *et* 6; *duodecima petalis* 5 *et* 10 praeditos; ſeparatim

iterum

iterum conſeruatis *vmbellatis in decima tertia*, et *papilionaceis* in *decima quarta* recenſitis. *Decima quinta* eos exhibet flores, in reliquis polypetalorum claſſibus non commemorandos, exules quaſi factos, plerumque numero petalorum variantes et *decem ſtaminibus plura ferentes*, exceptis *columniferis*, in *decimam ſextam* reductis. *Apetalae* plantae duplicem inprimis cohortem efficiunt; earum enim *perianthium* ita aliquando *coloratum* eſt, vt dubium videatur, vtrum corolla, an re ipſa perianthium dici debeat: quae itaque *perianthium corolliforme* ſiue *calycem corollinum* gerunt, *decima ſeptima*, quibus vero *perianthium rude aut prorſus nullum eſt*, *decima octaua* ſiſtit claſſis. Accedit *decima nona graminum cum affinibus*, et filices, algae ac reliquae *clandeſtini floris* nomine *vigeſimam* denique exhibent.

Haec eſt claſſium ſumma diſpoſitio, in ordinibus autem, diuiſionibus et ſubdiuiſionibus varios quidem characteres adhibuit, et nunc ad hanc, nunc ad aliam fructificationis partem primario vel ſecundario reſpexit, attamen plerumque ouarium ſeu germen, eiusque ſtylos, primum, deinde calicem ſeu perianthium, corollae ſitum ſuperum vel inferum, et vltimo frequentiſſime loco ſtamina eorumque numerum in auxilium duxit, exinde vlteriores diuiſiones ordinauit, generaque repoſuit. Cum vero genus aliquando ſpecies comprehendat, quae laciniarum corollae numero, vel figura inter ſe differunt, methodi leges ſtricte obſeruans Cl. Auctor, in diuerſis claſſibus vel ordinibus eiusmodi repoſuit, idemque genus repetiit quidem, vnica autem vice tantum numerauit, et ſic genera 1187 nominauit et definitionibus ſuis deſcripſit. In his denominandis definiendisque vbique fere LINNAEUM ſequutus eſt, nonnulla tamen ſunt genera, quae Illuſtris ille Vir vel perpetuo ad alia amandauit, vel antea a ſe ipſo

condita,

condita, ad alia poſtea reiecit, a Cl. Auctore ſeparatim propoſita, eruntque forte ſequentia: *Paederota, Heiſteria, Bartramia, Anacampſeros, Cimicifuga* LINNAEI, *Cardiaca, Liliaſtrum, Dorycnium* TOURNEFORTII, *Pauia* BOERHAAVII, *Vnifolium* RUPPII, *Hepatica* DILLENII, *Ornus* PONTEDERAE, *Chloroxylum, Zoophthalmum, et Galartia* BROWNII. At, licet his ſeorſim conſeruatis, numerus tamen generum, comparatione cum generibus a LINNAEO enumeratis inſtituta, imminutus adparet, et, vt nobis videtur, ſyſtematis naturae modo decimam, non vero generum ſextam editionem vidit et adhibuit Cl. Auctor, hinc ea, quae IACQUINUS, et ipſe LINNAEUS recentiſſimo hoc tempore propoſuerunt genera, deficiunt plurima. Definitiones generum duplici ratione exhibuit, primo enim genera claſſis cuiuslibet methodo tabulari recenſuit, et nonnullis characteribus notatis diſtinxit, deinde vero pleniorem definitionem expoſuit, quae omnes accuratae ſunt, omnesque ex flore et fructu deſumendos characteres continent; de quibus itaque nihil monere debemus, ſed in notato methodi fundamento acquieſcamus.

VII. Ouvra-

VII.

Ouvrage touchant les Hernies ou deſcentes, diviſé en deux Parties. Par Mr. DEIAN, Maitre en Chirurgie. a Paris chès I. Lamesle, 1762. in 12. pag. 345.

i. e.

Opus de herniis in duas partes diuiſum. Auctore Cl. DEIAN.

Cl. DEIAN, qui eam potiſſimum chirurgiae partem exercere videtur, quae hernias tractat, hoc opus in duas partes diuiſit. Atque in earum prima de methodo disputat faciendi plenariam herniarum curationem et cauendi ſibi a damnis, quae ex neglectu huius morbi prouenire ſolent; in altera vero ea remedia indicat, quae hernia incarcerata facta ad aegri ſanationem adhibenda ſunt. Cum vero prima huius libri pars conſcripta ſit maxime in vſum eorum aegrotorum, qui in agris et a chirurgis in arte ſua expertis remoti viuunt, in eo potiſſimum Cl. p. 1. DEIAN operam poſuit, vt aegros ipſos doceat, quomodo faſciarum, quibus herniae repoſitae continentur, menſuram ſumere, herniam reponere, faſcias applicare, et incommoda, quae faſciae afferre ſolent, vitare poſſint. Attamen in huius tractationis ſerie non tantum continentur herniae proprie ſic dictae, ſed agit etiam Cl. Auctor de prolapſu vteri et inteſtini recti, et ea, quae de his morbis annotanda p. 65. ſunt, explicat. Plenariam herniae inteſtinalis curationem faſciarum rite et per longum tempus applicatarum ope obtineri poſſe, exemplo hic confirmatur.

p. 76. Altera huius operis pars, quae propius ad nos ſpectat, agit de curatione herniarum incarceratarum.

Cauſſa

Cauſſa incarcerationis herniae inteſtinalis poſita eſt in expanſione inteſtini per annuli aperturam progreſſi, non vero in contractione aliqua aut inflammatione annuli ipſius. Omnem medicamentorum p. 84.
vſum, cuiuscunque generis ſint, purgantium, quae SHARPIUS quodammodo concedere videtur, atque inprimis oleoſorum, reiicit. Ea enim non ſolum vomitum augent, ſed etiam, cum in eiusmodi aegris nihil ex canali alimentorum reſorbeatur, inteſtinum ſupra incarcerationis locum quam maxime expandunt, vt ſaccum illud referat, qui non modo reductionem et repoſitionem inteſtini impedit, ſed etiam vim contractionis eius tollit, et rupturae occaſionem dare poteſt. Cibi loco nil niſi iuſcula tenuia p. 109.
Noſter concedit, quo fauces tantum et oeſophagus aliquo modo humectentur, repudiantur autem ab eo omnia ſolidiora alimenta, cum periculum, quod hernia incarcerata adfert, ſemper aut augeatur, aut minuatur, pro modo alimentorum ab aegro breui antea ſumtorum. Seruet autem aeger ſemper eum ſitum, vt lumbi altius poſiti ſint trunco corporis. In taxi inſtituenda cogebatur Cl. Auctor, eam inteſtinorum partem primo reducere, quae prima progreſſa erat ex annulo, vltimo vero eam, quae vltimo proceſſerat, quod, vti notum eſt, praeceptis, quae vulgo dantur, plane repugnat. In repoſitione herniarum recentium nonnunquam vis aliqua adhibenda eſt, ea enim vſurpata, ſaepe eiusmodi herniae facillime reponi poſſunt, quae ſi non vi retorquerentur, maximum aegroto vitae periculum attuliſſent. Venaeſectiones crebrius adhibendae ſunt, eo caſu excepto, vbi hernia poſt cibum copioſius ſumtum illico accidit, vbi ſemper exſpectandum eſt, donec omnis cibus vomitu ſit reiectus, ne digeſtionis vires nimium debilitentur. Ex numero topicorum, vul- p. 124.
go ab Auctoribus laudatorum, aquam frigidam glaciemque

ciemque plane reiicit, ac pariter clysmatum vſum non probat. Contendit enim, ea ideo eſſe nociua, quia ſemper in eorum applicatione aeger in talem ſitum redigendus eſt, qui regreſſui inteſtinorum plane eſt contrarius, deinde, quia inteſtina per liquores iniectos diſtenta regreſſui inteſtini obicem ponunt, tandemque, quia ſtimulus et nixus per clysma excitati ſemper ſymptomata augent. Quae enim in eiusmodi aegris poſt enematis applicationem progrediuntur faeces, ea regurgitant tantum, non per inteſtinorum motum aut aliam vim extra corpus propelluntur. Cum enim ex Noſtri ſententia potiſſimum aer atmoſphaericus, in canalem inteſtinorum receptus, cibos propellat, hac aeris vi impedita, per incarcerationem factam in ſuperiore loco nil
p. 145. ciborum aut faecum amplius progredi poteſt. Accedit tandem Cl. Auctor ad bubonoceles operationem. Tempus eam inſtituendi definitur ex aetate temperamentoque aegroti, pulſu, loco herniae, ſtatu inteſtinorum et ventriculi eo tempore, quo hernia incarcerata facta eſt, ex vi et tentaminibus ad reducendam herniam factis, tandemque ex grauitate ſymptomatum. In aetate prouectioribus et in iis, qui tenerioris habitus ſunt, tertium diem exſpectat, cum in iis inflammationis periculum non tantum, annulique apertura laxior ſit, faciliusque cedat. Quae in ſiniſtro latere occurrunt herniae, eae celerius operationem exigunt, quam quae in dextro ſunt, cum vtplurimum inteſtinum ileum eas ſolum formet, herniaque ſemper eo maius adferat periculum, quo propior pars inteſtini incarcerata ſit ventriculo. Si ſymptomata vrgent, ſaepe operatio iam 12 aut 15 hora poſt incarcerationem inſtituenda eſt. Ex cautelis vero in ipſa operatione adhibendis, quas Cl.
p. 170. DEIAN adducit, ſequentes adnotaſſe ſufficiat. Folia celluloſa ſacci herniae non vnum poſt alterum reſcin-

reſcindenda ſunt, ſed inciſio ſacci ſcalpelli ope in vno tantum loco inſtituatur, reliqua pars autem forficis ope aperiatur. Dilatatio annuli quam proxime ad os pubis fiat, quo vaſis ſpermaticis parcatur. Inciſionem vero annuli Cl. DEIAN ita inſtituit, vt primo ſcalpellum in abdominis cauitatem immittat, et carnes, attracta ſenſim ad ſe manu, ab interioribus verſus exteriora diſcindat. Annulum ſemper, quamuis etiam inteſtinum gangraena ſit affectum, dilatat, quo maior inteſtini portio egrediatur, vt eo melius de gangraena iudicare poſſit. Inteſtini vero gangraenoſi regreſſus optime filo per meſenterium tracto, cuius fines exterius ſeruentur, impeditur. Nonnunquam in corporibus ſiccioribus, in quibus nulla aqua in ſacci cauitate continetur, annuli dilatatio, ne inteſtina laedantur, intra ſaccum et annulum inſtituenda eſt. Minime neceſſarium eſt, vti tamen multi volunt, in herniis maioribus ſaccum, quo puris in fine inferiore collectio vitetur, ad imum vsque fundum aperire, cum idem facile ſitu ſcroti in vulneris deligatione impediri poſſit. Omenti partem, quae in hernia eſt, ſemper Cl. Auctor ligatura proxime ad annulum facta aufert, ſiue ea ſana ſit, ſiue morboſa, et aſſerit, nullam inde tenſionem extimeſcendam eſſe, licet margini vulneris accreſcat, niſi in eo caſu, vbi cum inteſtino iam ante operationem concreuerat. Atque hac cautione adhibita, hernia compoſita in ſimplicem mutatur, et inteſtinum, apertura herniae ex parte per cicatricem omenti obturata, facillime nunc continetur. Aegri ſitus poſt operationem ita mutandus eſt, vt lumbi trunco humiliores ſint, ne inteſtini portio, quae in hernia fuerat, ab apertura ſecedat, pus vero facilius effluat, inteſtinum vulneris labiis adhaereat, vt in caſu rupturae eius faeces egredi poſſint. Lenia purgantia etiam poſt operationem tantum vſum adferunt,

p. 180.

quantum ante eam damnum. Quodſi in infantibus integumenta paullulum ſuper vmbilicum producuntur, quod, vti notum eſt, herniae vmbilicalis cauſſa eſſe ſolet, excedentem integumentorum partem ligatura auferre Noſter iubet. Quae enim per faſcias fit curatio, ea neque tam celeriter fit, neque tam certam curationem promittit.

Sequuntur variae obſeruationes operationum a Cl. Auctore factarum. Inteſtinum poſt operationem ruptum, cum in ambitu ſuo vulneris margini iam accretum eſſet, mediante faſcia tortili compreſſit, faecesque hac ratione ad anum determinauit. Scirrhum matricis vapore aquae calidae et applicatione vnguenti Neapolitani ad matricis orificium sa-
p. 180. nauit. Plenariam herniae omenti curationem nonnunquam obtinuit hac ratione, vt aegrum iuberet per longum tempus in dorſo cubare, atque interea ei parum nutrimenti praeberet.

VIII.

B. S. ALBINI Academicarum adnotationum Liber ſextus. Continet phyſiologica, anatomica, pathologica, phytotomica. Leidae apud I. H. Verbeek, 1764. 4. pl. 22. tab. aen. 4.

p. 3. Primum huius libri caput pertinet tum ad oſſium generationem in vniuerſum, cum in ſpecie ad ſententiam a Cl. DU HAMEL propoſitam, os ex perioſteo indurato fieri. Collegit autem Ill. Auctor primo ea omnia, quae hac de re dicta ſunt in variis locis commentariorum, ſuper hoc argumento a Cl. DU HAMEL editorum, e quibus omnibus apparet, putare eum: *craſſeſcere os ſuperadditione lamellarum perioſtei, quae ſe vertant in os aliae poſt alias, atque ipſam*

ipſam quoque cartilaginem perioſteum eſſe. Hoc vero Ill. ALBINUS ita negat, vt doceat, os omnino ex cartilagine aut in ea naſci, non ex perioſteo, neque callum eadem ratione fieri ex perioſteo indurato, neque hoc probari poſſe ex eo, quod perioſteum circa callum intumeſcat. Omnes enim partes, quae circa locum fracti oſſis ſunt, craſſiores fiunt et ſaepe occalleſcunt, aut euaneſcunt, mutata vel deleta eorum natura. Id quod exemplo brachialis nerui hic p. 23. probatur, quem aliquando Noſter tumori oſſeo, poſt ſanationem fracti oſſis relicto, ita inſertum vidit, vt in eo quaſi euaneſceret, ac poſtea iterum de nouo exoriretur, nullo eiusdem in intermedia parte indicio relicto. Negatur porro, in animalibus iunioribus lamellas perioſtei perſaepe reperiri, quae ex vna parte oſſeam, ex altera membranaceam naturam habeant, et probatur, cartilagines obtinere naturam a perioſteo, cui tamen arcte adhaerent, plane diuerſam. Neque hoc verum eſt, cohaerere epiphyſes in animalibus iunioribus cum corpore oſſis tantum ope perioſtei. Eo enim ablato, ſine eius adminiculo tamen oſſibus adhaerent, ope ſcilicet cartilaginei cuiusdam glutinis, ſenſim tandem in os transeuntis.

In ſecundo capite continentur quaedam de prima oſſium natura disceptationes. Defendit autem p. 35. ſe Ill. Auctor potiſſimum contra beat. noſtrum PLATNERUM, Ill. HALLERUM, et Cl. FOUGEROUX, qui ſcilicet Cl. Viri putarunt, ALBINUM oſſium generationem tribuere coagulationi et indurationi oſſei cuiusdam ſucci.: oſtendit autem Noſter, ſe tale quid nunquam docuiſſe.

Tertio capite mirum oculorum vitium in puero p. 49. deſcribitur. Cornea vtriusque oculi non rotunda, ſed ouata erat, per altitudinem longior. Vuea ab inferiore et interiore parte quinta circiter amplitudinis

 tudinis

tudinis ſuae parte deminuta erat, locus vero, vbi ea deficiebat, nigrum oſtendebat colorem, attamen in vniuerſum pupillae ora rotunditatem ſuam conſeruabat, ipſam ea ſe conſueto more contrahere et dilatare valebat. Quod vero ad aegrum attinet, ille a luce aegrius afficiebatur, atque tantum res propius oculis admotas videbat. Poſt paucos annos tota pupilla album, locus vero, vbi ea deficiebat, ſubcoeruleum colorem acquiſiuit, aegro viſus facultatem plane amittente.

p. 50. Aliud eiusmodi fere vitium natum erat ex vulnere, oculo per globum minorem plumbeum inflicto. In hoc aegro, cicatrice naſcente, vuea ſenſim ad cicatricis locum attrahebatur, viſusque tandem plane
p. 51. peribat. Quinto capite bulbus racemi Muſae de-
52. ſcribitur. Sexto capite diſputatur de natura clauorum pedis, atque oſtenditur, eos, cuticula detracta, cum ea quoque abscedere, ſola cuticulae parte in clauum mutata. Clauus vero interius conicus eſt, extremo ſuo laeui et reticulo deſtituto et quaſi corneo. Qui vero circa conum illum ſinus eſt, ille reticulo tegitur, foueasque oſtendit, maiores tantum redditas. Cutis clauo ſubiecta in foueam, quae infundibuli formam habet, quaſi depreſſa eſt, et cono claui reſpondet. In eius autem ambitu papillas habet, maiores redditas, quarum contra nullae in imo foueae deſcriptae fundo reperiuntur. Vaſis materia ceracea repletis, cutis in loco claui maxime rubebat, imo foueae fundo excepto, vbi ſcilicet vaſa a corneolo claui mucrone compreſſa erant. Similem fere fabricam oſtenderunt quoque claui latiores, ex planta pedis deſumti, et ab Ill. ALBINO examinati.

p. 55. Septimum caput pertinet ad icones cartilaginum auriculae, hic exhibitas, quae ab iis, quas Ill. Auctor antea in tabulis muſculorum dedit, in eo differunt,

ferunt, quod muſculi hic ademti ſint, vt omnia me-
lius conſpici queant. Ex nuper nato villoſa tuni- p. 56.
ca inteſtinorum tenuium et craſſorum depingitur,
quo diuerſitas fabricae eo melius appareat. Si in-
terna craſſorum inteſtinorum tunica detrahitur, glan-
duloſa corpuſcula in neruea vt plurimum relinquun-
tur, quae contra in tenuibus cum villoſa abſcedunt.

Nono capite radices pilorum, vaginae a cuticu- p. 57.
la ad pilorum bulbum deſcendentes, cutisque hu-
manae pori deſcribuntur. In omni cutis poro pi-
lus eſt, atque vbi nulli pili ſunt, ibi quoque nulli
inueniuntur pori. Ex iis vero, quae in hoc et ſe-
quente capite proponuntur, multa iam ab Ill. ALBINI
diſcipulis, Cl. SACRELAIRE et KAUUIO, in
eius ſcholis accepta, antea diuulgata fuerunt.

Diſputatur autem in decimo capite de papillis p. 62.
cutis, atque ex iis illa potiſſimum deſcribitur ſpe-
cies, quae in volis et plantis ac reſpondentibus di-
gitorum partibus inueniuntur. Conſtant autem eae
ex plurimis filis, aliis iuxta alia per latitudinem po-
ſitis, extremis ſuis veluti in vnum collectis. Cute
brachii impleta alba liquoris colorati pars exſudauit,
rubra parte in vaſis relicta. Suſpicatur vero Ill.
Auctor, perſpirabilem materiam per ipſam ſubſtan-
tiam partium noſtrarum, quae molles ſunt humidae-
que, penetrare poſſe, cum calentis aquae vapor per
corium ſiccum durumque transgredi valeat.

Inſcribitur, quod ſequitur caput, de incurſione p. 68.
HALLERI noua, atque dimidiam huius libri vniuer-
ſi partem fere explet. Directum autem potiſſimum eſt
contra praefationem Ill. HALLERI, praemiſſam
volumini quarto *elementorum phyſiologiae*, in qua
ſcilicet ille ſe contra ea, quae ALBINUS antea ſcri-
pſit *), defendit. Repetiit vero Ill. ALBINUS ar-
gumentum HALLERI, et ſuam cuique reſponſio-

*) vid. Commentar. noſtr. Vol. X. Part. IV. p. 645.

nem adnexit. Praeteribimus haec omnia ſilentio, tum, quoniam vehementer optamus, vt tota haec Virorum illuſtrium controuerſia tandem aliquando amica ratione componatur, tum etiam, quia pleraque, quae in hoc ſcripto repetuntur, nota iam lectoribus atque eius naturae ſunt, vt parum ad augendum noſtrum ſtudium facere videantur.

p. 144. In capite duodecimo icon ſphincteris ani externi in tabulis muſculorum ab Ill. ALBINO data contra Cl. CAMPERUM defenditur, qui muſculum hunc in hac icone iuſto altius ſuper bulbum vrethrae extendi ſcripſit. Aſſerit tamen ALBINUS, in cadauere, ex quo in hanc tabulam delatus eſt, talem omnino hunc muſculum fuiſſe.

p. 148. Decimum tandem tertium caput quasdam adnotationes de curatione calculoſorum, qua RAVIUS olim vſus eſt, continet. Notum eſt, Ill. ALBINUM in *indice ſuppellectilis Ravianae* *) ſcripſiſſe, RAVIUM, cuius felicitas in lithotomia adminiſtranda adeo extollitur, veſicam incidiſſe proxime ceruicem eius, oſtio integro relicto, plaga a latere nonnihil inferiora et poſteriora verſus ducta. Neque lectores fugiet, multos negaſſe, hoc ita fieri poſſe aut factum eſſe. Quare hoc loco id tantum addendum erit, Ill. ALBINUM id tribuiſſe his dubitationibus et obiectionibus, vt ſuam ſententiam tandem hoc modo declarauerit, vt dicat, ſe non ſcripſiſſe, plagam veſicae ſupra proſtatam infligendam eſſe, aut veſicam a latere proſtatae aperiendam eſſe, ſed veſicam incidendam eſſe proxime ceruicem eius, plaga inferiora et poſteriora verſus ducta **).

In

*) prodiit anno 1725.

**) Cel. CAMPER. in Demonſtr. L. II. tab. 3. fig. 3. locum, quem ALBINUS ſecandum eſſe dixit, litteris λ. μ. indicauit. Sed ALBINUS aſſerit, ſe verbis hiſce

In quatuor tabulis aeneis huic volumini adnexis bulbus racemi Muſae, interna inteſtinorum tunica, oculorum vitia antea deſcripta, claui fabrica, papillae cutis, pori ad radices pilorum poſiti, tandemque cartilagines auriculae exhibentur.

IX.

Deutliche Anweiſung, wie man ſich in einem Nothfall ſelbſten von den gefährlichſten und meiſten Krankheiten befreyen könne, abgefaſſet von DANIEL LANGHANS, *beſtelltem Stadtarzt in Bern. Erſter Theil von den Fiebern und Entzündungen, Bern, bey Abr. Wagner, Sohn,* 1762. 8*vo. pl.* 11. *Zweyter Theil von den Krankheiten des Haupts, der Bruſt, und des Bauchs. Ebend.* 1762. *pl.* 16. *Dritter Theil von den Krankheiten der Haut, der Drüſen, fliegenden Schmerzen, Gliederſuchten, und der Luſtſeuche.* 1763. *pl.* 8. *Vierter Theil von den Krankheiten der Weibsperſonen, der Kinder, von der Erhaltung der Geſundheit, und Beſorgung äuſserlicher Wunden, Verletzungen und Geſchwulſten.* 1764. *pl.* 13.

i. e.

Luculenta inſtructio, quomodo neceſſitate vrgente quilibet ſeſe ipſum a plurimis grauioribusque morbis liberare poſſit. Auctore DANIELE LANGHANS. Prima pars de febribus et inflammationibus; ſecunda de

Ss 4 morbis

hisce locum inter ϑ et λ. indicaſſe, hoc eſt, plagam breuiorem, quam quae eſt inter ϑ et ν, nec niſi ad principium ceruicis pertinentem.

morbis capitis, pectoris, et abdominis; tertia de morbis cutis et glandularum, rheumatiſmis, arthritide, et venereis morbis; quarta de morbis mulierum et infantum, de conſeruatione ſanitatis, cura vulnerum atque tumorum.

Proprio conſilio permotus, nimiaque copia agyrtarum, quibus Heluetia monente Auctore abundare dicitur, excitatus, normam methodumque medendi iis indicat Cl. LANGHANS, qui, dum in itinere ſunt, aut qui vitam rure degunt, neque habent, cui ſe obuenientibus morbis concredant, medicum prudentem, qua ipſi laeſae ſuae ſanitati obuiam ire, grauioribusque morbis mederi queant. Ad hanc rem perficiendam, non ſolum quemlibet morbum, quoad cauſſas, diagnoſin, prognoſin, et ſymptomatum differentiam accuratius deſcribere conatus eſt, verum etiam cuilibet parti prolixiorem adiecit indicem, quo quilibet mox ſuum, quo afficitur, morbum detegere poſſit. Singulae parti praemiſit medicamenta quaedam, quorum ingredientia quidem reticet, indeque et nobis occaſionem de iis iudicium ferendi demit, eximium tamen eorundem vſum multis collaudat, modum inſimul adhibendi, vna cum pretio adiiciens. Licet itaque neſciamus, ex quibusnam compoſita ſint dicta haec pharmaca, tamen vix nobis perſuadere poſſumus, vt praedicata haec medicamenta tantis tamque egregiis virtutibus polleant, cum ipſa nomina iis impoſita, qualia e. g. ſunt: panacea Heluetica contra hydropem, guttulae dentes pellentes pro infantibus etc. omni genuinae medendi methodo contraria videantur. Interim quo Lector aliquam operis huius ideam acquirat, non ſuperfluum fore arbitramur, ſi ſpe-

ciminis

ciminis loco ordinem, quem ſibi in recenſendis morbis Auctor elegit, commemoremus, ſummam nonnullorum capitum indicaturi. Itaque in prima parte primo loco de diaeta cuilibet febricitanti accommodanda exponit, et quae ad puritatem hypocauſti, ad cibum et potum in omnibus febribus ſpectant, recenſet. Quibus commemoratis, diuiſionem omnium febrium in intermittentes, continuas et lentas, adiicit; de progreſſu atque ſolutione febrium continuarum dein agens, monet, omnes eiusmodi febres, vel perfecta criſi, vel metaſtaſi quadam terminari, quapropter etiam non ſolum ſymptomata, veram quandam criſin praeeuntia, accuratius declarat, ſed varias quoque metaſtaſes, in tumoribus glandularum ſeſe manifeſtantes, vna cum curatione earum expoſuit. Ad curationem febrium continuarum in genere accedens, omnem indicationem eo redire iubet, vt nimirum ſanguinis maſſa diluentibus atque reſoluentibus emendetur, nimia eius copia venaeſectione imminuatur, euacuatio materiae morboſae per purgantia, emetica, aut diaphoretica, inſtituatur, diaeta accuratior per omnem morbi progreſſum obſeruetur, variaque tandem ſymptomata accidentalia leniantur, quorum etiam praecipua, qualia v. c. ſunt ſitis, dolor capitis, agrypnia, vomitus, diarrhoea, et quae ſunt plura, ſubſequentibus capitibus, ſeorſim recenſet, tandemque febris catarrhalis, purpuraceae, purpurae puerperarum, rubeolarum, variolarum, ſcarlatinae, vrticatae, eryſipelatis, petechiarum, febrium putridarum, intermittentium et lentarum hiſtoriam, methodumque curandi dedit, cum deſcriptione et curatione variarum inflammationum primam hanc partem finiens. Ex his, quae ſpeciminis loco breuiter indicauimus, momentis, ſatis ſuperque patere arbitramur, quomodo Auctor in proponendis morbis

verſatus fuerit. Eadem prorſus ratione reliquos morbos in ſubſequentibus tribus partibus pertractauit, quorum autem vlteriori recitatione lubenter ſuperſedemus, cum certi ſimus, quemlibet practicum peritum doctumque alios melioresque habere fontes, e quibus in ſolatium aegrotorum, ſuique ipſius ſcientiam augendam, haurire poſſit. Omnia enim in morborum hiſtoriis obuenientia momenta ita vbique cognita ſunt, vt nihil plane notatu dignum inueniamus. Pauciſſima ſunt, quae tamen indicium aliquo modo promerentur. In hydrophobis enim vnicum, praeſtantiſſimumque remedium, mercurium eſſe, affirmat; in hiſtoria morborum cutaneorum eorum ſententiam refutat, qui autumant, herpetem e. g. atque impetiginem ab inſectis ſub cute nidulantibus produci. Cum enim, hac cauſſa poſita, ratio materiae morbi per medicamenta externa intempeſtiue adhibita retropulſae vix dari poſſit, ſymptomatum tunc temporis oriundorum cauſſam in ſubitanea materiae acris et rodentis retropulſione ad partes internas quaerendam eſſe, arbitratur.

X.

Contemplation de la Nature. Par. C. BONNET, des Acad. Imperiales d' Allemagne et de Ruſſie, des Academies Royales d' Angleterre, de Suede et de Lion; de l' Academie electorale de Baviere et de celle de l' Inſtitut de Bologne; Correſpondent de l' Academie Royale des Sciences et des Sociétés Royales de Montpellier et de Gottingue. a Amſterdam chez Marc. Michel Rey 1764. 8. Tom. I. pl. 19. praefat. pl. 6. Tom. II. pl. 17.

h. e.

Contemplatio naturae, Auctore C. BONNET.

Quum nemini non notiſſima ſint in ſtudium hiſtoriae naturalis Cl. Auctoris merita, nos quidem, de nouo opere dicturi, omni eius ſuperſedere poſſemus laude, quippe quum naturae haec contemplatio perlegenti copioſa multifariae eruditionis documenta offerat. Amplam admodum, quam ſuo operi praemiſit, praefationem Noſter, tanquam ſciagraphiam libri *de organiſatis corporibus*, a nobis iam memorati *), et illius *de facultatibus animae* commendamus, quam eam potiſſimum ob rationem addidit Noſter, quod a variis ſuas ſententias nec recte perſpectas, nec conuenienter diiudicatas fuiſſe ſcribit, quo nunc, ceu in ſpeculo, omnem tractandi rationem intueantur. Prius vero de ipſo, quam exponamus, libro, monendum eſſe cenſemus, illum in linguam Germanicam fuiſſe nuper a Cl. IO. DANIEL TITIO **), Phyſices in academia Vitebergenſi Profeſſore,

*) Vid. Comment. noſtr. Vol. XIII. P. I. p. 29.

**) Prodiit hoc titulo: *Betrachtung über die Natur von Herrn*

feſſore, translatum, nonnullisque animaduerſionibus auctum, quo noſtratibus etiam elegantia disquiſitionis notior reddatur; de hac vero egregia verſione deinde adhuc aliqua ſumus propoſituri.

Totum opus, etſi continuum tractationis filum ſit, in duos diuiditur tomos, quorum primus nouem partes, ſecundus tres complectitur. A ſummo rerum creatore ipſiusque naturae gubernatore incipitur, et ad corporum contemplationem inde progreſſus fit, quorum ſcilicet perfectio per gradus alia aliaque eſt, id, quod deinde in plantis animalibusque nec non inſectis probatur, quorum omnium in oeconomia ſua aliqua inter ſe relatio et conuenientia eſt, atque animalium praecipue ſingularis ad fines naturae conſequendos adaptata induſtria.

To. I. Summi, quod adoramus, numinis potentia creauit mundum noſtrum et ſine dubio alios, hinc de vniuerſo noſtro ita diſſerit Cl. Auctor, vt eius perfectionem, aſtrorum ſitum et communem nexum
p. 21. omnium rerum accurate exponat. Rerum ſeu entium terreſtrium quatuor claſſes conſtituit Noſter, primo rerum non organiſatarum, ſecundo rerum organiſatarum, quibus anima non datur, tertio rerum organiſatarum, anima praeditarum, et tandem quarto rerum organiſatarum, animatarum et rationalium. In ſingulis eſt aliqua perfectio, alia tamen corporis, in organiſatione, praecipue in homine, alia ſpiritus, in facultate ideas abſtrahendi, inter vtramque gradus ſint, connexionem ſeu catenam communem facientes, ſiquidem natura ſaltum non faciat. Species rerum in ſcala hacce gradus conſtituunt, quae ſcala a ſimplici progreditur ad compoſitum.

Opus

Herrn CARL BONNET *etc. mit Kupfern, Leipzig bey Iohann Friedrich Iunius*, 1766. 8. 1 *Alph.* 10 *Bogen*, 3 *Kupfertafeln.*

Opus itaque eſſe credidit Cl. Auctor, in perue- p. 31.
ſtigatione naturae omnem hanc ſcalam percurrere,
quum vero elementa discernere nequeamus, nec
euoluere, ad compoſitionem progreditur, cuius tria
facit genera, in fluidis nempe, in ſolidis non orga-
niſatis et in organiſatis corporibus. Fluida maxime
ſubtilia ſunt, huc refertur materia ignis, aer deinde
et aqua itidem multum conferunt ad componenda
corpora, terra vero baſis ſolidorum corporum eſt,
cum qua multa alia iunguntur corpuſcula. Limites
inter ſolida, quae organa non habent et illa, quae
talia acceperunt, facere videntur lapides lamellati et
fibroſi (melius tamen eos detegi in plantis ſic di-
ctis ſubmarinis, in verſione germanica legitur).
Organa habent vegetabilia aeque ac animalia, quo-
rum diſcrimen fere nullum eſt, niſi in neruis; igno- p. 38.
bilioris indolis in vegetabilibus ſunt tubera, fungi,
agarici, lichenes, ſitus. Plantarum tres gentes fa-
cit Noſter, herbas, arbores atque frutices, quarum
etiam partes deſcribit. Tranſitum ab his ad ani-
malia declarat herba, quae ſenſitiua ſeu mimoſa di-
citur, deinde polypus. Inter animalia perfectiſſi-
mum homo eſſe videtur, ſimpliciſſimam ſtructuram
habet polypus, oſſibus deſtituuntur inſecta, quo-
rum externam internamque ſtructuram rimatur, ab
his procedit ad conchylia, reptilia, piſces, aues,
quadrupeda, tandemque ad hominem, quorum
omnium nexum et ſingulares dotes naturales perlu-
ſtrat. In his autem omnibus praerogatiuam facit
ſentiendi facultas, animalibus prae plantis conceſſa p. 71.
et in neruis reſidens, quae ſimul efficit, vt primum
in ſcala naturae occupet locum homo, varia ratione
conſideratus, tandem demum poſt mortem corporis
reſuſcitandus. Quatenus vero organiſatum corpus
animam accepit, variae eius adfectiones fiunt, atque
relationes rerum ad ſe inuicem. Hae relationes

ſeorſim

ſeorſim dignoſcuntur in animi imperio in corpus, quod actione et reactione nititur. Contemplatur Cl. Auctor ideas, ſenſationes, affectus, temperamen-
p. 96. ta, quae ipſi in facultate externas impreſſiones corporum adſumendi, earundemque reminiſcentia, conſiſtunt, pendentque a natura et copia fluidorum: porro inſomnia, ſenſum viſus, colorum rationem, ignem, aerem.

p. 125. Ipſa tamen organica corpora phyſicas in primis relationes copioſas oſtendunt: exempla multa ſunt in oeconomia vegetabilium, quippe quae vitales actiones ſecundum leges, a natura ſtabilitas, exercent. Hanc eximie breuiterque deſcribit Noſter, varias ex ſuo de vſu foliorum libro mutuatus demonſtrationes, propagationem praecipue plantarum per
p. 140. ſemina, turiones et gemmas dilucidat. Partes deſtructae arboris ex fibris, intus ſub cortice deliteſcentibus, reſarciuntur, rami et turiones ex germine, itidem in planta abſcondito. Animalia pariter oeconomiam propriam habent, neruis muſculisque agitantur et viuunt, creſcunt, nutriuntur, generant. Hanc generandi potentiam, normam et modum, ſupra in disquiſitione corporum organiſatorum iam adduximus. Suadet inter alia, vt tentamina inſtituantur cum inſectis, numne ex illis muli ſeu hybrida poſſint produci.

Sed quum oeconomia etiam in inſectis peculiaris ſit, illam ſpecialiori conſideratione perſequitur. Habent illa neruos, reſpirant, humores in iis circulantur, etiam in nonnullis acidum verum eſt, vti in eruca ſalicis et formicis. In generationis negotio vero multa ſingularia fiunt penes inſecta: muſcae ſpecies quaedam femina a mare recipitur; alia mares, feminae et generis neutrius ſunt. Dantur etiam hermaphroditi, inter quos, qui ſibi ipſis ſuffi-
p. 196. ciunt, exiſtunt, vt acari ſiue aphides (*pucerons*), qui mox

mox viuos foetus pariunt, mox ouula ponunt. Non minus miranda eſt zoophytorum oeconomia, quippe quae, in partes diſſecta, ex nouis quaſi gemmis propullulant, reuiuiſcunt et integra redduntur. Varia eiusmodi inſectorum genera, in primis polyporum, accurate recenſentur, ante quorum cognitionem in p. 220. oeconomiae animalis ſcrutinio hiatus erat, ſimulque inde conſequitur, analogiam in vita animali non ſemper pro regula eſſe adſumendam. Singulum genus ſuam vitam ſenſumque habet, gradum etiam intelligentiae in anima maiorem perfectioremque futurum p. 227. eſſe coniicitur, ſi anima quaedam omnibus organiſatis corporibus ſucceſſiue tribueretur, earundemque mutationum conſcia redderetur. Polypos itaque vinculum eſſe coniicit, quo animalia et vegetabilia inter ſe iunguntur, multa praeter ea de oeconomia animali diſſerit, quae cuncta hic expromere nequimus. Quoniam vero polypus originem organiſatarum ſubſtantiarum adeo eximie illuſtrat, fibras ani- p. 245. malium quorumcunque, polyporum ad inſtar conſiderandas eſſe Noſter credit, quippe quae, deſtructae antea, denuo creſcunt, euoluuntur, reſtituunturque. In polypis tamen, vti in ouis, germen no- p. 248. ui animalis eſt, per totam corporis ſuperficiem germina diſperſa ſunt, quae, quaſi turiones, data occaſione, propullulant, quod etiam de lumbricis ter- p. 256. rae valet, cuius tamen corpus multo magis ac polypi eſt compoſitum, quae etiam propagatio de aliis inſectis vberius adfirmatur. Millepedes, excluſi ex ouis, ſex pedibus inſtructi reperiuntur, poſthaec du- p. 266. centos creſcendo acquirunt. Haec autem ſucceſſiua mutatio Cl. Autorem ad metamorphoſin inſectorum contemplandam ducit, quorum vitam in tres periodos diſtinguit: in prima inſectum *vermis* eſt, p. 268. in altera *nympha*, quae vitam ſine actione viuit, in tertia *organiſatum corpus* prodit. In hoc multae reperiun-

periuntur, quae antea non aderant, organicae partes, praecipue diſtinctio ſexus. Natura pariter, in omnibus ſuis rebus varia, etiam hic exceptionem ponit, vt nempe aliquando in ouale corpus (*boule*
p. 272. *allongée*), maſſam pultaceam, ſed membris inſtructam oſtendentem, conuertatur inſectum, vel ouum ponere videatur, ipſa matre non minus, vt in muſca aranea; hoc tamen vera iam nympha eſt. Ex hac diſtinctione animalia ipſa, quoad ſuam vitam, diſcri-
p. 279. mina recipiunt, tentamine itaque quodam, qua ratione inſecta inter ſe ſint discernenda, Cl. Auctor proponit. Sunt nempe inſecta alia, quorum forma per omnem vitam eadem manet, quo pertinent zoophyta, araneae, cet. quorum ſubdiuiſiones ex aliis deinde momentis, v. c. pedum abſentia vel numero, propagandi ratione et ſic porro poſſent deſumi; alia deinde, quorum forma per metamorphoſes fit mutabilis. Horum quatuor claſſes conſtituuntur, *pſeudonymphae*, ſeu quae exuuias ponunt, ſine vlteriori mutatione, niſi, vt ex inſectis non alatis fiant alata, v. c. libellae, cicadae, ephemerae; porro *nymphae*, ſub quibus partes inſecti latent, in ſtatu tamen immobilitatis remanent; *nymphae vermiformes*, primas hae exuuias non deponunt, ſed contrahuntur, vermis quaſi formam induunt, vt muſcae quaedam; tandemque *chryſalides*, quarum exuuiae denſantur
p. 285. atque impellucidae fiunt. Metamorphoſes vero ex eo facile contingunt, quod exuuiae, tanquam vaginae, vna in altera et ſub altera latet, quarum extima neceſſitate cogente reiicitur. Paullo obſcurior res eſt, quomodo et inteſtina et viſcera reſtituantur, declarare.

To. II. Sed pergimus ad comparationem plantas inter et animalia inſtitutam. Conuenientiam itaque Noſter perpendit inter ſemen plantae et ouum animale,

gemmam

gemmam inter et foetum; demonſtrat conſentien-
tem nutritionem, incrementum, foecundationem,
generationem, morbos, tandemque mortem vtrius-
que. Alios praeterea fontes ſimilitudinis ex loco, p. 53.
numero, magnitudine, forma, ſtructura, humorum
motu et aliis eius generis conditionibus deſumit.
Motum ex vno in alium locum non optime diſcer-
nere plantam et animal, variis argumentis probat, ſi-
quidem et animalia vere ſint, quae locum non mu-
tent; nec ſenſum, vtut in vegetabilibus perſpicuus p. 61.
non ſit, iisdem absque omni dubitatione denegari
poſſe, variis phaenomenis in incremento plantae
obſeruandis, eleganti ratione illuſtrat. Irritabilita-
tis veſtigia in plantis vix occurrunt, vt haec videri
poſſit diſcrimen conſtituere conditio; quum tamen
denuo quaedam ſint, quae ambiguos relinquant ob-
ſeruatores, numne ſint irritabilitatis ſigna: plantae
et animalia, quae tam promte vulgus dignoſcit, ma- p. 77.
teriae organiſatae modificatio Noſtro eſſe videntur,
cuius character diſtinguens nos latet.

Induſtria animalium, ſeu ſingularis in ſuſcipien-
dis variis operibus adhibitus labor, atque ad ea exe-
quenda aptitudo, porro Noſtrum occupat, de qua
etiam ita ſtudioſe et vere eximie agit, vt mirandas
varii generis animalium actiones, quas tamen ſe le-
uiter tantum adumbrare voluiſſe profitetur, colle-
giſſe et ex penu ſuae eruditionis declaraſſe recte di-
catur. Omnis etiam haec tractatio lectu digna et
iucunda eſt: notamus tantum, quum multa anima- p. 108.
lia in ſocietate viuant, earum duas quaſi claſſes con-
ſtituere Cl. Auctorem, eam ſcilicet, vbi multa ani-
malia ob indiuiduorum conſeruationem ſocietatem
ineunt, et eam, quae praeter hanc cauſſam in edu-
catione natorum conſiſtit, iterumque ex prioribus
aliorum ſocietas per omnem vitam, vel per aliquod
tantum tempus durat. Multum deinde faceſſit men-

tem philoſophi, ſi adeo egregia ab animalibus et
quaſi praemeditata perfici videt opera, quale eſt
ſtruendi methodus caſtoris, pene ſtupenda, vnde
hoc fiat? En Noſtri hac de re cogitata, cum mode-
p. 140. ſtia tamen decente expoſita: ſingulae ideae in cere-
bro reſpondent certae quaedam fibrae, hae ſimul
cum animali natae ſunt, ſeu innatae, forte ſic iu-
bente ordine et conditione varia animalis commo-
uentur, vt ideas certas producant, ad opera confi-
cienda neceſſarias; hinc non innatas ſpecies rerum,
ſed innatas fibras adſumit, et ſic aenigma ni ſolui,
tamen illuſtrari arbitratur. Tandem eorum anima-
lium exempla percurrit, quae ſolitarie plerumque
viuere amant. Horum quippe incredibilis induſtria
ſigillatim efficere debet, quod ab aliis vnitis quaſi
viribus praeſtatur. Ex omni fere animalium gene-
re aliqua occurrunt, a quibus diuerſa, ad conſerua-
tionem ſui vel ad propagationem pertinentia, opera
ſuſcipiuntur. Mirus autem eorum, finibus conſe-
quendis adaptatus labor, ſtudioſe exponitur, nec in-
tellectum quendam animalculis ineſſe, ad cuius nu-
p. 169. tum eum inſtituant, denuo docet: licet ex eo, quod
v. c. tinea, quae ceram rodendo ingreditur, defici-
ente cera, obiecta papyri fruſtula in habitaculum
concinne diſponat, id conſequi poſſet. Solen bi-
p. 174. ualuis (*Coutelier*), in aqua maris ſalina viuens, ſa-
lem metuit: pauco itaque ſale inſperſo ex ſuis val-
uis exire cogitur, digitis tactus redit, nunquam exi-
turus iterum, attactum timens, non tactus vero
p. 178. ſaepe expelli poteſt. Porro vrticas marinas vere ſe
mouere oſtendit, conchas deuorare, laeſas iterum
p. 189. reparari, per turiones propagari. Nec non con-
cham marinam adducit, fila nectentem, et pinnam
p. 207. marinam. Num animalibus ſit ſermo adſcribendus,
diſcutit, eum variis adductis obſeruationibus ſtabilit,
et in vniuerſum notatu digniſſimis animaduerſioni-

bus

bus ſummam creatoris intelligentiam concelebrat, quae in omni operum naturae concatenatione perpetuo detegitur pie ſuſpicienda.

Tandem de germanica nobis dicendum eſt verſione, quam varias ob cauſſas egregiam dicere poſſumus, quum non ſolum elegans ſit et ita comparata, vt textum accuratiſſime exprimat, ſed etiam hinc inde aliquas additiones acceperit, denique ad finem libri tribus aeneis tabulis aucta inueniatur, quibus quaedam Cl. Auctoris capita optime illuſtrantur. *Prima* nempe *tabula aenea* ex Cl. LEDERMÜLLERI per microſcopia factis obſeruationibus repetit gemmam hippocaſtani, ſpicam ſecalis propullulantem, et polypum faſciculatum ſiue campanulatum, quibus praeexiſtentia partium in gemma, conuenienti tempore euoluendarum, confirmatur. *Secunda* ad declarandam conuerſionem foliorum et vtriusque ſuperficiei vtilitatem ex Cl. BONNETI libro mutuatas figuras, nec non polypum brachiatum ſiſtit. In *tertia* denique, quod Cl. Auctor multa de polypis propoſuit, ad ibi adnotata phaenomena explicanda adduntur variorum polyporum exempla, ex Cl. SCHAEFFERO de polypis aquae dulcis deſumta, quae, ſi conferantur cum Cl. Auctoris disquiſitionibus, vehementer adficient animum legentium, quos ſane huic libro copioſiſſimos optamus.

XI.

Philoſophical Transactions, giving ſome Account of the preſent Undertakings, Studies and Labours of the Ingenious in many conſiderable Parts of the World. Volume LIII. for the Year 1763. London printed for L. Davis and C. Reymers. 1764. 3 Alph. 2. pl. tab. aen. 24.

i. e.

Transactiones philoſophicae, quae laborum, ab eruditis in variis orbis terrarum partibus nouiſſime ſuſceptorum, quandam exhibent notitiam. Volumen LIII.

Sequentes obſeruationes in hoc Volumine continentur:

p. 1. 1) *Dimenſio diſtantiae ſolis a terra, ſuperſtructa obſeruationibus* Cl. SHORT, *parallaxin ſolis horizontalem concernentibus, in litteris* Cl. P. DAVAL *ad* Cl. IAC. BARROW.

p. 3. 2) *Obſeruatio cometae, qui menſe maio a. 1759. apparuit, facta Hagae Comitum a* Cl. P. GABRY, *communicata a* Cl. EMANUEL MENDEZ DA COSTA.

p. 5. 3) *Obſeruatio cuiusdam meteori igniti inſtar chaſmatis, facta Hagae Comitum d. 21. dec. 1758. a* Cl. PETR. GABRY, *communicata a* Cl. EMANUEL MENDEZ DA COSTA. Tempeſtas eo tempore, quo hoc meteorum obſeruabatur, pluuioſa erat et regelata, interim tamen illud tanta nitebat luce, vt illam imitaretur, quae aeſtiuo tempore ſolis ortum prae-

praecedere ſolet. Ex omnibus vero momentis obſeruationis hic propoſitae apparet, meteorum illud ſpeciem *aurorae* ſic dictae *borealis* fuiſſe.

4) *Relatio de decremento fluuii* Eden *in Cumberlandia ſatis notabili; ex litteris* Cl. WILLIAM MILBOURNE ad CAROLUM *Epiſc. Carlisle.* Nocturno tempore inter diem 28 et 29 dec. 1762 aqua fluminis modo dicti vltra duos pedes decreuit, tanta quidem celeritate, vt multi piſces in ſiccata parte aluei relinquerentur. Licet vero nulla interim pluuia decidiſſet, tamen iterum poſtero die aquae copia in tantum aucta fuit, vt priſtinam acquireret altitudinem. Tempeſtas hac nocte frigida erat. Venti flabant euroaquilo et vulturnus, fluuii *Eden* vero directio eſt verſus orientem et ſeptentrionem. p. 7.

5) *Quantitas pluuiae, quae ſingulis annis ab a. 1749. vsque ad annum 1762. Norwichii decidit*, in pede quadratico, obſeruata a Cl. WILL. ARDERON, communicata a Cl. HENR. BAKER. p. 9.

6) *Obſeruationes de effectu electricitatis, per quatuor menſes contra tetanum applicatae, ex litteris* Cl. WILH. WATSON *). Puella ſeptem annorum coepit adfligi ſpasmodica quadam oris conſtrictione ſine omni dolore, atque ſimul deglutitione difficili laborabat. Ita vero hoc malum in dies augebatur, vt, eo ſenſim ad vicinos muſculos producto, omnes fere corporis muſculi tandem rigeſcerent, ſaepiusque conuulſiuis motibus conuellerentur, motu in ſolo ſiniſtro brachio relicto. Atque haec facies morbi erat, ad mediam vsque partem nouembris, quo tempore, omnibus aliis auxiliis, quae ars medica ſuppeditare poteſt, fruſtra adhibitis, tandem p. 10.

 vis

*) Lect. d. 10. Febr. 1763.

vis electrica tentabatur. Erat autem effectus huius remedii exoptatiſſimus, aegraque per quotidianam eius applicationem ita reſtituebatur in priſtinam ſanitatem, vt plane eſſet a triſtiſſimo hoc malo menſe iulio ſubſequentis anni liberata. Addit Cl. WATSON huic hiſtoriae nonnullas obſeruationes de tetano in vniuerſum, qui morbus raro alias per ſe exiſtit, ſed vt plurimum ſymptomaticus eſt, et a laeſione nerui oriri ſolet.

p. 27. 7) *Relatio de nupera mitiſſima tempeſtate in Cornubio, et quantitate pluuiae, quae in eadem prouincia a. 1762. decidit, ex litteris Rev.* WILLIAM BORLASE *ad* Cl. HENR. BAKER. Licet in vniuerſum in hac Angliae parte clementia coeli inſignis ſit, tamen ea hoc praecipue anno tanta fuit, vt paucis diebus exceptis aqua plane non glacie concreſceret, atque exoticae arbores fere omnes, in terra ipſa ſub dio poſitae, frigus ſine vllo damno perferrent. Copia aquae pluuialis altitudinem 29 pollicum ſuperabat.

p. 30. 8) *Delineatio tranſitus veneris per diſcum ſolarem inſtantis a. 1769. Auctore* Cl. I. FERGUSON.

p. 31. 9) *Deſcriptio appulſus lunae ad iouem, Chelſeae d. 25. dec. 1762.* $11^{h.}\ 0'\ 30''$ *temp. appar. obſeruati, a* Cl. SAM. DUNN.

p. 32. 10) *Catalogus quinquaginta plantarum horti Chelſeani Societati Regiae exhibitarum a Societ. Pharmacopoeorum per* Cl. I. WILMER.

p. 37. 11) *Obſeruationes de veſpa quadam flaueſcente* (Yellowiſh Wasp) *Penſyluanica, factae ibidem a* Cl. I. BARTRAM, *excerptae ex litteris Eiusdem ad* Cl.

P. COL-

P. COLLINSON *). Haec veſparum ſpecies in arena foueas effodit, atque in ſingulas ouum ponit, ex quo paullo poſt vermis prodit. Hunc veſpa parens vsque ad eiusdem in nympham transformationem alit muſcis, quas captas ad eum defert. Vtitur vero ſingulari plane artificio, tum in cuniculis his effodiendis, tum in arena, qua fouea tecta eſt, dimouenda. Nam quando vermem relinquunt, aditum ad folliculum ſollicite iterum arena claudunt, ne vermiculus vlla externa iniuria laedi poſſit.

12) *Relatio de peſte Aleppenſi ex litteris* Cl. THOM. DAWES *ad Rev.* CAROL. LYTTELTON **). Triſtiſſimis omnino malis, vt fame, terrae motu etc. haec vrbs per annos, qui annum 1761. praeceſſerunt, adfligebatur. Anno vero huius ſeculi ſexageſimo primo peſtis, qua iam anno quinquageſimo octauo ad quinquaginta hominum millia interierant, noua iterum incrementa cepit, atque ad mediam fere anni ſequentis partem vsque durauit. Abripuit vero vltra triginta hominum millia, cum ſingulis fere diebus ducenti vel trecenti ſepelirentur. In tanta autem mortuorum multitudine tantum quatuor vel quinque Europaei, nullique plane Angli fuerunt. Varia in hac peſte Cl. DAWES exempla puerperarum innotuerunt, quae foetus peſte correptos in lucem ediderunt, licet matres ipſae plane ab hoc morbo liberae eſſent. Nutrix infantis quinque menſium, peſte correpta, vsque ad mortem fere infanti proprio vbera praebuit, qui tamen ipſe contagio non affectus eſt. Atque eodem modo a contagio liberi manſerunt varii ex iis, qui curam aegrotorum et peſte demortuorum in ſe ſuſceperant. Vetula, centum fere annorum, morbum illum tot aliis p. 39.

*) Lect. d. 24. Febr. 1763.
**) Lect. eod. die.

iunioribus pernicioſum feliciter ſuperauit. In vniuerſum enim peſtis iunioribus magis, quam aetate prouectioribus, foeminisque magis, quam viris, funeſta eſſe ſoleat, cum vtplurimum inter vndecim peſte demortuos decem mulieres, vnus tantum vir eſſet.

p. 48. 13) *Obſeruationes de ferro, ex arena quadam ferri diuite* (Sand Iron) *extracto*, *ex litteris* Cl. HENR. HORNE *ad* Cl. IO. ELLICOT *). Notum eſt, Virginiae incolas coepiſſe ante aliquot annos ferrum parare ex arenae aliqua ſpecie, ſatis in his terris vulgari, nigra, quam magnes attrahit; atque metallum exinde paratum praeſtantiſſimum eſſe. Cl. HORNE oſtendit, ſe iam ante viginti annos ex hac arena ferrum elicuiſſe, praegreſſa vſtulatione, atque hic varias adnotationes in eorum vſum ſubiungit, qui in America officinas ferrarias exſtruere volunt.

p. 62. 14) *Ex litteris* Cl. S. P. PALLAS *ad* Cl. EMAN. MENDEZ DA COSTA *quaedam de intenſo frigore a.* 1762. *Berolini obſeruato* adducuntur.

p. 63. 15) *Relatio de denſa caligine Detroit in America obſeruata*, *ex litteris Rev.* IAC. STIRLING *ad* Cl. I. DUNCAN, *communicatis a* Cl. SAM. MEAD. Die 19. oct. 1762 matutino tempore totum coelum denſa obfuſcabatur caligine, ita, vt ſol ſanguineum oſtenderet colorem, atque illius magnitudo, ſub qua ſe vulgo noſtris oculis ſiſtere ſolet, in triplum aucta appareret. Replebatur aër flaueſcente nebula, ſulphureum odorem ſpirante, vsque ad tertiam poſt meridiem horam, vbi pluuia ſulphure diues, quae decidebat, caliginem illam diſſipabat. Putat autem Noſter, caliginem hanc ortam eſſe ab eruptione montis cuiusdam igniuomi, aut alius cuiusdam ſubterranei ignis.

16) *Re-*

*) Lect. d. 3. Mart. 1763.

16) *Relatio de inſecto quodam marino ſingulari*, ex litteris Cl. A. P. DU PONT *ad* Cl. EM. MENDEZ DA COSTA *). Inſectum hoc, cuius corpus ſatis velociter muſculorum ope mouetur, in oceano captum eſt. Longitudo vniuerſi animalis pollicem ſuperat, ex capite quatuor parua cornua prominent, in quibus forte oculi eius continentur, quae vero tantum eo tempore ab animali extra corpus producuntur, quando illud in aqua natat. In parte corporis anteriore os poſitum eſt, ad latus vero duo reſpiracula. Dorſi longitudinem linea alba argentea quaſi percurrit, qua microſcopii ope examinata apparet, eam perpetuo in vndulatorio motu verſari. Ad latera poſitae ſunt aliae ſtriae duae coeruleſcentes, pariter per totam animalis longitudinem productae, atque in cauda inter ſe confluentes. Tentacula animal hoc habet plurima, quae coeruleum colorem oſtendunt, cum reliquus dorſi color ex coeruleo argenteus ſit, abdominis albus. p. 57.

17) *Litterae* Cl. WARGENTIN *ad* Cl. I. ELLICOT *de vltimo veneris per diſcum ſolarem tranſitu.* p. 59.

18) *Adnotationes in cenſuram mappae* MERCATORIS, *quae exſtat in opere poſthumo* Cl. WEST, *ex litteris* Cl. SAM. DUNN *ad* Cl. TH. BIRCH. p. 66.

19) *Defenſio mappae* MERCATORIS *contra eandem eiusdem* Cl. WEST *cenſuram*, *ex litteris* Cl. WILH. MOUNTAINE *ad* Cl. CAR. MORTON. p. 69.

20) *Relatio de ſpecie quadam Ophridis*, Auctore GEO. DION. EHRET **). Putat Cl. EHRET, plantam hanc eandem eſſe ſpeciem, quam Cl. GRONO- p. 81.

*) Lect. d. 10. Mart. 1763.
**) Lect. d. 14. Apr. 1762.

VIUS *) ſub nomine *Ophridis ſcapo nudo foliis radicalibus ouato oblongis, dimidii ſcapi longitudine* deſcripſit. Plantam vero hic deſcriptam Cl. BERTRAM ex Philadelphia ad Cl. COLLINSON tranſmiſit. Radix eius fibroſa eſt et carnoſa, folia habet duo, ſcapum triquetrum, cui multi flores breuium pedunculorum ope adhaerent, qui ſanguineum colorem habent, tandemque in capſulas ſeminales baſi denticulatas intumeſcunt. Oſtendit vero Cl. EHRET, plantam hanc, cuius flores ſingularem plane ſtructuram habent, ad gynandria diandria LINNAEI pertinere.

p. 84. 21) *Noua circa electricitatem experimenta, ex litteris* Cl. EBENEZ. KINNERSLEY *ad* Cl. BENI. FRANKLIN **). Experimentorum duodecim, in hoc articulo luculenter deſcriptorum, ſex priora ad diſquirendam intimiorem electricitatis poſitiuae ac negatiuae naturam potiſſimum inſtituta ſunt. Poſteriora vero omnium ſunt curioſiſſima. Inſtituta enim ſunt nouo, ab Auctore inuento, electrico aëreothermometro, cuius ſtructuram in adiecta tabula aenea quinta accurate exprimendam curauit, ſingulasque eius partes, vna cum ratione eas combinandi earumque vſu deſcripſit. Ex inſtitutis vero cum ipſo inſtrumento experimentis ſequentes propoſitiones extra omne dubium poſitas eſſe docet. 1) Electricum ignem in ſtatu quietis non continere plus caloris, quam aerem aut aliam materiam, in qua reſidet, aut cui inhaeret. 2) Ignem ipſum electricum in ſe concipere calorem et acquirere, ac eundem in aliis corporibus producere violento motu et reſiſtentia, quam alia corpora ipſi opponant. 3) Hinc concludit, falſo ſe aliosque ſuppoſuiſſe, fulgur metallum

*) Flor. Virg. p. 185.

**) Lect. d. 18. Nov. 1762.

tallum liquefacere per fuſionem frigidam. Illuſtrat tandem ex his propoſitionibus varia in fulgure obuia phaenomena, atque methodum praecauendi damna, quae a fulgure et tonitru domibus inferri ſolent, magnae eſſe vtilitatis, docet occaſione horrendi fulminis, quod Philadelphiae WILH. WESTII domum feriit.

22) *Obſeruationes circa electricitatem et fulminis ictum, in litteris* Cl. TORBERN BERGMAN *ad* Cl. BENJ. WILSON *). Cum Cl. BERGMAN communicata cum eo a Cl. WILSON **) DELAVALII experimenta de electricitate cryſtalli Islandicae iteraret, conſtanter euentum ei plane contrarium in ea notauit, quem DELAVALIUS obſeruauerat. Tentamina ſuſcepta ſunt cum fruſtis cryſtalli, obiecta per refractionem duplicantibus, in Suecia collectis, ſuſpicio inde ei ſuborta, hanc inter et Islandicam eſſe eſſentialem differentiam. Quare comparandam curauit cryſtallum in Islandia natam, ſed inſtitutis cum ea experimentis eadem obſeruauit phaenomena. DELAVALIUS vero iam ipſe Vol. LII. P. I. p. 355 occaſione huius epiſtolae Bergmanianae notauit, proprietates a ſe obſeruatas non eſſe omnibus cryſtalli Islandicae ſpeciebus communes. Ex quibus tentaminibus cum Cl. DELAVAL collatis conſequitur, diuerſas dari ſpecies cryſtalli, quae eo diligentius examinandae, cum huc vsque mineralogi non niſi vnicam diſtinguant. p. 97.

23) *Adnotationes de hirundinibus ad Rhenum, ex litteris* Cl. ACHARD ad Cl. PETR. COLLINSON ***). p. 101.

Cl.

*) Lect. d. 14. Apr. 1763.

**) conf. Comment. Vol. XII. P. III. pag. 520. et P. IV. pag. 717.

***) Lect. d. 21. Apr. 1763.

Cl. Auctor, menſe martio Rhenum deſcendens, paullulum infra Baſileam vidit pueros in eo occupatos, vt ope baculi, cui cochlea adfixa erat, qua globuli ex ſclopetis extrahi ſolent, hirundines ex foraminibus in ripa arenoſa fluminis occurrentibus extraherent. Permouebat ſpectaculi nouitas Auctorem, vt in hanc rem diligentius inquireret, adeo quidem felici cum euentu, vt intelligeret, hirundines in hiſce cuniculis per totam hiemem dormire, mox vero, redeunte aeſtiuo calore, expergiſci et auolare. Neque ſolis calor tantum talem effectum habet, ſed et alius quicunque, hirundinibus hiſce applicatus, idem praeſtat, vt itaque extra omnem dubitationem poſitum ſit, plurimas hirundinum in ſimilibus dormitoriis per totam hiemem commorari, reliquas vero in calidiores migrare regiones.

p. 103. 24) *Proprietates potentiarum mechanicarum demonſtratae, vna cum quibusdam obſeruationibus in methodum eas vulgo demonſtrandi, in litteris* Cl. HUGH HAMILTON ad Cl. MATH. RAPER.

p. 127. 25) *Relatio de nonnullis ſubterraneis conclauibus, in quibus inſcriptiones et picturae Etruſcae occurrunt, detectis in loco quodam, Ciuita Turchino dicto, in Italia.* Auctore Cl. IOS. WILCOX, communicata a Cl. CAR. MORTON.

p. 130. 26) *Relatio de planta Peruuiana noua, nuper in Angliam delata, cuius characteres ab omnibus generibus hactenus deſcriptis differunt.* Auctore GEO. DION. EHRET *). Planta haec, cui Cl. MILLER Walkeriae nomen, in honorem RICH. WALKER, fundatoris horti academici Cantabrigienſis, dedit, colebatur iam anno 1755 in horto Regio Pariſino ſub nomine

*) Lecta d. 12. Mai. 1763.

nomine *Belladonnae Peruuianae minoris.* Differt ea ab *Alkekengi Indico glabro chenopodii folio* DILL. Hort. Elth. cum quo de reliquo ſatis conuenit, ſola ſtaminum inſertione. Calyx huius plantae monophyllus eſt, quinquefidus perſiſtens, atque abit in fructum pentagonalem et conicum. Flores pedunculis longis inſiſtunt, et ex alis foliorum proueniunt. Corolla tubuloſa eſt, monopetala, laciniis quinque obtuſis, color eius coeruleus eſt, inferius purpuraſcens. Filamenta habet quinque, in faucem corollae inſerta, aequalia, piloſa, antherae a ſe inuicem diſtant. Stilus longitudinem ſtaminum habet, atque ex medio germinum procedit, ſtigma eius globoſum eſt. Capſula pentagonalis et conica ſemina quinque diſtincta punctata et aſpera continet, quae iterum in tria loculamenta diuiduntur, vnicum ſemen continentia. Folia huius ſpeciei ſeſſilia ſunt, ouata et ad baſin ciliata.

27) *Obſeruatio ſuper duabus inſcriptionibus Romanis Netherby in Cumberlandia detectis, ex litteris Rev.* I. TAYLOR ad CAROL. *Epiſc. Carliſl.* p. 133.

28) *Methodus diminuendi quantitatem frictionis in machinis.* Auctore Cl. KEANE FITZGERALD. p. 139.

29) *Differentia longitudinis inter obſeruatorium Grenouicenſe ac Pariſinum, determinata ex obſeruationibus tranſituum mercurii per diſcum ſolarem, annorum* 1723, 1736, 1743 et 1753. a Cl. IAC. SHORT. p. 158.

30) *Relatio de piſce ſingulari, King-road prope Briſtol capto, ex litteris* Cl. IAC. FERGUSON ad TH. BIRCH *). Longitudinem quatuor pedum et quinque pollicum habebat. Os eius erat quadratum et ampliſ- p. 170.

*) Lect. d. 2. Iun. 1763.

ampliſſimum, dentes acutiſſimi, in tres ſeries ordinati. Lingua plane deerat. Ex ceruice duo cornua dura elaſtica ſatis longa procedebant. Pinnae duae ad capitis latera poſitae erant, poneque eas duo foramina ad oris cauum interius penetrabant. In cauda iterum duae aliae pinnae conſpiciebantur, quarum vna in dorſo, altera in abdomine ſita erat. Atque inter duas pinnas anteriores procedebant quaſi duo pedes breuiſſimi et plani, anterius in quinque digitos vnguibus tectos abeuntes. Color cutis, quae nullis ſquamis tegebatur, obſcurus erat, hinc inde tamen nigras oſtendebat maculas.

p. 173. 31) *Leges ac exempla determinandi caſus, in quibus radii lucis refractae in penicillum ſeu radium compoſitum, coloris expertem, vniri poſſunt, in litteris* Cl. P. MURDOCH ad Cl. ROB. SYMMER.

p. 195. 32) *Relatio de viribus corticis ſalicis contra febres intermittentes, ex litteris Rev.* EDMUND STONE ad Ill. MACCLESFIELD *). Species ſalicis, cuius corticem Cl. STONE adhibet, eſt *Salix vulgaris alba.* Sumit vero eum ex ramis minoribus trium vel quatuor annorum, qui craſſitiem 1 ad 4 pollices habent, ſiccatumque in puluerem redigi iubet. Huius pulueris ſcrupulum vnum vel duos quarta quaque hora inter paroxyſmos dat, aſſeritque, ſe hoc remedio plus, quam quinquaginta aegros, ſine vllo malo effectu inde ſubſequente perfecte ſanaſſe. In pertinaciſſimis morbis, inprimis in quartanis, addit pulueri corticis ſalicis, quem *corticem Anglicanum* dicere mauult, quintam partem corticis peruuiani, qui vires eiusdem corticis ita auget, vt aegri mox perfecte ſanentur. Nullo alio medicamento aegros ante corticem praeparat.

33) *Re-*

*) Lect. d. 2. Iun. 1763.

33) *Relatio de terrae motu in Sibiria, ex litteris* Cl. WEYMARN ad Cl. MOUNSEY. Communicata a Cl. HENR. BAKER. Accidit ille d. 28. nov. ſt. v. a. 1761. atque in vno eodemque temporis momento in ſpatio mille milliarium Ruſſicorum ſentiebatur. p. 201.

34) *Romanae inſcriptiones, quae Tuneti in Africa exſtant, deſcriptae circa annum* 1730 *a Doct.* CARILOS, *Medico Principis Tunetani, communicatae a* Cl. I. LOCKE. p. 211.

35) *Litterae* Cl. GEO. EDWARDI *ad* Cl. TH. BIRCH, *in quibus obſeruatio quaedam optica continetur.* Caſu ſe obſeruaſſe notat Cl. Auctor, vmbras rerum paullô infra ſuperficiem demerſarum ac natantium ab aere aquae incumbente fortius reflecti, quam obiecta in ſuperficie aquae ipſa conſtituta. Ex quo conſequitur, vt piſces ſub ſuperficie aquae ſtagnantis ac quietae natantes videant ſimulacra ſua in aere pendentia, cum homines ſuá contra in aqua percipiant. Haec hominum ſimulacra, quae in aqua apparent, Cl. Auctor cum ſpectris piſcium in aere adumbratis, ex legibus opticis diiudicat, et opinatur, neminem ante ſe hanc obſeruationem feciſſe. p. 229.

36) *Caſus duo chirurgici ſingulares, obſeruati a* Cl. FR. GEACH *), *communicati a* Cl. I. HUXHAM. Vir, quadraginta duorum annorum, ex vehementi ictu hypochondrio dextro illato in icterum incidit. Aluus ab initio laxa erat, deinde conſtipata, cutis admodum ſicca et flaua euadebat, atque frequenter ſanguis e naribus proſtillabat. Variis remediis ſine vllo effectu adhibitis, aeger tandem periit. Sectio cadaueris oſtendit, hepar magnitudine eſſe auctum, exte- p. 231.

*) Lect. d. 23. Iun. 1763.

exteriusque maiorem duritiem, quam in naturali ſtatu oſtendere, attamen non ſcirrhoſum erat, interius autem ſpongioſam fabricam habebat. Ductus biliarii omnes ligamenta quaſi referebant. Veſicula fellea cylindricam habebat formam, fibrae eius rigidae et albeſcentes erant, ſimilemque fabricam pylorus oſtendebat. Veſiculae felleae cauitatem exacte replebant ſex concretionesblioſae, aquam grauitate ſua ſpecifica ſuperantes, quarum ſingulae pondus drachmae ſemis habebant, inerat tamen veſiculae quoque parua copia griſei cuiusdam liquoris ſaponacei. Concretiones deſcriptae inflammabiles erant, atque admixto iis acido nulla efferueſcentiae cuiusdam ſigna dabant.

p. 234. Alter caſus viri eſt, cuius oculus ſiniſter ad angulum externum ita acuto enſe vulnerabatur, vt vulnus per omnes oculi tunicas ad interiorem orbitae angulum vsque penetraret. A laeſione ſtatim omni ſenſu et motu priuabatur, hemiplegia in dextro latere affectus. Sequente die dexter oculus apertus erat, pupilla quam maxime dilatata, aegerque huius oculi ope nulla plane obiecta diſcernere poterat. Siniſter oculus, licet omnes ex eo humores effluxiſſent, oui tamen magnitudinem habebat, atque ex orbita prominebat. Aderat nulla plane febris, partes hemiplegia affectae viſcoſo ſudore madebant, ipſeque aeger lethargicus fere iacebat. Haec morbi facies per quinque menſes erat, quo tempore aluus magis conſtipata reddebatur, maxillae inferioris motus cum aliqua difficultate tantum ſuccedebat. Periculoſa vero haec ſymptomata ſubito ceſſarunt, miliaribus puſtulis in ſanioribus corporis partibus erumpentibus, a quo tempore omnia in meliorem ſtatum mutabantur. Viſus quoque in ſano oculo rediit, aegerque valeriana aliisque neruinis adhibitis ſenſim ſenſimque mouendi faculta-

tem

tem in reliquis membris recuperauit. Loquitur tamen adhuc cum quadam difficultate. Ipſius vero oculi laeſi magnitudo fotu adſtringente applicato ſenſim imminuta eſt.

37) *Relatio de nouo colore ex baccis herbae cuiusdam in Carolina Auſtrali reperiundae, ex litteris* Cl. MOSIS LINDO ad Cl. EM. MENDEZ DA COSTA *). Plantae ipſius deſcriptio nulla hic datur. Vocatur ab incolis *Pouck*, et venenata eſſe dicitur. Lanei panni cum alumine cocti, atque ſucco huius plantae immiſſi, coccineo, atque ſi aqua calcis deinde additur, flaueſcente colore imbuuntur. p. 238.

38) *Recenſio eclipſeos ſolaris d.* 1. *aprilis* 1764. *obſeruatae, in litteris* ad Ill. MACCLESFIELD a Cl. IAC. FERGUSON datis. p. 240.

39) *Relatio de terrae motu, Chattigaon in India orientali obſeruato. Ex lingua Perſica translata a* Cl. EDW. GULSTON, *communicata a* Rev. HIRST. Accidit ille d. 2. aprilis 1762. atque ſoli faciem hinc inde quam maxime mutauit, cum aliis in locis colles ſubſiderent, in aliis hiatus in terra aperirentur et aquae fontes propullularent. p. 251.

40) *Deſcriptio terrae motus in India orientali, et duarum eclipſium ſolis atque lunae Calecutae obſeruatarum, in litteris* Rev. W. HIRST ad Rev. TH. BIRCH. p. 256.

41) *Epitome litterarum* Cl. EDW. GULSTON *ad* Cl. I. CARNAC. Relationem de eodem terrae motu, quo hae prouinciae afflictae fuerunt, continet. p. 263.

42. *Re-*

*) Lect. d. 10. Nov. 1763.

p. 265. 42) *Relatio de terrae commotionibus, in prouincia Iſlamabad ad 2. ad 19. aprilis vsque 1762. obſeruatis, ex lingua Perſica translata et communicata a* Cl. VAN SITTART et Cl. VERELST.

p. 269. 43) *Litterae* Cl. THOM. BAYES *ad* Cl. I. CANTON, quae obſeruationem quandam de logarithmis continent.

p. 271. 44) *Relatio de inſecto quodam, quod vulgo muſca vegetabilis* (the vegetable Fly) *dicitur. Communicata a* Cl. WILH. WATSON. Vera ratio productionis huius naturalis, de qua multa fabuloſa tradita ſunt, vti patet ex Cl. HILL relatione, qui vlterius in hanc rem inquiſiuit, ſequens eſt. Reperitur in inſulis Americanis fungus quidam, qui *Clauariae* ſpecies eſt, atque a Cl. HILL *ſobolifera* dicitur. Creſcit vero ille vt plurimum in animalium cadaueribus. Cicadarum enim nymphae, *tettigometrae* dictae, ſe in terram infodiunt, atque ibi ſubinde pereunt. Illarum cadaueribus haec clauariae ſpecies nonnunquam innaſcitur, hincque oritur productio ſingularis inſecti, quod arbuſculum in corpore ſuo gerit *).

p. 274. 45) *Tentamen explicationis Punicae cuiusdam inſcriptionis, in inſula Melitenſi repertae, ex litteris* Rev. I. SWINTON *ad* Rev. TH. BIRCH.

p. 294. 46) *Problemata* Cl. EDW. WARING, Profeſſ. Mathem. in Acad. Cantabrigienſi.

p. 300. 47) *Disquiſitio altera de parallaxi ſolis, determinata ex obſeruationibus nuperi tranſitus veneris per ſolem, in qua ea vberius demonſtratur, et quantitas parallaxeos*

*) Conf. quoque Cl. EDWARDS *Gleanings* Vol. III. p. 262. tab. 335. vid. Comment. Vol. XIII. P. I. p. 123.

rallaxeos ſolis horizontalis certior redditur. Auctore Cl. IAC. SHORT.

48). *Relatio caſus, in quo cicutae recens herba adhibita eſt, ex litteris* Cl. IOS. COLEBROOK *ad* Ill. WILLOUGHBY *). Auctoris auxilium menſe ſeptembr. a. 1762 efflagitabat mulier quinquaginta quinque annorum, quae ſcirrhos in vtraque mamma habebat, qui ouum magnitudine ſuperabant. Aderant ſimul dolores lancinantes et appetitus plane proſtratus. Commendauit huic aegrae herbae cicutae recentis vſum, cuius quindecim grana vna cum pane et butyro quotidie ſumſit. Pro potu vſa eſt aqua calcis et lacte, ac ſimul millepedes adhibuit, haud neglecto purgantium et laxantium vſu, atque applicatione fonticuli in brachio ſiniſtro. Ipſa autem aegra, cum ab eo tempore, quo cicuta vti coeperat, leuamen dolorum ſentiret, doſin huius plantae auxit, eo quidem cum effectu, vt ei menſtrua, quibus per multos annos caruerat, profluerent, ſcirrhorumque magnitudo et dolores lancinantes inſigniter minuerentur. Circa finem menſis nouembris dolores redibant et totius morbi ſtatus quodammodo in peius mutabatur, ſed mox cicutae vſu per aliquot dies intermiſſo, cortice Peruuiano exhibito, doſique cicutae in vniuerſum quodammodo imminuta, ſanationis ſpes iterum augebatur. Circa finem a. 1763 ſcirrhi valde imminuti erant, ac mulier de reliquo optima gaudebat valetudine. Eo vero conſilio hanc morbi hiſtoriam cum Societate communicauit Cl. COLEBROOK, vt alios quoque medicos ad ſimilia tentamina cum ipſa herba cicutae inſtituenda excitaret, a qua plus, quam ab ipſo extracto Stoerckiano exſpectat. p. 346.

 49) *Re-*

*) Lect. d. 15. Dec. 1763.

p. 351. 49) *Relatio de meteoro ſingulari, in litteris* Cl. SAM. DUNN *ad* Rev. TH. BIRCH. Speciem parelii deſcribit, qui per plures dies autumnali tempore 1762. apparuit.

p. 353. 50) *Relatio de corde per ictum laeſo.* Auctore Cl. M. AKENSIDE *). Puer, 14 circiter annorum, non nimis vehementi ictu percellebatur, cuius tamen effectus is fuit, vt patina, quam puer ſub brachio portabat, inter duas coſtas paullulum imprimeretur. Afficiebatur ſtatim vehementiſſimis doloribus, cordisque palpitatione tanta, vt ſubinde mortis periculum incurreret. Pulſus celer, debilis et inaequalis, non tamen proprie intermittens erat. Accedebat tuſſis et frequens haemoptoë, tandem, his malis per 6 menſes toleratis, aeger ſubito periit. Sectio cadaueris docuit, nullum adeſſe aneuryſma, cuius tamen ſuſpicionem medici habuerant, ſed in apice ventriculi ſiniſtri cordis liuida erat macula, contuſa, ſphaceloſa, quae corruptio fere ad cauum vsque ventriculi penetrabat. Reliqua quoque ventriculi huius pars haud obſcura corruptionis et inflammationis ſigna dabat. Cor vero pericardio, illudque iterum pulmonibus adhaerebat.

p. 356. 51) *Ratio conficiendi nitrum in Podolia,* Auctore Cl. WOLF, *communicata a* Cl. HENR. BAKER **). Magna nitri, quod in Europa adhibetur, pars ex Podolia et Vcrainia aduehitur, atque in hiſce regionibus elixiuatione ex humo et cineribus obtinetur. Incultae ſcilicet hae et deſertae regiones ad paucorum pollicum profunditatem teguntur humo leui, facile in aqua ſolubili, ſubrubra vel nigra, cui calcarea aut cretacea terra, conchyliis plena, ſubiacet. Eligunt

*) Lect. d. 22. Dec. 1763.

**) Lect. eod. die,

Eligunt vero terram potiſſimum bene nigram, tactu laeuem, non ſabulo commixtam, ſed friabilem, pinguem et effloreſcentia nitroſa tectam: hinc eam potiſſimum ex iis locis ſumunt, vbi ſuſpicio quaedam eſt, oppidum quondam fuiſſe, vel pagum, vel ſtabulum vel coemeterium. In vicinia loci, vbi copia terrae huius adeſt, furnum operarii ex terra effodiunt, et in eo ahenum aeneum magnum collocant. Ad hanc officinam terram effoſſam vehunt, eique, ſi maxime nitro diues eſt, aliam minus diuitem ſiue pure vegetabilem admiſcent, addunt porro quintam circiter cinerum partem, omniaque bene ſubigunt et miſcent. Si vrina vel matrix nitri ſuperabundans adeſt, hanc quoque addunt. Terram ita praeparatam doliis tandem immittunt, et aqua addita lixiuium parant, quod addita matrice nitri in aheno per 24 fere horas coquunt, tandemque in alueos planos transfundunt, vbi cryſtalliſatio obtinetur. Ex 400 circiter pedibus cubicis terrae nitroſae obtinent circiter 40 libras nitri puri, terramque, ex qua nitrum extractum eſt, iterum per annos ſeptem relinquunt, quo tempore nouum exinde parare ſolent nitrum. Addit Cl. WOLF quasdam p. 363. cogitationes circa originem nitri, inprimis acidi eius. Acidum hoc non ex aere oritur, nec ab acido vitriolico vniuerſali generatur, ſed ex regno vegetabili et animali originem ducit, atque in origine ſua cum alcali volatili coniunctum eſt.

52) *Tentamen ſoluendi problema ad doctrinam pro-* p. 370. *babilium pertinens.* Auctore Cl. BAYES, communicatum a Cl. PRICE, *in litteris ad* Cl. I. CANTON.

53) *Relatio de pennatula phoſphorea* LINN. *cum* p. 419. *deſcriptione nouae pennatulae ad littora Carolinae auſtralis repertae, et obſeruationibus de pennatulis in vniuerſum.*

uerſum, *in epiſtola* Cl. I. ELLIS ad Ill. COOTE MOLESWORTH *). Deſcribitur primo a Cl. ELLIS illa *pennae marinae* ſpecies, quam LINNAEUS ob lumen, quod nocturno tempore diffundit, *phosphoream* dixit. Quatuor ad octo vsque pollices longa eſt, figuraque eius cum calami ſcriptorii figura ſatis conuenit. Pars inferior, quae nuda eſt, album oſtendit colorem, ſuperior, ex qua laterales rami prodeunt, ruſeſcentem contra obtinet. In medio canalis eſt, ad apicem vsque productus, cuius tamen finem vtrumque clauſum eſſe, eumque nullam in inferiore parte aperturam habere, Cl. ELLIS contra LINNAEUM probat, qui ſcilicet credit, habere pennam in baſi ſua os commune. A latere huius canalis rami prodeunt, quorum ope animal in aqua non ſolum mouetur, ſed et nutritur, cum vbique in his ramis orificia diſpoſita ſint, in quibus corpuſcula ſugentia (*Suckers*) filamentis circumdata collocata ſunt, vt itaque huius animalis fabrica cum fabrica *hydrae archiae* ſeu *polypi Groenlandici magni*, ab Auctore ante aliquot annos deſcripti **), maxime conueniat.

His praemiſſis, Cl. ELLIS ex Cl. BOHADSCH eleganti opere ***) adducit ea, quae ille de pennis marinis propoſuit. Secedit tamen ab eius ſententia in eo, quod *manum* ſic dictam *marinam*, ſiue *alcyonium digitatum*, ex pennarum marinarum numero, ad quas BOHADSCHIUS illud iterum retulerat, remoueat, oſtendatque, illud ob internam ſtructuram et ex eo, quod non libere in mari natet, ſed baſi ſua ſolido alicui corpori adhaereat, ad madreporas magis pertinere. Addit in fine deſcriptionem nouae cuiusdam et elegantiſſimae ſpeciei pennatulae, quam *renifor-*

*) Lect. d. 22. Dec. 1763.
**) vid. *Eſſay on the Coralines* p. 96. et Comment. hor. Vol. V. p. 526.
***) vid. Commentar. noſtr. Vol. XI. p. 501.

reniformem ob figuram dicit. Corpus eius pollicis longitudinem habet, atque cauda eiusdem longitudinis ex media eius parte procedit. Illa exterius multis annulis diſtincta eſt, interius vero canalem continet, qui, vti ſupra de pennatula phoſphorea iam diximus, etiam in extremo coecus eſt. Superior corporis pars conuexa eſt, omnisque eius ſuperficies multis orificiis obtegitur, ſtellaeformibus, per quae etiam ſugentia corpuſcula (*the ſuckers*), ſex tentaculis aut filamentis inſtructa, procedunt. Inferior vero pars plana eſt, fibrasque carnoſas plures oſtendit, quae in loco inſertionis caudae in corpus ortae ſuper totam eius ſuperficiem disperguntur. Ad hanc pennatularum hiſtoriam tres tabulae aeneae pertinent. In earum prima, quae tabula XIX totius huius voluminis eſt, *pennatula phoſphorea* L. et haec, quam vltimo loco deſcripſimus, *pennatula reniformis* ELLISII depingitur. Secunda continet figuras pennarum, a BOHADSCHIO deſcriptarum, *rubrae* ſcilicet, *griſeae*, *caudae pauonis* et *alcyonii digitati*, ſeu *manus marinae*. Addidit ELLISIUS figuram, in qua manus marina, horizontaliter et perpendiculariter diſſecta, eo conſilio delineatur, vt appareat, eam ad madreporas magis, quam ad pennas referendam eſſe. In adiecta nota ſuſpicatur, ſpongias non, vti Cl. PEYSSONEL propoſuit, polyporum eſſe productum, ſed totam ſpongiam vnum eſſe animal, foraminaque in ſuperficie poſita tot ora vnius eiusdemque animalis eſſe. In *ſpongia*, *medullam panis referente*, mamillas et orificia vidit aperiri et claudi, ſine vlla corporum ſugentium productione. Adiectae ſunt quoque in hac tabula figurae *pennatulae filoſae*, *ſagittae* et *mirabilis* ex BOCCONE et LINNAEO ſumtae. In tertia tabula iterum *pennatula rubra* et *griſea* et accuratius quidem, quam a Cl. BOHADSCH factum eſt, delineantur. Addita eſt figura nouae

cuiusdam ſpeciei, quam ob analogiam formae, *digitiformem* ſiue *cynomorion* dicit. Haec in ſuperiore ſua parte circularia orificia oſtendit, ſugentibus corporibus inſtructa, interius vero nuda eſt.

p. 436. 54) *Litterae* Cl. WILSON *ad* Cl. AEPINUM *).

Cl. WILSON *in litteris ad* Cl. HEBERDEN ſingulare deſcripſerat, experimentum, ex quo euidenter conſequi putauerat, vitream electricitatem eſſe poſitiuam, reſinoſam vero negatiuam. Cl. AEPINUS partim in examine theoriae electricitatis et magnetiſmi, partim in ſuo ſermone de electricitate negat, cognita eſſe experimenta, ex quibus liquido conſtet, quaenam duarum ſpecierum electricitatis eſſet negatiua, quaenam poſitiua, ac variis argumentis docet, nec ex Ill. CAROLI CAVENDISH experimentis, nec ex Cl. WILSONII tentaminibus hoc extra dubium poſitum eſſe. Haec itaque AEPINI argumenta primo Noſter diluit, deinde in iisdem ſcriptis Cl. AEPINUS de impenetrabilitate vitri, a Cl. FRANKLIN ſtabilita, ita ſtatuit, vt eam quidam agnoſcat, ſed in pluribus in diuerſam abeundo ſententiam experimentis doceat, electricitatem quidem per vitrum aliaque corpora per ſe electrica, ſed multo difficilius ac tardius tranſire, quam per corpora per ſe non electrica. Proinde opinatur, hanc, quam in corporibus per ſe electricis obſeruauit proprietatem, eſſe eam, cui a FRANKLINO impenetrabilitatis vitri nomen eſt inditum. Hanc ſententiam Cl. WILSON examinando docet, Cl. AEPINUM negare re ipſa impenetrabilitatem vitri, a Cl. FRANKLIN aſſertam. Tandem Cl. AEPINUS in illis ſupra citatis ſcriptis aſſeruerat, experimentorum cum lapide turmalino, a Cl. WILSON traditorum, primum et ſecundum cum ſuis conſentire tentaminibus, reliquorum vero nullum

*) Lect. d. 23. Dec. 1763.

lum cum ſuis experimentis, multoque minus cum ſua electricitatis theoria conuenire. Cl. WILSON argumenta illa diluit, nouaque experimenta Cl. AEPINI tentaminibus opponit.

55) *Diſſertatio de parallaxi ſolis*, Auctore Cl. TH. HORNSBY. p. 467.

56) *Disquiſitio de loco geometrico trium vel quatuor linearum inter geometras veteres maxime celebri.* Auctore Cl. H. PEMBERTON, *in litteris ad* Cl. TH. BIRCH. p. 496.

XII.

La verità del Diluvio univerſale vindicata dai dubbii, e dimoſtrata nelle ſue teſtimonianze. Eſame critico dell' Avvocato GIUSEPPE-ANTONIO COSTANTINI, Autore delle Lettere critiche. Seconda Edizione, in cui ſi è aggiunto un Trattato Apologetico-Critico dello ſteſſo Autore a difeſa della ſua Diſſertazione intorno alla forza impellente de' Turbini, o Vortici aerei, detti volgarmente Scioni, o Biſciabove, ſopra quanto hà ſcritto in contrario il M. R. P. RUGGERO-GIUSEPPE BOSCOVICH della Compagnia di Geſù. Con Figure in rame. In Venezia, 1761, preſſo Giambatiſta Novelli. 4. 514. pag. et 130 pag. append. cum tab. aen. 3.

h. e.

Veritas diluuii vniuerſalis vindicata, et ex indiciis eius demonſtrata, a IOSEPHO ANTONIO CONSTANTINO. Editio ſecunda, cui

acceſſit Defenſio diſſertationis de vi propellente vorticis aerei ſeu typhonis aduerſus R. P. BOSCOVICHII obiectiones.

Occaſionem huic ſcriptioni dedit lectio diſſertationis epiſtolicae, quam olim ANTON. VALLISNERUS *de corporibus marinis in montibus* edidit. Quum enim Cl. CONSTANTINVS videret, Auctorem illius diſſertationis veritatem diluuii vniuerſalis multis dubitationibus impugnare, ipſe de huius facti veritate perſuaſus eam et contra VALLISNERI et contra aliorum dubitationes tutari inſtituit. Sic nata eſt huius libri *Pars prior*, quam in VI ſectiones partitus eſt.

In I ſectione Auctor principio monet, multas dubitationes inde ortas eſſe, quod diluuio Noachico affiicti fuerint effectus, quorum cauſſae alibi quaerendae erant. Sic montes a diluuio illo fuiſſe productos, et telluris ſtructuram, praeterquam in ſuperficie, mutatam fuiſſe, negat. Deinde ſtatum cauſſae ſic format, vt corpora marina, in locis planis non longe a mari diſtantibus reperiunda, ab illis diſtingui iubeat, quae prope vertices montium procul a mari reperiuntur. Concedit, illa quidem cur ibi conſpiciuntur rationem reddi poſſe, ſine diluuio vniuerſali, ex receſſionibus vicini maris, quum limus et lutum a turbidis fluuiis, in mare influentibus, depoſitum littora exaltauit paullatim, et fines continentis prorogauit. Sed, quomodo haec ad vertices montium in variis terrae regionibus peruenerint, intelligi poſſe negat, diluuio vniuerſali negato. Eorum enim ſententiam, qui ſtatuunt, maximam terrae continentis partem olim mari tectam fuiſſe per longum temporis ſpatium, et progreſſu temporis paullatim retectam, mari ſeſe in arctiores limites continue recipienti, firmo negat fundamento niti.

Con-

Contra ea in diluuio vniuerſali fieri potuiſſe docet, vt et conchylia atque inanimata corpora marina, ſuis ſedibus vehementi maris agitatione excuſſa, ad montium cacumina fluctibus eleuarentur, et piſces eo vsque vel viui ſponte eſcenderent, vel alliſu ad ſcopulos occiſi eueherentur, aut ſaltim tam illorum quam horum oua et ſemina initio diluuii eo deferrentur, quae, quum aquae per plures menſes altiores etiam montes contexerint, ibi creſcere potuerint. Deinde, quoniam vix dubium eſt, quin aquae diluuii illius continuum fluxum et refluxum habuerint, intelligi poſſe monet, cur corpora marina in diuerſis ſtratis montium reperiantur, ob depoſitam nempe in vnaquaque inter fluxum et refluxum mora limi copiam.

In II ſectione Auctor ad VALLISNERI dubitationes, et aliquot, quas ſibi ipſe mouet, ſigillatim ſtrictimque reſpondet, plura in ſequentibus ſectionibus additurus. Hinc in III ſectione pergit ad exponenda quaedam indicia diluuii Noachici, adhuc obuia, licet non obſeruata, vel ſaltim, vt putat, non deſcripta. Loquitur de montibus per medium ruptis, et praecipue deſcribit vallem *Brentanum*, a fluuio, qui per illum fluit, ſic dictum, et per 60 circiter milliaria Italica inde ab oppido *Baſſano* vsque in viciniam *Tridenti* inter partes disrupti montis, ad inſtar murorum ſibi inuicem oppoſitas, extenſum; porro etiam vallis *Bellunenſis*, et quorundam aliorum huiusmodi vallium, in ditione Veneta ſitorum, mentionem facit. Hosce valles a fluuiis, per eos labentibus, excauari potuiſſe, neminem, qui eos attente contuitus fuerit, perſuadere ſibi poſſe monet. Obſeruauit quoque ante fauces eorum poſitos colles, ab ea parte, quae montes ſpectat, praeruptos, ab altera parte leniter decliues, ex arena et ſilicibus rotundis variae magnitudinis, terrae tophaceae non

p. 64.
p. 90.

nusquam

nusquam immiſtis, conſtantes; et alicubi in campis, illis collibus vicinis, aceruos plurimos arenae et minorum ſilicum rotundorum hic illic ſeparatim poſitos vidit. Quum rotunditas horum lapidum doceat, eos ab aqua, violenta cum agitatione fluente, eſſe tornatos; quum fluuiorum, per illos valles fluentium, exundationi incredibilis iſtorum lapidum multitudo, et mira diſpoſitio, tribui nequeat; quum in hiſtoria nullum occurrat veſtigium ingentis inundationis, quam iſta loca paſſa fuerint: recte ſibi videtur Auctor concludere, cauſſam rei in diluuio vniuerſali eſſe quaerendam. Hinc, quomodo iſta omnia in hoc diluuio effici potuerint, explicare allaborat.

p. 121. Sectio IV deſtinata eſt potiſſimum tollendae dubitationi, quae VALLISNERO aduerſus veritatem diluuii vniuerſalis ex conſideratione multitudinis ſpecierum inſectorum et plantarum, in arca Noachi conſeruandarum, nata erat. Quod ad inſecta attinet, Auctor negat, neceſſe fuiſſe, vt omnium inſectorum, quae in aquis viuere nequeunt, aliquot paria in arcam ingreſſa ſint; credit enim, illa in ouulis et chryſalidibus ſuis, aut in ipſis aquis natantibus, aut ad ligna natantia affixis, aut ſub terra paullo altius depoſitis, conſeruari, vel etiam ſponte regenerari potuiſſe. Scilicet non pudet eum confiteri, valde dubium ſibi adhuc eſſe recentioris philoſophiae dogma, quod vult, omnia ex ouo vel ſemine generari, neque piget, contra illud multa diſputare. De plantarum autem ſpeciebus monet, eas per germina, vel radices, vel ſemina in terra latentia potuiſſe conſeruari, aut per germinatricem terrae virtutem reſtitui.

p. 161. In V ſectione explicare conatur modum, quo aquae diluuii terram continentem vniuerſam inundare potuerint. Fontes abyſſi magnae, quos *Moſes* memo-

memorat, exiſtimat fuiſſe ipſum oceanum, cuius vndae vehementibus ventis, ſub vtroque polo excitatis, verſus mediterraneas partes propulſae fuerint; praeterea ſumit, omne coelorum immenſum ſpatium, ſuper atmoſphaera telluris, plenum eſſe aquae, in vapores reſolutae; horum vaporum tempore diluuii condenſatorum ingentem copiam in imbribus deſcendiſſe, idque Scriptori ſacro cataractas coeli eſſe putat. Multus eſt in hac ſua opinione ſtabilienda et defendenda; vbi inprimis plurimum negotii ipſi faceſſit ſyſtema *Copernicanum*. Nam, vt alia taceamus, metuit, ne rapidus telluris motus eam decidentibus aquis ſupracoeleſtibus ſubtraxerit, ſi hoc ſyſtema ſit verum. Qui metus admodum vanus nobis videtur, propterea quod illis aſſentimur, quibus fictas eſſe ipſas iſtas aquas ſupracoeleſtes, et ex ſiniſtra verborum *Moſis* interpretatione natas, plane perſuaſum eſt.

In VI ſectione operam dedit, vt oſtenderet, apud omnes fere gentes antiquas ſuperfuiſſe traditiones de diluuio vniuerſali; et his quoque eam, quam apud Mexicanos THEODORUS DE BRY (in commentariis de rebus Americanis) deprehenſam fuiſſe narrat, adiungere operae pretium putauit. p. 193.

Pars altera huius libri aduerſus ANT. LAZARUM MORUM ſcripta eſt, qui ſtatuit, principio montes quosdam altiſſimos ex ſuperficie telluris ſphaerica, adhuc obtecta aquis, eleuatos fuiſſe vi ſubterranei ignis, eosque ipſos fuiſſe igniuomos; materiam ex his montibus eructatam in fundum maris defluxiſſe, et haerentia ibi conchylia et alia corpora marina contexiſſe; eorum locorum nonnulla poſtea ſimili ignis interioris actione vltra ſuperficiem aquarum fuiſſe proiecta, et montes ſic natos eſſe ſecundarios, iterum igniuomos, ex quibus euomita diuerſo p. 269.

ſo tempore materies, diuerſa ſtrata terrae in planis regionibus formauerit. Hanc hypotheſin, ad explicandam originem ſtratorum in ſuperficie telluris, et corporum marinorum petrefactorum in montibus, excogitatam, quam eius inuentor magna fiducia pro veritate haberi voluit, Cl. CONSTANTINUS diligenter examinat; et ſimul praeclare oſtendit, tam infirmo eam niti fundamento, tam aduerſam eſſe narrationi *Moſis*, experientiae, et hiſtoriae naturali, tam multa quoque continere ſecum inuicem pugnantia, vt prorſus ſit reiicienda. Sub finem libri reprehendit etiam nonnulla in WOODWARDI ſyſtemate, tandemque attingit opinionem quorundam, qui conchylia et corpora marina e fundo maris per vortices aereos, *typhones* dictos, extrahi, et in montes aſportari potuiſſe crediderunt. Docet autem primum, typhones, etiamſi vis attractrix illis concederetur, non poſſe eſſe huius rei cauſſam propterea, quod, vt alias rationes praetereamus, illi nunquam a mari, ſuper quo oriuntur, longe verſus mediterranea loca recedant, neque in auſtralibus telluris regionibus appareant, neque etiam corpora marina recens per ſuperficiem terrae continentis diſperſa reperiantur, quum tamen typhones in multis maribus fere quotidie exiſtant; deinde vero commonſtrat, neutiquam attribui poſſe typhonibus vim attrahendi aquam ex ſuperficie maris, nedum corpora in fundo eius fixa. Hunc autem errorem natum eſſe monet in libris quorundam Phyſicorum ex imperfecta huius meteori, quam nautarum vulgus habeat, notione, et eorundem falſis narrationibus. Ipſe illud ſe ſaepius in mari Adriatico non modo vidiſſe, verum etiam e locis editioribus in littore diligenter obſeruaſſe, ait, nunquam autem deprehendere potuiſſe monticulum illum aqueum, quem ab inferiori orificio tubae ſeu buccinae, cuius figuram

typhon habet, attrahi fingant, vidiſſe potius ſub hoc orificio depreſſam maris ſuperficiem, et actam ibi in vorticem aquam maris; quod argumento eſt, ventum, qui nubem ad inſtar tubae extendit, ex inferiori illo et anguſto orificio exire, vi magna impellente praeditum, et igitur vim attractricem hic temere fingi. Sed et aliis rationibus, fictam eſſe hanc vim, et per rei naturam impoſſibilem, oſtendit. Quoniam autem contra hanc Auctoris ſententiam Cel. BOSCOVICHIUS, in commentatione de turbine Romae anno 1749 obſeruato, eodem anno edita, nonnulla monuerat, et vim attractricem typhonis defenderat: Auctor huic ſuo libro, in hac noua editione, adiecit prolixam aduerſus BOSCOVICHIUM apologiam, in qua demonſtrat, neque ſuam ſententiam ab hoc Viro docto euerſam, neque contrariam euictam eſſe. Sed haec de hoc libro dixiſſe ſufficiat, qui quidem multa continet bonae frugis, ſed multo tamen magis commendabilis, vt nobis videtur, reddi potuiſſet, ſi Auctor breuitatis et boni ordinis fuiſſet ſtudioſior. Quasdam enim inueteratas opiniones ſuperioris ſeculi, noſtri demum ſeculi luce deletas, ſenectuti Auctoris facile condonamus.

XIII.

Elemens d'Agriculture par M. DUHAMEL DU MONCEAU de l'Acad. royale des Sciences, a Paris chez H. L. Guerin et L. F. Delatour. 1762. 12. Tom. I. Alph. 1. tab. aen. 4. Tom. II. pl. 18. tab. aen. 10.

i. e.

Elementa agriculturae. Auctore Cl. DUHAMEL DU MONCEAU.

Cel. Auctor, qui iam antea ſummam, ob egregiam doctrinam patriaeque amorem, laudem inter eruditos

ditos pariter ac ciues merito obtinuit, nouo hocce ſpecimine oſtendit, eruditorum labores non vanis disceptationibus, vti multi autumant, tantum conſumi, ſed maximam quoque ex eorum ſtudiis ad reliquos ciues redundare vtilitatem. Cum enim multi, oeconomicum ſtudium ſedulo colentes, a Cel. DU HAMEL exigerent, vt praecipua, quae ad augmentum huius ſtudii pertinent, ex maiori opere *) colligeret, et in ſyſtema ac compendium, vti loqui amant, redacta communi vitae vſui magis accommodata redderet: eorum precibus ita annuit, vt non dubitamus, quin deſiderium eorum ſatis abunde praeſenti hoc opere expletum ſit. Phyſicis enim principiis totum hoc agriculturae ſyſtema ſuperſtruxit, atque illud egregiis ſuis experimentis vbique auxit. Ita vero in hoc opere verſatus eſt, vt primo de plantis earumque partibus, vegetationisque mechaniſmo et agris in genere differat, deinde oſtendat, quaenam optima ſit agrorum emendandorum ratio, qualia ſint eligenda ſemina, quomodo ea terrae committenda, frugesque colligendae ſint; tandemque disputet de pratis eorumque cura, variarumque aliarum plantarum cultura, quae non minus in communi vita vtiles ſunt, v. c. *rubia*, *iſatide cet.*

Ipſi quoque operi, eo loco, vbi de ſeminibus eligendis differit, tractationem de morbis, quibus ſemina corrumpi ſolent, et inſectis agris noxiis inſeruit, vt reliqua, quae magis ad oeconomicum vſum ſpectant, taceamus.

XIV.

*) vid. Traité de la Culture des Terres, Tom. I - - VI. a Paris 1752 - 1761. 8.

XIV.

Noua phyſico - medica.

Regiam Academiam Chirurgorum *Pariſinam* anno 1760 primum, deinde 1761 problema de contraſiſſuris oſſium capitis propoſuiſſe, praemium vero huic deſtinatum, hoc ipſo demum anno exhibitum, reportaſſe Cl. virum, GRIMA, Chirurgiae Magiſtrum Florentinum, Membrum Academiarum Botanicae Florentinae, et Cortonenſis, quae ab hiſtoria naturali nomen gerit, Profeſſorem et Demonſtratorem Anatomiae et Chirurgiae, Chirurgum et Inſpectorem Primarium noſocomiorum Clericorum, Archiatrum Supremi Magiſtri ordinis equitum Melitenſium, ex praecedentibus *) notum eſt. Maximi tamen quum haec res ſit momenti, nec dum in acceptis commentariis fuerit confecta: non dubitauit Academia eandem eruditis denuo commendare, penitiorique eius rei inueſtigationi nouum et duplicatum proponere praemium. Liquet vero hoc eſſe propoſitum thema, vt condatur theoria contraſiſſurarum, quae fiunt in laeſionibus capitis, et vt inde eruantur ea, quae prodeſſent ad praxin, (*établir la théorie des contrecoups dans les léſions de la tête; et les conſéquences pratiques, qu'on peut en tirer*). Sub vocabulo theoriae contraſiſſurarum intelligit Academia earum naturam, differentias, cauſſas, ſymptomata, ſigna diagnoſtica et prognoſtica, tandemque curationem. Neminem quoque latet, contraſiſſuras oſſium capitis eas appellari laeſiones, quae quidem ab ictu vel alia vi, oſſa cranii percutiente, producuntur, quae vero non in percuſſa, ſed oppoſita, vel ſaltim remota parte reperiuntur. Vt vero difficili

*) In hoc ipſo volumine pag. 349.

cili hac in re ſcientibus ſuccurreretur, viaque pandetur, quam ingredi poſſent, qui operam conficiendae huic rei ſint nauaturi, Cl. LOUIS, quem conſtat Academiae ab epiſtolis eſſe, libellum vulgauit, in quo ex optimis ſcriptoribus ea collegit, quae propoſitam rem illuſtrant *). Hunc itaque librum conſulendum ſuadet Academia. Praemium duae ſunt

*) *Recueil d'obſervations d'anatomie et de chirurgie; pour ſervir de baſe a la théorie des léſions de la tête par contre-coup. a Paris. chez P. G. Cavelier, rue S. Jacques, au Lys d'or*, 1766. 8. pagg. 270. En libelli elenchum. Continetur 1) introductio, in qua rei dignitas et huius collectionis ratio explicatur. 2) Sermo, quem habuit Cl. LOUIS ab initio publici conuentus, die 10 menſis aprilis huius anni 1766. celebrati, in quo de problematis huius natura et de commentariis exponitur, quos Academia tum prima, cum vltima vice, acceperat. Priorum (1761) fuerunt vndeuiginti, poſteriorum vero viginti ſex. Vtroque tamen tempore commentarios Cl. GRIMA prae caeteris palmam promeruiſſe narratur. 3) Epitome litterarum Cl. dum viueret, viri, FR. POURFOUR DU PETIT, in quibus nouum cerebri ſyſtema is propoſuerat. Litterae hae, ſuppreſſo auctoris nomine prodierunt 1710, ita inſcriptae: *Lettres d'un Medecin des Hopitaux du Roi a un autre Medecin. à Namur*, 4. 4) Locus aliquis ex VALSALVA. (VALSALVAE *opp. Venetiis*, 1740. *Tr. de aure hum. cap. V. p.* 68. 69). 5) MORGAGNI ſuper hoc VALSALVAE loco commentarii (MORGAGNI *epiſt. anat. XIII. ad tr. de aure hum.* §. 14 - - 24. *eiusd. editionis, pag.* 488 - 503. 6) MORGAGNI animaduerſio de cauſſa et diagnoſi hemiplexiae. (*Eiusd. Aduerſar. anatom. VI. Animadv.* 86. *Patav edit.* 1719. *pag.* 108. *ſeq.* 7) SANTORINI obſeruationes anatomicae, *Cap. III.* §. 12. *p.* 61.) 8) WINSLOWII expoſitio anatomica. (*Traité de la tête*, §. 109. 110). 9) De Bononienſi Scientiarum et Art. Inſtituto atque Academia Commentar. Tom. I. pag. 139. 10) GEORG. CONR. THON Diſſ. inaug. ſub. praeſid. L. HEISTERI propugnata, de apoplexia magis chirurgicis, quam aliis medicamentis curanda.

ſunt monetae aureae, ſingula quingentarum pondo Gallicarum (500 *livres*), vel exhibebitur vnica tantum modo, et pretium alterius in monetis vulgaribus ſoluetur, pro arbitrio illius, qui promeruerit. Vt vero commentarii latina vel gallica conſcribantur lingua; vt mittantur ad Cl. LOUIS, et vt nomina auctorum in adiectis ſchedulis, ſigillo obſignatis celentur, miſſi vero commentarii ſolummodo ſententia aliqua ſignentur, quae itidem nomini celato apponenda ſit; ideo repetere ſuperfluum ducimus, quod ſaepiſſime a nobis iam narratum eſt. Hoc ſaltim reticeri nequit, Academiam commentarios ante finem ſequentis anni 1767 exſpectare, et poſt feſtum Paſchatis 1768 ſententiam ſuam de iis eſſe declaraturam.

Eadem Academia et illud praemium, quod ex annuis legati b. DE LA PEYRONIE reditibus paratur, et moneta eſt aurea ducentarum pondo Gallicarum, more conſueto ei promiſit, qui ſequenti anno de materia quadam, pro cuiuslibet lubitu ex omnibus chirurgiae doctrinis eligenda, optimum conſcripſerit, eique miſerit tractatum. Omnibus tum exteris, cum indigenis, ne modo ſint membra ipſius Academiae, venia eſt data hoc praemium quaerendi. Eodem vero die, quo de ſuperiori, etiam de hoc praemio decretura eſt Academia, eique auctori adiudicatura, cuius tractatus eo prae caeteris dignus fuerit habitus. Quinque reliqua praemia minora pertinent modo ad indigenos.

Eo nuper die 10 menſis octobris Academia *Theodoro-Palatina* fruita eſt gaudio, vt eius conuentui publico ipſe Sereniſſimus Princeps et Elect. Palatinus, CAROLUS THEODORUS, pro ſingulari amore, quo ſcientias et artes proſequitur, interfuerit. Conſtitutus erat hic conuentus ſententiae ferendae

rendae de iis ſcriptis, quae tradita fuerant Academiae ſuper problemate *) : num lithanthraces ad mineras quaslibet vel ſaltim ferri vſtulandas coquendasque adhiberi poſſint. Quum vero id vnicus tantummodo explicare conatus fuerit, nec ille quidem exſpectationem Academiae expleuerit, ea nondum exhibuit promiſſum praemium.

Illius autem problematis phyſici, quod ab *Eadem* Academia in ſequentem annum eſt propoſitum, et quod rei alicuius inuentionem exigit, ex qua itidem ac e cobalto praeparari poſſet pigmentum illud coeruleum, quod ſmaltum dicitur, alio tempore **) a nobis facta eſt mentio.

Nouo etiam problemate *Eadem* Academia rerum phyſicarum peritis occaſionem dedit, vt habeant, in quo explicando et ingenii vires exercere, et ad nominis famam adſpirare poſſint. Vt etiam neceſſarium ſuperſit tempus rei inquirendae et experimentis comprobandae, vult Academia, vt hoc problema pertineat ad annum 1768. Ea vero optat, vt *noua excogitetur methodus, cuius ope mercurius e mineris ſuis poſſit elici, quae minores exigat ſumtus, nec tanta cum ipſius mercurii iactura ſit coniuncta, quam hactenus vſitata.* Ante calendas menſis iulii ſingulorum annorum commentarii conſcripti ad Cl. LAMEY, Secretarium Academiae ſunt mittendi; reliquas, quas obſeruare conuenit, leges vide ſuperius ***).

Quae in *Auſtria* ſub auſpiciis Auguſtiſſimae Imperatricis, MARIAE THERESIAE, floret Societas, in rei ruſticae augmentum conflata, haud ita pridem binas propoſuit quaeſtiones, vt ſcientes et rerum oeconomicarum periti ad eas reſpondeant. Singulae

*) Comment. hor. Vol. XII. p. 163.
**) Ibid. Vol. XII. pag. 721.
***) Ibid. Vol. XII. p. 162.

lae earum praemium conſtitutum eſt florenorum centenorum quinquaginta, quos ex aerario commerciali Graecenſi accipiet is, qui quaeſitas res explanauerit optime. Primum quaeritur, *quae ſit cauſſa, cur variae Stiriae partes tam exiguum et debile habeant pecus, et quibus auxiliis robuſtius poſſit produci.* Deinde: *quibusnam remediis prophylacticis pecus a lue peſtifera poſſit defendi, et, ſi ea nihilominus corriperetur, quae remedia ſingulo morborum peſtiferorum generi ſint opponenda.* Reſponſiones ad priorem quaeſtionem Societas exſpectat ante calendas menſis februarii ſequentis anni (1767); ad alteram vero ante calendas menſis nouembris eiusdem anni. Serius, qui tradentur commentarii, non quidem auctoribus reddentur, iure tamen praemii priuabuntur. Praeterea omnibus tum peregrinis, cum indigenis conceſſum eſt, de hoc praemio certare, atque cuiuslibet arbitrio permittitur, nomen ſuum vel ipſi commentario apponere, vel in obſignata ſchedula celare, commentarium autem ſententia aliqua notare. Faſciculi vero, qui incluſos contineant commentarios vel epiſtolas, nomine Ill. Comitis DE PURGSTALL, qui Societati huic praeeſt, ſunt inſigniendi, et praeterea haec verba apponenda: *Agriculturſachen.* Poſterioris quaeſtionis praeſtantia vir quidam commotus eſt, vt, praeter praemium a Societate conſtitutum, ex ſuis opibus aliud, monetam nimirum auream pondere duodecim numorum aureorum, quos Ducatos appellant, promiſerit ei, cui a Societate praemium fuerit tributum.

Commemorari etiam nunc conuenit Regia Societas *Lemovicenſis*, quae ab agricultura nomen gerit, et cuius his Commentariis nondum iniecta eſt mentio, cum nihil ex ea reſciuerimus, quod propius noſtrum attigiſſet inſtitutum. Vel iam ex nomine, quod ipſa

ſibi impoſuit Societas, intelligitur, quod eius ſit conſilium: ſcilicet agriculturam et omnem rem ruſticam emendare, fructuoſiorem adeoque lucroſiorem reddere. Quod vero cum Societas cognouerit, melius exequi non poſſe, quam ſi priuati homines, et quicunque rebus phyſicis vel oeconomicis operam nauant, praemiis inuitarentur ad naturam earum rerum, in quibus verſatur oeconomia, diligentius ſcrutandam, et quicquid vel ſponte ſua, vel captis experimentis vtile fuerit deprehenſum, vulgandum et in publicos vertendum vſus: eo et aliarum Societatum exemplo commota eſt, vt conſilium ceperit, quotannis praemium aliquod conſtituendi ei ſoluendum, qui prae caeteris optime propoſitam rem ſit explicaturus. Primum itaque praemium, quod eſt moneta aurea 300 pondo Gallicarum (*livres*), vel, ſi quis maluerit, eadem copia paratae pecuniae, ſe proximo anno diſtributuram eſſe Societas nuper declarauit. Quod qui promereri cupit, exponere eum oportet methodum deſtillandi vel praeparandi vini ſpiritum fructuoſiſſimam tum quoad quantitatem, cum qualitatem et ſumtuum rationem (*la manière de brûler ou de diſtiller les vins la plus avantageuſe relativement à la quantité et à la qualité de l' eau de vie, et à l' épargne des frais*). Qua de re quum nullus aptius cogitare planiusque exponere poterit, quam qui phyſicis doctrinis chemicisque probe ſit inſtructus, problema hoc et ad noſtros pertinere lectores arbitramur.

Studio autem alteram quaeſtionem ab *Eadem* Societate propoſitam, quod longius a noſtro recedat inſtituto, praeterimus ſilentio, cui praemium ſimile ex ſuis opibus amore patriae et Societatis huius ſingulari ductus promiſit vrbis et circuli Lemovicenſis Praefectus.

Eadem Academia iam anno 1768 ſuum deſignauit problema et declarauit, ſe ſimili praemio eius optimam

optimam expoſitionem eſſe adfecturam. Eſt illud *hiſtoria curculionis* (Charanſon), *et remediorum, quae grana ab eo tueantur.* Optat vero Societas, vt in deſcriptione inſecti primum hiſtoria indiuidui tradatur, hoc eſt, eius ortus, vita et domicilium in granis, variae metamorphoſes et propagatio; deinde hiſtoria ſpeciei, de ſerie transformationum et generationum inſecti per ſingula anni tempora et plures annos; tandem remedia tutiſſima minusque ſumtuoſa, quae eius propagationem impediunt, et frumenta ab iis praeſeruant.

Omnibus ad haec praemia licet niti, exceptis tantummodo ipſius Societatis membris. Perinde etiam eſt, vtrum commentarii gallica an latina conſcribantur lingua. Iis porro nulli definiti ſunt fines, ſed auctores vti poſſunt tanta prolixitate, quantam rerum proponendarum dignitas argumentorumque pondus exigere videantur. Ipſi denique commentarii itidem non nomine auctoris, ſed numero aliquo vel ſententia ſunt ſignandi; nomen domiciliumque vero ſchedulae alicui committendum ſigillo obſignatae, quae exterius eodem numero vel ſententia notetur, quo ipſe commentarius eſt inſignitus. Mittendi denique ſunt commentarii ad ſummum ciuitatis et circuli Lemovicenſis Praefectum, et priores quidem ante finem huius anni, poſteriores vero ante calendas menſis decembris ſequentis anni.

Petropoli accepimus, Auguſtiſſimam Ruſſorum Imperatricem CATHARINAM II. die 16 menſis octobris huius anni Directoris Academiae Scientiarum ibidem florentis muneri praefeciſſe Illuſtrem virum, Comitem WOLODOMIR GRIGORIEWITSCH ORLOW, eumque illud poſtero die, congregata Academia, eſſe auſpicatum.

Relicta Academia, quae Francofurti ad Viadrum floret, nuper ad *Giſſenſem* tranſiit Cl. Vir D. FRID. AUG. CARTHEUSER, IOANNIS FRIDERICI filius, ibidemque munus, quod ipſi eſt demandatum, academicum Profeſſoris medicinae ordinarii et philoſophiae naturalis adiit die 30 menſis ſeptembris huius anni, habita oratione: *de inſigni chemiae vſu in philoſophia naturali.* Occupat vero ſimul locum in ordine medicorum academico, qui nunc tribus conſtat membris. Sunt vero

D. IO. WILH. BAUMER, Medicinae Profeſſor Primar. Eminentiſſ. Elector. Mogunt. a Conſiliis, Seren. Haſſiae Landgr. a Conſiliis rerum metallicarum, Phyſicus Prouincialis Giſſenſis, Acad. El. Mogunt. ſcient. vtil. Aſſeſſor.

D. GEORG. LUDOV. ALEFELD, Med. Prof. Ord. Acad. El. Mogunt. ſc. vtilium Socius ordinarius.

D. FR. AUG. CARTHEUSER, Med. et Phil. natural. Prof. Ord. Acad. El. Mog. ſc. vtil. Socius ordinar.

Goettingae die 8 menſis octobris h. a. Profeſſoris medicinae Extraordinarii munus ſuſcepit D. AUGUSTUS GOTTL. RICHTER, habita oratione *de dignitate chirurgiae cum medicina coniungendae,* et praemiſſo programmate, *in quo variae cataractam extrahendi methodi ſuccincte exponuntur.*

Romae die 20 menſis auguſti 1765 viuere deſiit ANTONIUS BALDANI, Romanus, Canonicus eccleſiae S. Mariae ad martyres, quae vulgo *Rotonda* appellatur, priſcis vero temporibus *Pantheum.* Variorum Pontificum maximorum ab intimis fuit reditũum conſiliis. Poſtremo tandem functus eſt munere Secretarii Societatis, cui cura aquarum, palu-

dum

dum et pontium eſt tradita. Huius viri, etſi ſcriptis non inclaruerit, hic tamen meminiſſe noſtrarum eſſe duximus partium, quum conſtet, illum, praeter inſtructiſſimam bibliothecam, muſeum rerum naturalium refertiſſimum collegiſſe atque coluiſſe, cuius honorifica ſit mentio in appendice, quam Cl. IO. PLANCUS alteri editioni libri *de conchis minus notis*, 1760 Romae in lucem editi, adiecit. Spes facta eſt, fore, vt eius index propediem vulgetur. Ob ſingulare hoc, quo is flagrabat, hiſtoriae naturalis ſtudium a Regia Societate Londinenſi et ab Academia Inſtituti Bononienſis in ſociorum receptus fuerat numerum.

XV.

Continuatio indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1763. prodierunt.

Recueil des Pieces de Medecine et de Phyſique, traduites de l'Italien de Mr. COCCHI et autres Auteurs vivans, a Paris, 12.

Tyrocinium anatomicum: or, an Introduction to Anatomy. By C. COLLIGNON. M. D. Profeſſor of Anatomy at Cambridge. Cambridge. 8. mai.

Lettre de Mr. COLLIN a Mr. DE HAEN au ſujet des maladies avec eruption. a Vienne. 8.

MATTHAEUS COLLIN Diſp. inaug. de miliaribus rectaque his medendi ratione. ibid. 8.

Lettre de Mr. DE LA CONDAMINE a Mr. MATY (*ſur l'inoculation*). a Paris. 8.

IO. MART. COPESCH Diſp. inaug. ſiſtens metaſtaſin ad caput cum trepano ſpontaneo. Argent. 4.

Traité pratique ſur la Goutte, et ſur les moyens de guerir cette maladie, par Mr. COSTE. Edit. nouv. a Berlin. 8.

Manuel de la Saignée pour l'inſtruction des Eleves chirurgiens de la Marine, de l'Ecole de Breſt. par Mr. DE COURCELLES, prem. Med. de la Marine a Breſt. Breſt. 12.

IO. NEPOM. CRANZ Stirpium Auſtriacarum faſciculus II. Viennae. 8.

Lettre de Mr. CRANZ a Mr. TISSOT au ſujet de ſa diſpute avec Mr. DE HAEN. a Vienne. 8. (*Eadem epiſtola germanice reddita eodem prodiit anno.* Lipſiae et Berol. 8).

Melanges d'Hiſtoire naturelle par Mr. A. D. (DULAC) Avocat en Parlement et au Cours de Lyon. a Lyon. 8. c. tab. aen. Voll. 2.

Diſſertation ſur ce, qu'il convient de faire, pour diminuer ou ſupprimér le lait des femmes, etc. Ouvrage couronné par la Societé Hollandoiſe des Sciences a Harlem le 21 May 1762. par Mr. DAVID. a Paris. 12.

Recherches ſur la maniere d'agir de la ſaignée et ſur les effets, qu'elle produit relativement a la partie, ou l'on l'a fait *par le même.* ibid. 8.

Le même livre: ſeconde edition, revue et corrigée. ibid. 8.

Ouvrage, touchant les Hernies ou Deſcentes, diviſé en deux Parties; par Mr. DEIAN. Maitre en Chirurgie ibid. 12.

HENR. FRIDER. DELIUS Diſp. inaug. exhibens obſeruationes de ouis muliebribus foecundis et ſterilibus. Reſp. *Guſtav. Guil. Henrici.* Erlangae. 4. c. tab. aen.

Eiusd. Diſp. inaug. ſiſtens ſpecies laetificantes. Reſp. *Matth. Guil. Pauland.* ib. 4.

Eiusd. Diſp. inaug. continens trigam caſuum medico chirurgicorum. Reſp. *Mich. Neuſtaedter.* ib 4.

Le Gentilhomme Cultivateur, ou Corps complet d'Agriculture, tiré de l'Anglois de Mr. HALI et

des

des tous les Auteurs, qui ont le mieux ecrit ſur cet Art; par Mr. DUPUY DEMPORTES. Tom. V. VI. VII. a Paris. 4. av. fig. Voll. 3.

Eiusdem libri Tomus IX-XIV. ibid. 12.

Nouvelles Obſervations ſur le ſel purgatif fondant et calmant: par Mr. DESCROSILLES, Apothicaire a Dieppe. a Rouen. 12.

Diſcours ſur les Epidemies d'HIPPOCRATE; par Mr. DESMARS, Medecin penſionnaire de la Ville de Boulogne ſur-mer. a Paris. 12.

GUIDO DANIÉ DESPATUREAUX Quaeſt. med. vtrum ad tuendam ſanitatem balnea frigida praeſtent calidis? aff. Reſp. *Joan d' Arcet*. Pariſiis. 4.

Traité des Fievres de l'Isle Saint Domingue, par Mr. POISSONNIER DESPORTIERES. ibid. 8.

G. CHR. DETHARDING, Diſp. de nebularum effectu noxio in corpore humano. Bucephal. 4.

I. I. DILLENII Hiſtoria muſcorum: or a General Hiſtory of Land and Water Moſſes and Corals. London. 4. mai. c. tab. aen.

Teatro Farmaceutico dogmatico e ſpagirico, del. D. GIUSEPPE DONZELLI, *Napolitano*, *Barone Dogliola*, abbelitto e arrichitto di multe Aggiunte in diverſi luoghi fattevi da TOMASO DONZELLI, Medico Fiſico, Figliolo dell' Autore, e regiſtrate dal medico Pratico NICCOLO FERRARA-AULISIO. In queſta nuoviſſima edizione nuovamente accreſciuto di varie coſe non piu ſtampate, e principalmente di un dotto utiliſſimo Trattato delle Droghe del Sign. GIAM. BATTISTA CAPELLO. in Venezia. fol.

JOSEPH. LUD. DORER, Diſp. inaug. de ſaltatione ſanitatem conſervante, morbos inducente, indicante, curante. Argent. 4.

FRID. GUIL. DRESDE, de daemonibus morbisque daemoniacis medica tollendis. Lipſiae. 4.

Traité de Phyſiologie, dans lequel, apres avoir etabli des theſes ſur le Mechaniſme de nos fonctions, on donne une Explication courte des phenomenes du corps humain, par I. F. DUFIEU, D. M. Tome I. II. a Lyon. 12. Voll. 2.

IO. PETR. EBERHARD, Diſp. inaug. de aeris actione in chylum. Reſp. *Frid. Sohrbeck*, Halae. 4.

Deſcription et Hiſtoire naturelle de Groenland, par Mr. EGEDE, par Mr. DES ROCHES DE PARTHENAY, a Geneve, 8. av. fig.

Herrn HANNS EGEDE, *Miſſionairs und Biſchofs in Grönland, Beſchreibung und Naturgeſchichte von Grönland, überſezt von* D. IOH. GE. KRUNITZ, *Berlin*, 8. *m. K.*

PROIECT. IOSEPH. EHRHART, Diſp. inaug. de cicuta. Argent. 4. c tab. aen.

IO. FRID. EHRMANN, Diſp. inaug. de morbo catarrhali benigno hoc anno inter nos epidemio, ibid. 4.

IOH. GOTTL. VON ECKHARDTS *vollſtändige Experimental Oeconomie, über das vegetabiliſche, animaliſche und mineraliſche Reich. Zweyte verbeſſerte Aufl. Iena*, 4.

CAROL. ECKMAR, Diſp. exhibens hydrocephalum internum annorum 45. Vpſal. 4.

D. IOH. THEODOR ELLERS *vollſtändige Chirurgie, oder gründliche Anweiſung alle und jede äußerliche Krankheiten des menſchlichen Körpers zu heilen. Berlin*, 8.

ARTHUR CONRAD ERNSTINGS *hiſtoriſche und phyſicaliſche Beſchreibung der Geſchlechte der Pflanzen, welcher Hr.* LINNAEUS *ſyſtematiſches Verzeichniß von den Geſchlechtern der Pflanzen beygefügt worden, 2ter Theil, Lemgo*, 4.

Traité ſur les cauſſes et ſymptomes de la pierre et de la gravelle, ſur les methodes, qu'on met en uſage, pour les guerir, ou il eſt prouvé clairement, qu'il n'y a, que la preparation de Mſlle STEPHENS, qui puiſſe reuſſir dans cette maladie, qu'elle eſt tres ſalutaire, et que de plus elle eſt fort facile a prendre, ce qui a eté inconteſtablement confirmé depuis peu dans la Gueriſon d'une des plus grandes Princeſſes de France: par Mr. D'ESCHERNY, D. en Med. et Membre du College Roy de Medecins, a Londres.

Herrn DES ESSARZ, *der Arzneyg. D. zu Paris, Abhandlung von der Erziehung der Kinder, in Anſehung ihres Körpers in den erſten Iahren, oder practiſche Gedanken über die Mittel, Bürger von einer beſſern Leibesbeſchaffenheit darzuſtellen. Berlin,* 8. (Germanice reddidit hunc librum *D.* IOH. GE. KRUNITZ).

PHIL. CONR. FABRICII Enumeratio methodica plantarum horti medici Helmſtadienſis, Edit. 2. auctior. Helmſtadii. 8.

Eiusd. Diſp. inaug. de motibus conuulſiuis. Reſp. *Chriſtophor. Henr. Schobelt.* ibid. 4.

Catalogue de la Bibliotheque de feu Mr. FALCONET, Doyen des Medecins de la Faculté de Paris. T. I. II. a Paris, 8. Voll. 2. (*Praefaminis loco vitae deſcriptio trium medicorum eiusdem nominis, nimirum aui,* ANDREAE, *patris,* NOELIS, *et filii* CAMILLI, *auctoris huius bibliothecae, praemittitur*).

IO. FRIDER. FASELIUS, Diſp. inaug. de arteriis non ſanguiferis. Reſp. *Chriſtoph. Frider. Car. Cappe,* Ienae, 4.

Eiusd. Diſp. inaug. de anxietate, ſpeciatim febrili. Reſp. *Io. Chriſt. Heſſler,* ibid. 4.

IO. FRIDER. FASELIUS, Progr. de cauſſis flexilitatis partium ſolidarum corporis humani, Ien. 4.

Eiusd. Progr. de corpuſculis ARANTII, ibid. 4.

Eiusd. Progr. de egregio vſu clyſterum in anxietatum curatione, ibid. 4.

Eiusd. Disp. inaug. de oleo vini atque ſale ſedatiuo HOMBERGII. Reſp. *Thom. Reindel,* ibid. 4.

Eiusd. Progr. de ſaccis Lowerianis, ibid. 4.

Eiusd. Disp. inaug. de ſaponibus quibusdam mineralibus. Reſp. *Wilh. Henr. Sebaſt. Buchholz,* ib. 4.

Eiusd. Progr. I. de vaſis corporis animalis aereis, ibid. 4.

Eiusd. Progr. de vero adipis ad baſin cordis circumfuſi vſu, ibid. 4.

Gebrauch der Berg und Wünſchelruthe, was und wie vielerley Art ſie ſey? von Feudiviro (oder LEHMANN), *Leipzig,* 8.

Gutherzige Schreiben an ſeine achtbare liebe Landsleute, die wegen ihres unermüdeten Fleiſſes, außerordentlichen Treue gegen ihre hohe Landesobrigkeit, auch wegen ihres guten Umgangs und Betragens ſo gar von Auswärtigen hochgeſchäzte Bauern in Sachſen, den Ackerbau und die Viehzucht zu des theuerſten Churfürſt AUGUSTI *Zeiten in Sachſen betreffend, von H. A. F.* (Heinrich Auguſt Fiſcher), *Chemnitz,* 8.

Adheſions or Accretions of the Lungs to the Pleura, and their Effects on reſpiration, conſidered by MALCOLM FLEMING. Edit. 2. London. 8.

Diſſertation ſommaire ſur les Maladies de l'Uretre, appellées calloſités, ou vulgairement carnoſités, et du moyen ſûr de les guerir radicalement ſans l'uſage de Bougies; par le Sieur DE LA FONT, Fils, Maitre en Chirurgie, et Chirurgien breveté du Roy pour l'adminiſtration de ce remede, a Paris, 12.

Opuſcula phyſiologico pathologica, diſſertationes tres exhibentia, 1) de affectionibus infantiae ac pueritiae, 2) de affectionibus ſenectutis, 3) de viſionis ſenſorio; Auctore ANTONIO FRACASSINI. Veronae, 4.

GEORG. ADOLPH. FRANK, Diſp. inaug. ſiſtens caſum nephritidis calculoſae tabe renis lethali exceptae. Argent. 4. c. tab. aen.

Fortſetzung einer kurzen Nachricht zu der zwölften von den zwölf Claßen aller Vögel und ihren vier Abtheilungen, ſo diejenigen enthält, welche gröſtentheils ihre Nahrung am Waſſer finden. Berlin, fol. (Toti huic ſplendido operi, quod 1736 inceptum, nunc demum abſolutum eſt, communis hic index praemiſſus eſt: *Vorſtellung der Vögel Deutſchlands und beyläufig auch einiger fremden; nach ihren Eigenſchaften beſchrieben von* IOH. LEONHARD FRISCH, *Rector des Gymnaſii zum grauen Kloſter in Berlin etc. in Kupfer gebracht, und nach ihren natürlichen Farben dargeſtellt von* FERDIN. HELFR. FRISCH, *Berlin, fol. mit 256 Kupfern.*)

PETR. ADR. GADD Upmuntran och Underrättelſe til nyttiga plantagerers widtagande i Finland. P. Ima. Åbo. 4.

Eiusd. Diſp. de transmutatione aquae in terram. Reſp. *Sam. Heurlin*, ibid. 4.

Eiusd. Beſkrifning öfver Bergquara Gods i Småland. Reſp. *Ioh. Lindwall*, ibid. 4.

Eiusd. Inuenta quaedam chemica recentiora. Reſp. *Ioh. Gråå*, ibid. 4.

Eiusd. Diſp. de fatis ſcientiae chemicae ſub epocha Patrum. Reſp. *Io. Erling.* ibid. 4.

Eiusd. Diſp. Remorae incrementorum ſcientiae chemicae. Reſp. *Car. Avellan.* ibid. 4.

SAM.

SAM. GARLAND, Disp. inaug. de medicamentis adſtringentibus. Edinburgi, 8.

IO. IAC. GASSER, Disp. inaug. de viribus naturae humanae actuoſis, Lugd. Bat. 4.

Lettre de Mr. GATTI, a Mr. ROUX, a Paris, 12.

Inſtitutiones pathologiae medicinalis, auctore HIER. DAV. GAUBIO. Edit. altera, Leid. Batav. 8. mai.

Eiusd. Serm. Acad. alter, de regimine mentis, quod medicorum eſt. ib. 4.

IO. HENR. GAUDELIUS, Disp. inaug. de hydrocephalo, Goetting. 4.

IO. CAR. GEHLER, Progr. de vſu macerationis ſeminum in plantarum vegetatione, Lipſ. 4.

Pinaeani manes, ſiue dilucidationes vberiores circa ſigna virginitatis atque perſpicua hymenis illibati teſtimonia, obſeruationibus et notis haud vulgaribus adornati. Roſtoch. 4. (*Auctore, vt ex dedicatione apparet,* CAR. GODOFR. GELLER, M. D).

Eiusd. Scrutinium phyſico-medicum de tuſſi epidemica infantum conuulſiua, anno 1757 in ducatu Megapolitano furente, raris plane et ſingularibus obſeruata ſymptomatibus. ibid. 4.

Fortſetzung der Abhandlung von der Materia medica, des Herrn STEPH. FRANZ GEOFFROY. *Fünfter Theil, von den innländiſchen Pflanzen. Sechſter Theil, von den Thieren, aus dem franzöſiſchen überſezt, Leipz.* 8. *Voll.* 2.

Triga diſſertationum phyſico-medicarum, auctore D. CARL. ABR. GERHARD. Berolini, 8.

Eiusd. *Die Bärentraube chymiſch-mediciniſch entworfen,* ibid. 8.

IO. GESNER, Disp. Phytographiae ſacrae generalis Pars practica tertia, Turici, 4.

Das neueſte aus dem Reiche der Pflanzen, nach den Beobachtungen und Zeichnungen des Hrn. geheimen Raths, Freyherrn VON GLEICHEN *erſte Ausgabe*

mit 11 *illuminirten Kupfern*, 2*te Ausgabe*, *mit* 8 *illuminirten Kupfern*, *Nürnberg*, *fol.*

PHIL. FRID. GMELIN, Disp. inaug. de probato tutoque vſu interno vitrioli ferri factitii, aduerſus haemorrhagias ſpontaneas largiores. Reſp. *Car. de Olnhauſen*, Tubingae, 4.

Eiusd. Disp. inaug. de analepticis quibusdam nobilioribus e cinnamomo, aniſo ſtellato et aſa foetida. Reſp. *Sam. Gottl. Gmelin.* ibid. 4.

Eiusd. Disp. inaug. de cholelithis humanis. Reſp. *Frid. Lud. Hochſtetter,* ibid. 4.

VRSUS VICTOR GOBENSTEIN, Disp. de lue venerea, Monspelii, 4.

FRID. GEBH. THEOD. GOENNER, Disp. inaug. de ſanguinis mutata diſtributione ex aetatum viciſſitudine, Halae, 4.

FRANC. IOS. BALTH. GOERING, Disp. inaug. de hymene. Argent. 4. c. tab. aen.

SAWAS GORGOLIUS, Disp. inaug. exhibens generalem recidiuarum pathologico-practicam conſiderationem, Halae. 4.

Oeuvres de Chirurgie par M. GOULARD. a Paris, 12.

IO. DAN. GRAU, Diſp. ſiſtens vis vitalis ſpecimen primum. Reſp. *Io. Ludolf. Franck.* Goetting. 4.

Eiusd. *Abhandlung von Wundmitteln*, *Lemgo*, 8.

Eiusd. *Heterodoxe Sätze aus der Arzneygelahrheit* 1. *Stück*, *Frankf. und Leipz.* 8.

Zoophylacii Gronouiani Faſciculus primus, exhibens animalia quadrupeda, amphibia, atque piſces, quae in muſeo ſuo adſeruat, rite examinauit, ſyſtematice diſpoſuit, deſcripſit atque iconibus illuſtrauit LAURENT. THEOD. GRONOVIUS, Lugd. Bat. fol. c. tab. aen.

ANTON DE HAEN, *Abhandlung von Fiebern. Kopenhagen*, 8.

Lettre de Mr. DE HAEN a un de ſes amis au ſujet de la lettre de Mr. TISSOT, a Vienne, 8.

Eiusd. Diſp. med. ſiſtens examen tritiſſimi prouerbii: medicina turpis disciplina. Edit. 2. ibid. 8.

Eiusd. Pars octaua rationis medendi in noſocomio practico, quod in gratiam et emolumentum medicinae ſtudioſorum condidit MARIA THERESIA. ibid. 8.

Eiusd. Libri Pars V. Edit. 2. ib. 8.

Elementa phyſiologiae corporis humani. Auctore ALB. V. HALLER. Tomus V. Senſus externi, interni. Lauſannae, 4.

GEORG. ERHARD. HAMBERGERI methodus medendi morbis, edidit ac ſimul de praeſtantia theoriae HAMBERGERI prae ceteris praefatus eſt ERNEST. GODOFR. BALDINGER. Ien. 8.

Herrn DU HAMEL DU MONCEAU *Abhandlung von Bäumen, Stauden und Sträuchern, welche in Frankreich in freyer Luft wachſen; überſezt und mit Anmerkungen verſehn von* CARL CHRIST. OELHAFEN *von Schellenberg. 2ter Theil. Nürnb,* 4. *m. K.*

L' Art du Tuilier et du Briquetier par Mr. DU HAMEL, FOURCROI et GALLON. a Paris, fol. avec fig.

IOH. IAC. HARTMANNS *gründliche Anweiſung zu einem Obſt oder Baum- auch Küchengarten.* 4 *Theile. Erfurt,* 8.

PETR. IMM. HARTMANN Diſp. inaug. ſiſtens obſeruationes ad cicutae, mercurii ſublimati et phosphori vſum internum pertinentes. Reſp. *Georg. Henr. Hudemann.* Helmſtad. 4.

Hiſtoria medica trium morborum, qui anno 1760 frequentiſſime in noſocomio occurrebant. Cui adiecta eſt notabilium obſeruationum anatom. decas. Auctore I. GEORG. HASENOEHRL. Noua Edit. Viennae, 8.

LAUR. HEISTERI compendium medicinae practicae. Venet. 8.

Eiusd. *Practiſches mediciniſches Handbuch, oder kurzer, doch gründlicher Unterricht, wie man die innerlichen Krankheiten am beſten curiren ſoll, nebſt einer Abhandlung von der Vortreflichkeit der mechaniſchen Arzneylehre. Neue verbeſſerte Auflage. Leipzig.* 8.

IOACH. FRIDR. HENKELS *achte Sammlung ſeiner mediciniſchen und chirurgiſchen Anmerkungen, mit Kupfern. Berlin,* 4.

Herrn CHRIST. WILH. VON HEPPE *einheimiſch und ausländiſch wohlredender Iäger, nebſt nüzlichen und luſtigen Anmerkungen Regensburg.* 8. mai

IOAN. GOTTHELF HERRMANN commentatio epiſt. de olerum vernalium praeſtantia. Lipſ. 4.

ANSELM. FRANCISC. HEUSCHEN, Disp. inaug. ſiſtens obſeruationes quasdam de variis et miris ſymptomatibus ex nimia ſyſtematis neruoſi mobilitate oriundis. Vindobonae, 4.

The Vegetable Syſtem: or the Internal Structure, and the Life of Plants, their Parts and Nouriſhment explained; their Claſſes, Ordres, Genera and Species, aſcertained and deſcribed; in a method altogether new. Comprehending an Artificial Index, and a Natural Syſtem. With Figures of all the Plants, deſigned and engraved by the Author. The whole from nature only; by IOHN HILL. Vol. V. containing the entire Claſs of Aggregate or Cluſter-headed Plants. With Obſervations on a natural method, ſo far as il regards the Connection of the Claſſes; on the Production and Propagation of Muliſh or Intermediate Plants; and on certain Plants, which are commun to England and America. London. fol. mai.

D. L. E. HIRSCHELS *Betrachtung, ob die Wirkung des Mercurii ſublimati corroſiui in den veneriſchen*

Krankheiten innerlich gegeben, gegründet ſey? nebſt einer Erwehnung der Cicuta. Berlin, 8.

HOADLY *und* WILSONS *Mitglieder der Königl. Geſellſchaft der Wiſſenſchaften in Londen, Betrachtungen über eine Reihe electriſcher Verſuche, nach der zweyten von Hrn.* WILSON *verbeſſerten und vermehrten Ausgabe aus dem engliſch. überſezt. Leipz.* 8.

IO. CASP. HOERMANN, Diſp. inaug. de arteriarum flexuoſo progreſſu. Lipſ. 4.

FRID. HOFFMANNI Opera omnia, pridem in XII tomos diſtributa, nunc vero XIII aliis ſupplementorum voluminibus adaucta. Tom. 25. Neapoli. 4.

FRANZ HOMES *Grundſätze des Ackerbaues und des Wachsthums der Pflanzen, aus dem engl. überſezt und mit Anmerkungen begleitet von* IOH. CHRIST. WOELLNER. *in Halberſtadt,* 8.

IO. IAC. HUBERI Inuitatio ad ſcholas ſuas, cui apponit animaduerſiones nonnullas anatomicas. Caſſellis, 4.

NICOL. IOSEPHI IACQUIN Selectarum ſtirpium Americanarum hiſtoria, in qua ad Linnaeanum ſyſtema determinatae deſcriptaeque ſiſtuntur plantae illae, quas in inſulis Martinica, Jamaica, Domingo, aliisque et in vicina continentis parte, obſeruauit rariores; adiectis iconibus in ſolo natali delineatis. Vindobonae, fol.

GUIL. IASOLINO di rimedi naturali, che ſono nell Iſola di Tithecuſa, oggi detta Iſchia, con molte eſperienze ed iſtorie. Napoli, 4.

Conſultations de Medecins et autres Pieçes publiées par Mr. JOLY, pour ſervir de reponſe a un ecrit, inprimé de Mr. COSTE. a Geneve, 12.

FRID. CHRIST. IUNCKER, Diſp. inaug. cordis morbos proprios in tabula exhibens. Reſp. *Geo. Chriſt. Böckmann.* Halae, 4.

FRID.

FRID. CHRIST. IUNCKER, Disp. inaug. ſiſtens raram epilepſiae ſpeciem. Reſp. *Ern. Wilh. Horn.* Halae, 4.

Eiusd. Disp. inaug. de diuerſa exanthematum indole. Reſp. *Chriſt. Frid. Rüdiger.* ibid. 4.

Eiusd. Disp. inaug. de paralyſi thoracis. Reſp. *Dav. Chriſt. Siebenhaar.* ibid. 4.

PETER KALM Disp. Kännemärken tit rika käll och' wallu-ädror. Aboae, 4.

Eiusd. Norra Americanska färg-örter. ibid. 4.

CAR. FRID. KALTSCHMIED, Disp. inaug. de ſugillatione a cauſſa interna. Reſp. *Gottl. Fried. Stuſs.* Ienae, 4.

Eiusd. Disp. inaug. de catarrho ſuffocatiuo. Reſp. *Guſtav. Frid. Iaegerſchmid.* ibid. 4.

CHRIST. ERHARD KAPPII epiſtola, in qua motum humorum in plantis cum motu humorum in animalibus comparat. Lipſiae, 4.

HENR. KENNES Disp. inaug. ſiſtens cogitationes varias circa modum agendi medicamentorum in genere. Argent. 4.

Collection de differens merçeaux ſur l'Hiſtoire Naturelle et Civile des Pays du Nord; ſur l'Hiſtoire naturelle en general; ſur d'autres Sciences; ſur differens Arts: traduits de l'Allemand, du Suedois, du Latin; avec de Notes du Traducteur par Mr. DE KERALIO, Capitaine Aide Major a l'Ecole Royale militaire etc. Tome I. a Paris, 12.

FRANC. ANT. KESZLER Disp. inaug. de viola. Vindob. 8.

An Eſſay on the method of ſuppreſſing Haemorrhages from divided Arteries, by THOM. KIRKLAND. London. 8.

Beyträge zur allgemeinen und natürlichen Inſectengeſchichte, von CHRIST. FRIDR. CARL KLEEMANN. *Nürnb. in 4. mit ausgemahlten Kupferplatten.*

IO. HENR. KLEIN, Disp. inaug. ſiſtens caſum rhachitidis congenitae, obſeruatae in infante varie monſtroſo. Argent. 4.

IO. HIERON. KNIPHOFII Botanica in originali, ſeu Herbarium viuum, in quo plantarum tam indigenarum, quam exoticarum peculiari quadam operoſaque enchireſi, atramento impreſſorio obductarum, nominibusque ſuis ad methodum LINNAEI et LUDWIGII inſignitarum, elegantiſſima ectypa exhibentur, opera et ſtudio IO. GODOFR. TRAMPE. Centuria X. Halae, folio.

IO. FRID. KNOLLE Disp. inaug. de oſſium carie venerea. Lipſ. 4. c. tab. aen.

IO. IAC. KOELMAN Disp. inaug. ſiſtens breuem conſpectum virium naturae humanae medicatricium. Lugd. Bat. 4.

IOSEPH GOTTLIEB KOELREUTER, *Fortſetzung der vorläufigen Nachricht von einigen das Geſchlecht der Pflanzen betreffenden Verſuchen und Beobachtungen. Leipz.* 8.

IOACH SALOM. KOREFF Disp. icteri theoria noua. Hal. 4.

CAR CHRIST. KRAUSE Disp. inaug. de deriuatione ac reuulſione humorum per ſanguinis detractionem impetrandis. Reſp. *Godofr. Benedict. Schmiedlein.* Lipſ. 4.

IO. HENR. KRONAUER, Disp. inaug. de natura et compoſitione ſanguinis humani ſani. Argent. 4.

Die erſten Gründe der Naturlehre auf eine leichte und angenehme Art zum Gebrauch der Iugend entworfen von IOH. GOTTLOB KRÜGER. *Halle und Helmſtädt,* 8.

Eiusd. *Naturlehre nebſt Kupfern und vollſtändigen Regiſter. Erſter Theil,* 4*te Auflage. Halle im Magdeburg.* 8.

Ebenderſelben zweyter Theil. 3*te Auflage.* ibid. 8.

IOH.

IOH. MELCH. KÜHNS *Abhandlung von der höchſt nöthigen Conſervation des Holzes, aus verſchiedenen Forſtverordnungen dargethan, nebſt Gedanken von der Güte und Nutzbarkeit des Laub und Nadelholzes etc. Nürnberg,* 8.

L'Art du Chamoiſeur par Mr. DE LA LANDE. a Paris, fol. avec fig.

CARL VON LANGEFELD *Anmerkungen von den im Thüringer Wald befindlichen Nadelhölzern, der Tanne, der Fichte und dem Kienbaum. Nürnb. m. K.*

Deutliche Anweiſung, wie man ſich im Nothfalle ſelbſten von den gefährlichſten und meiſten Krankheiten befreyen könne; abgefaßt von DAN. LANGHANS. 3*ter Theil. Bern,* 8.

WENC. IO. NEPOM. LANGSVERT Theoria medica de arteriarum et venarum in corpore humano adfectionibus. T. I. Pragae, 4. mai.

Traitemens des maladies internes et externes, traduits du latin de Mr. LAZERME, avec les formules en latin et en françois, augmentés d'un traité des maladies veneriennes, par Mr. DIDIER DESMARETS. 2. Edit. revue et corrigée. a Paris, 12. Voll. 2.

MARTIN FROBEN LEDERMÜLLERS *Dritte Sammlung der Nachleſe microſcopiſchen Gemüths und Augenergötzung.* (His ſpicilegiis communis nunc praefixus eſt titulus). *Der microſcopiſchen Gemüths und Augenergötzung drittes Funfzig.* (*Nürnberg*); 4. c. tab. aen. viv. color. pictis.

Corſo di Chimica, e Trattato dell' Antimonio di NICOLO LEMERY: Nuova edizione corretta ed accreſciutta colle giunte del Autore. T. I. II. III. in Venezia. 8. Voll. 3.

Commercium philoſophico-technicum; or the philoſophical Commerce of Arts: deſigned as an Attempt to improve Arts, Trades and Manufactures;

res; by W. LEWIS M. B. and F. R. S. London. 4.

Nouveaux Amuſemens des Eaux de Spa, ouvrage inſtructif et utile a ceux, qui vont boire ces eaux minerales ſur les lieux, orné de figures en taille douce, par I. P. DE LIMBOURG. a Paris et Liege. 12 av. fig.

Diſſertation ſur les douleurs vagues, connues ſous les noms de Gouttes vagues et Rhumatiſmes goutteux, laquelle à remporté le prix au jugement de MM. les Docteurs Regens de l'etroite Faculté de Medecine de l'Univerſité de Louvain par *le meme*, a Liege, 8.

Two Papers on fevers and infection by IAMES LIND. London. 8. mai.

CAROLI LINNAEI amoenitates academicae, ſeu diſſertationes variae phyſicae, medicae, botanicae, antehac ſeorſim editae, nunc collectae et auctae cum tab. aen. Vol. VI. Holmiae, 8. mai.

Eiusd. Genera morborum in auditorum vſum edita. Vpſal. 8.

Eiusd. Species plantarum, exhibentes plantas rite cognitas, ad genera relatas, cum differentiis ſpecificis, nominibus triuialibus, ſynonymis ſelectis, locis natalibus, ſecundum ſyſtema ſexuale digeſtas. Tom. II. Edit. 2da aucta. Holmiae, 8.

Eiusd. Disp. Raphania. Reſp. *Georg. Rothmann.* Vpſal. 4.

Eiusd. Disp. Fructus eſculenti. Reſp. *Io. Salberg.* ibid. 4.

Eiusd. Disp. Lignum Quaſſiae. Reſp. *Car. M. Blom.* ibid. 4.

Eiusd. Disp. Prolepſis plantarum. Reſp. *Io. Iac. Ferber.* ibid. 4.

Eiusd. Disp. Centuria inſectorum rariorum. Reſp. *Br. Iohannſen.* ibid. 4.

CAR.

CAR. LINNAEI Disp. Motus polychreſtus. Reſp. *Chriſt. Lado.* Vpſal. 4.

CAROL. V. LINNE' Fil. Decas ſecunda plantarum rariorum horti Vpſalienſis, ſiſtens deſcriptiones et figuras plantarum minus cognitarum. Stockholmiae, fol.

ANTON. LIZZARI D. M. Animaduerſiones ad nonnulla HIPPOCRATIS loca, ex Epidemiorum libris decerpta, ſpectantes. Venet. 8.

Supplementa alla ſtoria delle Malattie acute, occorſe negl' anni 1761 e 1762, ſcritto in lettera ad un Amico da ANT. LIZZARI Medico. ibid. 8.

IO. MARTIN LOERSCH Disp. inaug. metaſtaſin ad caput cum trepano ſpontaneo explicans. Argent. 4.

IOH. LUDW. LEBERECHT LOESEKE *Abhandlung der auserleſenſten Arzneymittel. Dritte und verbeſſerte Ausgabe. Mit Anmerkungen verſehen und mit einer Tabelle vermehrt, von* A. S. GUMPERZ, *d. A. D. Berlin,* 8.

Eiusd. Therapia ſpecialis interna, *oder gründliche Anweiſung zur Erkänntniß und Cur der innerlichen Krankheiten des menſchlichen Körpers. Vierter Theil, welcher die Lehren von den Krankheiten der äußerlichen Theile, der Schwangern, der neugebohrnen Kinder und der abgelebten Leute enthält. Nebſt einem Anhange und einem Regiſter über ſämmtliche Theile dieſer Therapie. Dresden und Warſchau,* 8.

IO. MICH. LORENZ Progr. quo memoriam IOAN. GEORG. ROEDERERI poſteris commendat. Argent. 4.

Memoire ſur une queſtion anatomique relative a la Iurisprudence, dans lequel on etablit les principes, pour diſtinguér a l'inſpection d'un corps trouvé pendu les ſignes du ſuicide, d'avec ceux de l'aſſaſſinat; par Mr. LOUIS. Prof. Roy. de

Chirurg. Cenſ Royal, Chirurgien Conſultant des Armées du Roy. a Paris, 8.

IO. ALB. AUG. LUCIE Disp. inaug. de partu difficili in grauidis aſciticis. Halae, 4.

IO. CONR. LÜDERSS Disp. inaug. de educatione liberorum medica. Goetting. 4.

CHRIST. GOTTLIEB LUDWIG Progr. de immoderatis excretionibus cauſſa debilitatis in morbis. Lipſiae, 4.

Eiusd. Disp. inaug. de contentione ſtudiorum ad ſanitatis normam moderanda. Reſp. *Io. Wenke.* ibid. 4.

Eiusd. Progr. de nimiis haemorrhagiis, cauſſa debilitatis in morbis. ibid. 4.

ISRAEL LYONS Iun. Faſciculus plantarum circa Cantabrigiam creſcentium, quae poſt RAYUM obſeruatae fuere. Lond. 8. mai.

HENR. IACOB MACQUART Quaeſt. med. vtrum domos nuper exſtructas habitare noxium? aff. Reſp. *Matth. Thom. la Caſſaigne.* Pariſ. 4.

Art de la Teinture en Soie par Mr. MACQUER. a Paris. fol. c. 6. tab. aen.

THOM. AQUINAS MAG-RATH Disp. inaug. de grauidarum morbis. Vindob. 8.

Die mediciniſche Chymie, welche in ſich enthält die Weiſe, wie man die gewöhnlichen Arzneyen bereiten, und zur Heilung der Kranken anwenden ſolle, verfertiget von Hrn. MALOUIN, *2ter Band. Nach der neueſten Ausgabe aus dem franzöſiſchen überſezt von* D. G. HEINR. KÖNIGSDÖRFER. *Altenb.* 8. mai.

CHRIST. ANDR. MANGOLD Disp. de ingenti exanthematum acutorum differentia, quoad cauſſam et curationem. Erford. 4.

Abhandlung vom Hanf, denen Manufacturiers, Kauf- und Handelsleuten, und insgemein allen hohen und niedern Hauswirthen zur unentbehrlichen Nachricht und

und ungemeinen Nutzen aus dem franzöſ. des Hrn. MARCANDIER *überſezt. Nebſt freyen Auszügen anderer Schriften, von der in Deutſchland üblichen mannigfaltigen Cultur, Bearbeitung, Nutzen und Gebrauch dieſer edlen Pflanze. Freyſtadt.* 8.

Chemiſcher Verſuch des Niederoeſterreichiſchen Baadener Baades, deſſen ſowohl innerlich, als äußerlichen Würkung und durch Mißbrauch deſſelben ohnfehlbar folgenden Schaden; nebſt einem neu erfundenen und ſehr nützlichen mineraliſchen Salze; verfaſſet von FRANCISCO XAVERIO DE MARE. *Wien*, 8.

P. ROLAND MARTIN Or. Tal om Nervers allmänna Egenſkaper i Männiſkans Kropp. Stockholm. 8. mai.

MAUR. MARC. MARTINI Diſp. inaug. de nimio et improuido corticis Peruuiani in febribus intermittentibus vſu. Bucephaliae. 4.

The Magazine of Art and Sciences by BENIAMIN MARTYN. 1763. Part I-XII. London. 8.

Plantae Cantabrigienſes: or a Catalogue of the Plants, which grow wild in the County of Cambridge, diſpoſed according to the Syſtem of LINNAEUS. Herbationes Cantabrigienſes: or Directions to the Places, where they may be found, comprehended in thirteen Botanical Excurſions. To which are added Liſts of the more rare Plants, growing in many Parts of England and Wales. By THOMAS MARTYN. M. A. Fellow of Sidney College and Profeſſor of Botany in Cambridge. London. 8.

Lectures upon the Heart, Lungs, Pericardium, Pleura, Aſpera Arteria, Mediaſtinum, Diaphragma, by ST. MASON. London. 8. mai.

Egli oſſei tumori trattato di MATANI in Piſa. 8.

Nouvelle methode de cultivér la Vigne, plus oeconomique et plus favorable a la perfection du vin, que

que la methode ordinaire, prouvée par des experiences; par le Sr. MAUPIN. a Paris.

Sendſchreiben von der Ausrottung derer Kinderblattern von FRIDR. CASIM. MEDICUS. *Frankfurt und Leipz.* 8.

Plantarum rudimenta, ſiue illarum methodus, ducta ex differentia earum ſeminum, cotyledonum, aliarumque partium, quae breui tempore poſt earum propullulationem ac vlterius incrementum in iis conſpiciuntur; quorum omnium vtilitatem praefatio ſatis ſuperque lectorem docebit. Inueſtigata effecta ac compoſita a DAVIDE MEESE, Hortulano in hort. med. Acad. Friſiacae, quae eſt Franeckerae. Ima Pars. Num. I. Leouardiae, 4. c. tab. aen. viv. color. pict.

DAN. MELANDER Disp. de atmoſphaera tellurem ambiente. Pars I. Reſp. *Io. Lindſtroem.* Vpſal. 4. Pars II. Reſp. *Dan. Hallencreuz.* ib. 4. Pars III. Reſp. *Petr. Bergſtröm.* ib. 4.

Recueil de Queſtions propoſées a une Societé des Sciences, qui par Ordre de ſa Majeſté Danoiſe font le Voiage de l'Arabie, par Mr. MICHAELIS, traduit de l'Allemand. a Francfort. 8.

IO. NICOL. MILLIN DE LA COURVEAULT Quaeſt. med. an optima morborum προφύλαξις, inedia? aff. Reſp. *Ioſeph Philip.* Pariſ. 4.

HENR. MICH. MISSA Quaeſt. med. an Pariſinis praeſertim interdum ruſticari? aff. Reſp. *Car. Lud. Franciſc. Andry.* ibid. 4.

Memoire ſur quelques experiences d'Agriculture par M. I. M. MONNIER. a la Rochelle. 8.

LUD. GUIL. LE MONNIER Quaeſt. med. an cancer vlceratus cicutam eludit? aff. Reſp. *Car. Lud. Franciſc. Andry.* Pariſ. 4.

Anatomy of the Human Bones, Nerves and Lacteal Sac and Duct. Corrected and enlarged in

in the 7th Edition. by ALEXAND. MONRO. Edinburgh. 12 mai.

Eiusd. Tractatus tres, de neruis eorumque diſtributione, de motu cordis et ductu thoracico, latine redditi a G. COOPMANS, M. D. qui praeter commentarium perpetuum adiecit librum de cerebri et neruorum adminiſtratione anatomica. Editio altera. Harlingae, 8.

IO. BAPT. MORGAGNI Opuſcula miſcellanea, quorum non pauca nunc primum prodeunt, tres in partes diuiſa. Pars I. II. III. Venetiis, fol.

IO. MORGAN Πυοποίεσις, ſiue tentamen medicum de puris confectione. Edinburgi. 8.

PETR. IOSEPH MORISOT DESLANDES Quaeſt. med. an ſiccitas aeris Pariſini ſalubris, ſi diuturnior inſalubris? aff. Reſp. *Franciſc. Thiery de Buſſy.* Pariſiis, 4.

IO. RUDOLPH. MÜLLER Disp. inaug. de thermis Schinzacenſibus. Baſil. 4.

Veel Hoofden veel Zinnen, of wysgeerig onderzoek van het Verſchilt der menſchelyke Gemoederen ten ānzien van hun Verſtand, Ville, Oordul, Denken, Doen en Spreeken, Mitsgaders den Invloed van dien in den Burgerſtaat tot eene aanleidinge, zig zelos en andere te leeren kennen en te verbeteren. Ontworpen door P. L. ST. MÜLLER etc. Amſterdam, 8.

DIETER. MUMSSEN Epiſt. qua lentarum obſtructionum theoriam delineat. Lipſ. 4.

IO. ANDR. MURRAY Disp. inaug. expendens fata variolarum inſitionis in Suecia. Goetting. 4.

SAM. MUSGRAVE Disp. inaug. ſiue apologia pro medicina empirica. Lugd. Bat. 4.

ERN. IER. NEIFELDII ſpecimen II. phyſico-medicum, de ſecretione humorum in ſpecie, ex mechanica

chanica ſolidorum ſtructura, fluidorumque genio demonſtrata. Glogaviae, 8.

ERN. ANT. NICOLAI Disp. inaug. de catarrho ſuffocatiuo. Reſp. *Mich. Theophil. Trangus.* Ien. 4.

Eiusd. Progr. III. et vltimum de cauſſis pelluciditatis partium corporis humani praeſentis et ſublatae. ibid. 4.

Eiusd. Progr. II. et vltimum de deliriis. ibid. 4.

Eiusd. Disp. inaug. de deriuatione ac reuulſione. Reſp. *Gerh. Fridr. Spechels.* ib. 4.

Eiusd. Disp. inaug. de diuerſis doloris capitis ſpeciebus. Reſp. *Io. Wilh. Weinek.* ib. 4.

Eiusd. Disp. inaug. de habitu faciei, vt ſigno. Reſp. *Io. Lud. Hammes.* ib. 4.

Eiusd. Progr. de notione morbi maligni. ib. 4.

Eiusd. Disp. inaug. de ortu effectuum inprimis febrium ex irritatione. Reſp. *Samuel Fridr. de Drauth.* ib. 4.

Eiusd. Progr. de virtutibus ſulphuris antimonii aurati. ib. 4.

ADAM NIETZKI Disp. de febrium intermittentium ſymptomatibus quibusdam acutis. Reſp. *Io. Henr. Seyler.* Halae, 4.

Eiusd. Disp. de motibus febrilibus febrium intermittentium indoli analogis. Reſp. *Frider. Gebh. Theodor. Goenner.* ib. 4.

IO. PHILIP. NONNE Flora in territorio Erfordenſi indigena. Erford. 8.

GEORG. ADOLPH OSTERTAG, Disp. inaug. de metromania. Argent. 4.

IOH. IACOB OTTS Dendrologia Europae mediae, *oder Saatpflanzung und Gebrauch des Holzes; nach denen Grundſätzen des Hrn.* DU HAMEL. *Zürch.* 8.

SIMON PALLAS *Anleitung zur practiſchen Chirurgie, zum Gebrauch ſeiner Zuhörer herausgegeben. Berlin und Stralſund,* 8.

Ratio

Ratio facilis atque tuta narium curandi polypos. (*Auctore* NAT. IOSEPH PALUCCI). Viennae. 8. mai. c. tab. aen.

Eiusd. Deſcriptio noui inſtrumenti pro cura cataractae. ib. 8. mai.

NICOL. PARADYS Disp. inaug. ſiſtens ſpecimen pathologicum, quo inquiritur in naturam inflammationis Lugd. Bat. 4.

Eſſay ſur l'amelioration des terres, par PATULLO. a Amſterdam. 8. avec fig.

Anweiſung zur Verbeſſerung des Ackerbaues und der Viehzucht, aus dem franzöſiſchen des PATULLO. *Frankfurth am Mayn.* 8. *m. K.*

Traité de Paix entre DESCARTES et NEWTON, precedé des vies litteraires de ces deux Chefs de la Phyſique moderne; par Mr. le P. AIMÉ HENRI PAULIAN, Profeſſeur de Phyſique au Collége d'Avignon. T. I. II. III. a Avignon. 12. Voll. 3.

IO. CHRIST. PETERSEN Disp. inaug. de cortice Peruviano. P. 2. Gryphiswald. 4.

M. VAN PHELSUM Natuurkundige Verhandeling over de Wormen, welke veeltyts in de Darmen der Menſchen gevonden worden. te Leuwarden. 8. c. tab. aen.

IANI PLANCI, *Ariminenſis*, de duplici Thetyi genere et de manu marina. Siena, fol.

ANTON. GUIL. PLAZ, Progr. II. III. de paedantismo medico. Lipſ. 4.

Eiusd. Progr. de plantarum virtute medica, ex ipſarum charactere botanico haud cognoſcenda. ib. 4.

Eiusd. Progr. de ſaccharo. ib. 4.

Eiusd. Disp. inaug. de vulgatiorum remediorum vſu non reiiciendo. Reſp. *Car Traugott Baudius.* ib. 4.

IO. CHRISTOPH. POHL, Progr. de effuſis in cerebro aquis. ib. 4.

10. ADAM POLLICH Disp. inaug. de nutrimento, incremento, ſtatu, ac decremento corporis humani. Argent. 4.

Traité ſur la Culture des Muriers blancs, la maniere d'elevér les Vers a ſoie, l'uſage, qu'on doit faire de Cocons, par Mr. POMIER, Ingenieur des Ponts et Chauſſées d'Orleans, a Orleans, 8. avec. fig.

Traité des Affections Vaporeuſes des deux Sexes; ou l'on a taché de joindre a une theorie ſolide une pratique ſure, fondée ſur des obſervations: par Mr. POMME, fils, Docteur en Medecine, de l'Univerſité de Montpellier, Reſident a Arlés en Provence. a Lyon. 8. min.

Eſſai ſur la rage, lû dans la Seançe de l'Acad. des Sciences, belles Lettres et Arts de Lyon, tenue le mardi 24 Mai 1763. Par Mr. POUTEAU le fils, a Lyon. 8.

Maiſon Ruſtique a l'uſage des Habitans de la partie de la France equinoxiale, connue ſous le nom de Cayenne; par Mr. DE PREFONTAINE, ancien Habitant, Cheval. de l'Ordre de S. Louis, Commendant de la partie du Nord de la Guyane. a Paris, 8.

ALEXIUS PROTASOW, Disp. inaug. de actione ventriculi humani in ingeſta. Argent. 4.

IOSEPH LIBORIUS PUDELKO Disp. inaug. de ſaliua. Viennae, 8.

Specimen hiſtoriae naturalis globi terraquei, praecipue de nouis e mare natis inſulis et ex his exactius deſcriptis et obſeruatis vlterius confirmanda Hookiana telluris hypotheſi, de origine montium et corporum petrefactorum, cum figuris aeneis; Auctore RUDOLPH. ERICO RASPE etc. Amſtelod. et Lipſiae, 8. mai.

Reflexions

Reflexions ſur l'Inoculation de la petite Verole et ſur les moyens, qu'on pourroit employer, pour delivrér l'Europe de cette maladie. Memoire, lû le 19 Juillet 1763 dans l'Acad. des Sciences, Bell. Lettres et Arts de Lyon, par Mr. RAST, fils, a Lyon, 12.

SIM. RATHBERGER Diſp. inaug. de inſtituendo examine aegri. Vindobonae, 8.

Le nouvel Art d'adoucir le fer fondu, par Mr. DE REAUMUR; au quel on a joint le Traité de la Forge des Enclumes par Mr. DU HAMEL. a Paris, fol. avec fig.

Il Bacco in Toſcana di FRANCESCO REDI, con le annotazione e con l'aggiunta di Cl. BRINDIFIAC MONTI, Accademico Filopono. 12.

The principles and conſtituence of Antimony, by WILL. REDMOND. London. 8.

Methode reſolutive de guerir la Verole et les Gonorrhées virulentes, avec les differens accidens, qui accompagnent ces maladies, a l'uſage des Hopitaux; par Mr. DE REYNAL, ancien Chirurgien Major des Troupes et des Hopitaux du Roi. a Paris, 12.

Eſſai ſur la methode de guerir les fievres putrides, malignes intermittentes, et generalement toutes les fievres d'acces; par *le même* a Paris, 12.

CAR. RICHARDSON Diſp. inaug. de malo hyſterico. Edinburgi, 8.

GEO. GOTTLOB RICHTER, Diſp. inaug. de valetudine hominis nudi et cooperti. Reſp. *Beyfus Anſelmus Schloß*. Goett. 4.

IO. BAPT. FRANCISC. DE LA RIVIERE Quaeſt. med. an iunioribus connubium? neg. Reſp. *Franciſc. Ioſeph. Collet.* Pariſ. 4.

Recherches ſur la nature et l'inoculation de la petite verole, par Mr. ROBERT, Doct. Reg. en la

Fac. de Med. de l'Univerſ. de Paris. a la Haye et a Paris, 12.

An Account of the firſt Diſcovery and Natural Hiſtory of Florida etc. by WILLIAM ROBERT. London.

IO. FRIDER. RODENBERGER Disp. inaug. de corticis Peruviani praeſtantia in variis morbis. Argent. 4.

IO. GEORG. ROEDERERI Opuſcula medica, Tom. 2. Goetting. 4.

Eiusd. Elementa artis obſtetriciae in vſum praelectionum academicarum aucta et emendata. Coloniae Allobrog. 8.

Journal de Medecine, Chirurgie, Pharmacie etc. par Mr. A. ROUX, etc. Janvier - Decembre 1763. Tom. 18. 19. a Paris, 8. avec fig.

Obſervations d'Hiſtoire naturelle, de Medecine et de Phyſique, tirées de Melanges intereſſans et curieux, ou Abregé d'Hiſtoire naturelle, Morale, Civile, et Politique de l'Aſie, l'Afrique, l'Amerique et des Terres Polaires; par Mr. R. D. S. a Paris, 12. Voll. 2.

Traité abregé de Phyſique a l'uſage des Colleges, par Mr. DE SAINTIGNON, Procureur General des Chanoines Reguliers de la Congregation de notre Sauveur, de la Societé Roy. des Sciences et des Arts de Metz, etc. Tom. I – VI. a Paris, 12. Voll. 6.

IOEL SALOMON Disp. inaug. de cicutae agendi modo in corpus humanum, eiusque inde deducta virtute medica. Halae 4.

Comes ALTHAN DE SALVAROLO della Somiglianza, che paſſe tra il regno vegetabile ed il regno animale. Venezia.

Dictionnaire univerſel de Commerce, d'Hiſtoire Naturelle et des Arts et Métiers, contenant tout ce,

qui

qui concerne le Commerce, qui ſe fait dans les quatre parties du Monde, par IACQUE SAVARY DES BRUSLONS: nouvelle Edition, exactement revue, corrigée et conſiderablement augmentée. Tom. V. a Coppenh. fol.

Noſologia methodica, ſiſtens morborum claſſes, genera et ſpecies, iuxta SYDENHAMI mentem, et Botanicorum ordinem. Auctore FRANCISC. BOISSIER DE SAUVAGES. Tomus I. II. Pars 1. 2. Tom. III. Pars 1. 2. Amſtelod. 8. mai.

SAMUEL SCHAARSCHMIDT *Abhandlung von Wunden, vermehrt herausgegeben von* D. ERNST GOTTFR. KURELLA. *Berlin und Stralſund*, 8.

D. IAC. CHRIST. SCHAEFFERI fungorum, qui in Bavaria et Palatinatu circa Ratisbonam naſcuntur, icones natiuis coloribus expreſſae. Tom. II. cum indice. Ratisbonae, 4. mai. (*latine atque teutonice*).

Eiusd. *Neu entdeckte Theile an Raupen und Zweyfaltern, nebſt der Verwandlung der Hauswurzraupe zum ſchönen Tagvogel mit rothem Augenſpiegel. 2te Aufl. m. 2 illumin. Kupfert. Regenſp.* 4.

Eiusd. *Verſchiedne Zwiefalter und Käfer mit Hörnern. 2te Aufl. 3 Kupfert. Ebend.* 4.

Eiusd. *Die grünen Armpolypen, die geſchwänzten und ungeſchwänzten zackigen Waſſerflöhe, und eine beſondre Art kleiner Waſſeraale, 2te Auflage, mit 3 Kupfert. Ebend.* 4.

Eiusd. *Die Blumenpolypen der ſüſſen Waſſer, beſchrieben, und mit den Blumenpolypen der ſalzigen Waſſer verglichen. 2te Aufl. 3 Kupfert. Ebend.* 4.

Eiusd. *Der Afterholzbock, in einem Sendſchreiben beſchrieben, nebſt einer Nachricht von der Frühlingsfliege mit kurzen Oberflügeln. 2te Aufl. 1 Kupfert. Ebend.* 4.

Eiusd. *Erläuterte Vorſchläge zur Ausbeſſerung und Förderung der Naturwiſſenſchaft. 2 Aufl. Ebend.* 4.

D. IACOBI CHRISTIAN. SCHAEFFER, *Die Armpolypen in den ſüſſen Waſſern um Regenſpurg entdecket und beſchrieben. Nebſt 3 Kupfertaf. mit ausgem Abbildungen. 2te Aufl. Regenſpurg*, 4.

Eiusd. *Der weichſchaalige Kronen und Käulenkäfer. Nebſt 1 Kupfert. m. ausgem. Abbildungen. Ebend.* 4.

Eiusd. *Das Zwiefalter oder Afterjüngferchen. Nebſt 1 Kupfert. mit ausgem. Abbildungen. Ebend.* 4.

ATHANAS. SCHAFONSKY Disp. inaug. de grauidarum, parturientium et puerperarum conuulſionibus. Argent. 4.

CASIM. CHRISTOPHOR. SCHMIEDEL, Disp. inaug. de pulmonibus natantibus. Reſp. *Io. Georg. Hueberus.* Erlang. 4.

Eiusd. Disp. inaug ſiſtens lochia praeternaturalia. Reſp. *Barth. Wolfg. Mylius.* ibid. 4.

Eiusd. Icones plantarum et analyſes partium, curante et edente IO. CHRIST. KELLER. Sect. I. Norimb. fol. c. tab. aen.

GOTTL. SIGISM. SCHNEIDER Disp. inaug. aduerſaria de pulſu. Lipſ. 4.

Eiusd. Epiſt. ad I. CHPH. POHLIUM de meridiationis limitibus. ibid. 4.

Chirurgiſche Geſchichte mit theoretiſchen und practiſchen Anmerkungen entworfen von LEBERECHT EHREGOTT SCHNEIDERN, *Chirurgo in Mitweyda. Zweyter Theil. Chemnitz* 8.

DAN. GOTTFR. SCHREBERS *Neue Sammlung verſchiedener in die Cameralwiſſenſchaften einſchlagender Abhandlungen und Urkunden, auch anderer Nachrichten. 3. 4 u. 5ter Th. Bützow u. Wismar.* 8 *m. K.*

IOH. CHRIST. SCHREBERS *botaniſch oeconomiſche Abhandlung vom Grasbau, Leipzig*, 8.

PHIL. GEORG. SCHROEDER Disp. inaug. de pleuritidum ſiccarum differentia, indole et ſede. Reſp. *Io. Henr. Hoffmann.* Marb. 4.

Orat.

Orat. inaug. pro ingreſſu in Collegium ill. naturae curioſorum in Germania, qua ſimul penſum ſoluitur: de terra miraculoſa Saxonica, an ſteatites ſit? per IULIUM ERNEST. DE SCHÜTZ, Equ. Fridericoſtadii, 4.

Läro-Grunder uti Chirurgien, öfver ſatte ifrån Franſyſkan och med Anmärkningar framgifne af HERMAN SCHÜTZER. Stockholm, 8.

IO. ANTON. SCOPOLI Entomologia Carniolica, exhibens inſecta Carniolae indigena et diſtributa in ordines, genera, ſpecies, varietates, methodo Linnaeana. Viennae, 8.

GEO. FRIDER. SIGWART Disp. inaug. de chloroſi. Reſp. *Chriſt. Theoph. Cleſſ.* Tubingae, 4.

Eiusd. Disp. inaug. hiſtoria pneumonitidis malignae. Reſp. *Io. Wilh. Wanzel.* ibid. 4.

Eiusd. Orat. medicus non anatomicus non medicus, ſed ἀξιθμος et medicaſter, non inutilis tantum, ſed perniciosus plane. ibid. 4.

Eiusd. Disp. inaug. ſiſtens hiſtoriam et therapiam pneumonitidis benignae. Reſp. *Io Nepom. Bayer.* ibid. 4.

Eiusd. Disp. inaug. ſiſtens hiſtoriam rariorem mammae cancroſae, ſanguinem menſtruum fundentis, methodo ſimpliciori ſanatae. Reſp. *Chriſt. Peter.* ibid. 4.

Eiusd. Disp. inaug. de ſcabie ouium. Reſp. *Chriſt. Theoph. Reuſſ.* ibid. 4.

An Account of the Gardenia, in a letter to PHILIP CARTERET WEBB by DAN. SOLANDER. London, 8. with fig.

IO. LUD. MARIA SOLIER Quaeſt. med. an conſueta Pariſinis, capitis et pectoris perpetua fere nudatio, ſit noxia? aff. Reſp. *Ioan. Bapt. Alexand. Maigret.* Pariſiis, 4.

IAC. REINBOLD SPIELMANN inſtitutiones chemiae praelectionibus academicis accommodatae. Argent. 8. mai.

GEORG. FRIDER. STEINMEYER Disp. inaug. de rubia tinctorum. ib. 4.

ANTON. STOERCK libellus, quo demonſtratur, colchici autumnalis radicem non ſolum tuto poſſe exhiberi hominibus, ſed et eius vſu curari quandoque morbos difficillimos, qui aliis remediis non cedunt: iungitur ſimul plantae effigies aere excuſa. Vindobonae, 8.

Experiences et Obſervations ſur l'uſage interne de la Pomme epineuſe, de la Juſquiame et de l'Aconit; par les quelles il eſt demontré, qu'on peut faire prendre aux hommes ces plantes avec ſecurité, et qu'elles ſont tres ſalutaires dans beaucoup de maladies, qui ne cedent point a d'autres remedes; traduites du Latin D'ANTOINE STOERCK. a Vienne, 12. avec fig.

Idem liber Anglice verſus Londini eodem anno impreſſus eſt.

Eiusd. *Abhandlung von dem ſichern Gebrauch und Nutzbarkeit des Stechapfels, des Bilſenkrautes und des Eiſenhütleins, aus dem latein. überſezt von* D. SAL. SCHINZ. *Zürch*, 8. mai. *m. K.*

EUSEB. SUARIO Diſſertazione ſopra il reſuſcitare gli annegati. Venezio, 8.

HIERON. PETR. SULZER Disp. inaug. ſiſtens theſes de cortice Peruviano, ſubiunctis obſeruationibus nonnullis. Argent. 4.

Traité de la Pleureſie, traduit du Latin des Aphoriſmes de Mr. BOERHAAVE, commentés par Mr. le Baron VAN SWIETEN, avec un Diſcours preliminaire, par Mr. PAUL. a Paris, 12.

The entire Works of D. THOMAS SYDENHAM, newly made engliſh from the originals: wherein the

the Hiſtory of acute and chronic Diſeaſes, and the ſafeſt and moſt effectual methods of treating them, are faithfully, clearly and accuratly delivered. To which are added Explanatory and Practical Notes from the beſt medicinal Writers, with others by the Translator, further illuſtrating the principal Matters, and teaching the Practice of inoculation, the uſe of Chalybeats and Mineral Waters, with the remedies and regimen proper for nephritic patients. The fourth Edition, by IOHN SWAN. London. 8. mai.

Traité de l'oeconomie animale et des cauſes premieres des Maladies, avec un Recueil d'Obſervations ſur l'art de traitér la petite verole par Mr. le Docteur T * * *. a Geneve, 12.

10. NIC. TETENS Disp. phyſ. de cauſa fluxus ſiphonis bicruralis in vacuo continuati. Reſp. *Ioan. Iacob. Engel.* Büzov. 4.

Voyage a la Martinique, contenant diverſes Obſervations ſur la Phyſique, l'Hiſtoire Naturelle, l'Agriculture, les Moeurs et les uſages de cette Isle, faites en 1751 et dans les années ſuivantes: par Mr. THIBAULT *de Chanvallon.* a Paris, 8. mai.

Inſtructions familieres en forme d'entretiens ſur les principaux objets, qui concernent la Culture des Terres; Ouvrage a la fin duquel on trouvera deux Memoires fort intereſſans ſur les Bois; par Mr. THIERRAT, Conſeiller du Roi, Guarde-Marteau de la Maitriſe des Eaux et Forets de Chaulny. a Paris, 12.

Memoire ſur la culture du meurier blanc, par Mr. THOME. a Lyon. 8.

Avis au Peuple ſur ſa Santé, par Mr. TISSOT. a Lauſanne, 12.

Avis au Peuple ſur ſa Santé, ou Traité des maladies les plus frequentes par *le même*, etc. Seconde

de edition augmentée ſur la derniere de l'auteur, de la deſcription et de la cure de pluſieurs maladies, et principalement de celles, qui demandent un prompt ſecours. Ouvrage compoſé en faveur des habitans de la Campagne, du peuple des villes et de tous ceux, qui ne peuvent avoir facilement les conſeils des Medecins. a Paris. 12.

Avis au Peuple ſur ſa Santé par Mr. TISSOT. Nouvelle edition, conforme a la ſeconde Originale, a la quelle on a joint la Traduction de la Preface Allemande de Mr. HIRZEL et des notes par M***. D. M. a Lyon, 12. Voll. 2.

Unterricht, wie man ſich in der Ruhr am ſicherſten heilen, und dafür verwahren könne; aus des Herrn S. A. D. TISSOT *Anleitung für das Landvolk, mit neuen Zuſätzen und Anmerkungen über die anietzo herrſchende Ruhr vermehrt Stuttgard,* 8.

Plantae rariores, quas maximam partem ipſe in horto domeſtico coluit, ſecundum notas ſuas examinauit et breuiter explicauit, nec non depingendas aerique incidendas curauit D. CHPH. IACOB TREW, edente IO. CHPH. KELLER. Tab. I-III. et B. C. Norimb. fol.

DAN. WILH. TRILLER, Progr. de macie corporis ex obſidione contracta, ad quendam GALENI locum, a magnis criticis fruſtra tentatum, illuſtrandum et vindicandum. Witteberg. 4.

L'Agricoltore ſperimentato, ovvero Regole generali ſopra l' Agricoltura, il modo di preparare e ſeminare le terre, etc. di COSIMO TRINCI; aggiuntovi un Trattato ſopra i Bachi da ſeta. Venezio, 8. c. tab. aen.

ANTON TRUHART Disp. de organis humores praeparantibus ſtricte ſic dictis. Reſp. IO. ZIEGLER. Ienae, 4.

Memoi-

Memoires ſur la culture du Millet d'Afrique, appellé par les Botaniſtes *Gorghum ou Milium nigrum*, par Mr. TSCHIFFELI. Yverdun. 8.

Eiusd. Inſtruction pratique ſur la culture du Lin la plus convenable du Climat de la Suiſſe. ibid. 8.

Des Hrn. Marquis VON TURBILLY *practiſcher Unterricht zum Aufreiſſen und Brechen der ungebaueten Völker. Eine mit einigen Zuſätzen des Herrn Verfaſſers erweiterte Ueberſetzung, mit der Vorrede des Herrn Prof.* GOTTFR. SCHÜTZENS *zu Hamburg. Altona,* 8. mai.

FRANCISC. GUIL. LE VACHER, Theſ. anatom. chirurgicae, de ſectione caeſarea. Reſp. *Petr. Sue.* Pariſ. 4.

CLERIAD. VACHIER, Quaeſt. med. an diuerſis temperamentis diuerſus rerum non naturalium vſus? aff. Reſp. *Franciſc. Portier.* Pariſiis, 4. (*Prodiit iam 1755 eodem Praeſide*).

DOMINICO VANDELLI dell acqua di Brandola. Modena, 4.

Abhandlungen von den Steinen, welche in der Erde und in den Thieren erzeugt werden, darinn man die Urſachen genau unterſucht, welche ſie in den Menſchen hervorbringen, und ferner die Art entdeckt, wie man ſie aus dem menſchlichen Körper bringen kann; überſezt aus dem franzöſiſchen des Hrn. VENETTE. *mit Kupf. Sorau,* 8.

ALBERTI VENTURI, *Avienſis,* Phil. et Med. Doct. Diſp. hiſtorico medica de mellis origine et vſu. Venetiis, 8.

La Jurisprudence de la Medecine, ou Traité hiſtorique et iuridique des Etabliſſemens, Reglemens, Diſcipline, Police, Devoirs, Fonctions, Recompenſes, Honneurs, Droits, Privileges et Prerogatives des trois Corps de Medecine en France, et de ſes artiſtes, conſiderés, ſoit dans leur Pro-

feſſion ſimplement, ſoit dans les Offices, qu'ils poſſedent a ce titre, relativement au Public, a eux-memes et aux Profeſſions, qui y ont rapport, avec les devoirs, les fonctions et autorité des Juges, a leur egard: le tout deduit des Conſtitutions Apoſtoliques, du Droit Romain, du Droit Coutumier, des Ordonnances, Edits, Declarations et Lettres Patentes de nos Roi; des Arrets du Conſeil et de Cours Souveraines; des uſages des Iurisdictions les mieux reglées, et des Corps de Medecine, et du ſentiment des meilleurs Auteurs; par Mr. VERDIER, D en Med. et Avocat au Parlement de Paris. Tome I. II. au Mans. 12. Voll. 2.

Analyſe chymique des Terres de la Province de Touraine, des differens engrais propres a les ameliorér, et des Semences convenables a chaque eſpece de terre. Memoire lû a la Societé Royale et Agriculture de Tours, par Mr. DU VERGÉ, Doct. en Med a Tours, 8.

Precis ſur l'education des Vers a Soie, (*Eodem Auctore*). ib. 8. avec fig.

L'Ecole de la Chaſſe aux Chiens courans, par Mr. LE VERRIER DE LA COUTERIE Ecuyer, Seigneur d'Amigny etc. precedée d'une Bibliotheque hiſtorique et critique des Teureuticographes. a Rouen, 8. Voll. 2.

Hrn. D. ELIAS COL DE VILARS *vollſtändige Einleitung in die Chirurgie, aus dem franzöſiſchen überſezt, nebſt einer Abhandlung vom Urſprung und Wachsthum der Wundarzney und Medicin und beyder nothwendiger Verbindung vom Hrn.* D. LAUR. HEISTER. 1. 2. 3. 4. 5 *Band. Altona und Lübeck,* 8. Voll 5.

CAP. DE VILLA Disp. ſiſtens phyſiologiae, pathologiae et febriologiae quaedam momenta. Valenz.

P. VIRGILII MARONIS Bucolica, Georgica et Aeneis, ex codice Mediceo Laurentiano deſcripta, ab ANTONIO AMBROGGI Florentino S. I. Italico verſu reddita, adnotationibus atque variantibus lectionibus et antiquiſſimi codicis Vaticani picturis, plurimisque aliis veterum monumentis aere inciſis et cl. virorum diſſertationibus illuſtrata. Tom. I. II. Romae, fol.

RUDOLPH AUGUSTIN. VOGEL Disp. inaug. de cognationibus morborum. Reſp. *Frider. Iacob Feiſe.* Goettingae, 4.

Eiusd. Progr. quo dubia ſua de vſu circumciſionis medico loquitur. ibid. 4.

Eiusd. Progr. Gottingenſium Praenotionum Penſum I. ibid. 4.

Eiusd. Disp. inaug. de hydrope pectoris. Reſp. *Wolf. Marquard. Frideric. Hargens.* ibid. 4.

Eiusd. Disp. inaug. de inſania longa. Reſp. *Iuſt. Henr. Heckenberg.* ibid. 4.

Eiusd. Disp. inaug. de natura alcali mineralis. Reſp. *Iuſt. Io. Henr. Ribock.* ibid. 4.

Eiusd. Disp. inaug de rarioribus quibusdam morbis et affectionibus obſeruationes. Reſp. *I. C. Bündell.* ib. 4.

Eiusd. Progr. de verioribus balſami Meccani notis. ibid. 4.

Diſſertation touchant l'origine du Nil et autres Fleuves. Contenant pluſieurs Queſtions fort curieuſes, touchant la Phyſique et la Geographie, traduit du Latin d'ISAAC VOSSIUS. a Paris, 4.

Sigillum medici ocularii Romani, nuper in agro Ienenſi repertum et obſeruationibus illuſtratum a IOH. ERN. IMMAN. WALCHIO, Eloqu. et Poeſ. Prof. P. O. etc. accedunt reliqua ſigilla et inſcriptiones medicorum oculariorum veterum. Ienae, 4. c. tab. aen.

IOH.

IOH. GOTTSCH. WALLERIUS Disp. de aquis ſupracoeleſtibus Reſp. *Frid. Kruſkopf.* Vpſal. 4.

Eiusd. Disp. de chemia naturae. Reſp. *Car. Wibom.* ibid. 4.

Eiusd. Disp. de dulcificatione acidorum. Reſp. *Samuel Lundh.* ibid. 4.

Eiusd. Disp. de nobilitate ferri, inprimis Sueco gothici. Reſp. *Guſt. Phil. Malmerfeldt.* ib. 4.

Eiusd. Disp. de vegetatione mineralium. Reſp. *Wilh. Guſt. Zetterberg.* ib. 4.

Eiusd. *Mineralogie oder Mineralreich, von ihm eingetheilt und beſchrieben. Ins Deutſche überſezt von* IOH. DANIEL DENSO. *Zweyte verbeſſerte und vermehrte Aufl. Berlin,* 8. *m. K.*

IOH. GOTTL. WALTERS *Abhandlung von trocknen Knochen des menſchlichen Körpers, zum Gebrauch ſeiner Zuhörer. Berlin,* 8. *m. K.*

Receipts for preparing and compounding the principal Medicines, made uſe of by the late Mr. WARD. London. 8. mai

Obſervations upon the effects of Electricity applyed to a Tetanus of four months continuance, by WILLIAM WATSON. London. 8.

Genera plantarum cum characteribus ſuis eſſentialibus et naturalibus, quae ad facilius aſſequendam earum notitiam ſecundum corollae limbum ordinauit et addidit IACOB WERNISCHECK, M. D. Vindobonae, 8.

IGNAT. WETSCH Disp. inaug. ſiſtens examen chemico-medicum aquae acidulae vulgo Pinkenfedelſis dictae. Vindob 8.

The Botaniſt's and Gardener's New Dictionairy; containing the Names, Claſſes, Orders, Genera, Characters and Specific Diſtinctions of the ſeveral Plants cultivated in England, according to the Syſtem of LINNAEUS: directing the Culture of each

Plants

Plants, deſcribing its ſingular Virtues and Uſes, and explaining the Terms peculiar to Botany and Gardening. In which is alſo compriſed a Gardener's Calendar, divided alphabetically, according to the Names of the twelwe Months of the Year, directing the whole Practice of Gardening in the Flower-Garden, the Seminary, the Fruit-Garden, the Kitchen-Garden, the Green-Houſe and the Stove; and to which is prefixed an Introduction to the Linnaean Syſtem of Botany, explaining the Theory of that Syſtem, and the Names and Characters of all its Claſſes and Ordres. By IAMES WHEELER, Gardener and Nurſery Man in Gloceſter. London, 8.

Collateral Bee Boxes, or a new, eaſy and advantageous Method of Menaging Bees. In which Part of the Honey is taken away, in an eaſy and pleaſant Manner, without deſtroying, or much diſturbing the Bees; and early Swarms are encouraged by STEPH. WHITE. the 2. Edition. London. 8. mai.

ROB. WHYTT vital and other involuntary Motions of Animals. Edinb. 8.

CHRIST. LUD. WILLICHII de plantis quibusdam obſeruationes. Goetting. 8.

IO. HENR. WINCKLER Progr. exponens coniecturam de vi electrica vaporum ſolarium in lumine boreali. Lipſ. 4.

Eiusd. Progr. tentamina circa ſoni celeritatem per aerem atmoſphaericum exponit. ibid. 4.

HENR. AUG WRISBERG Progr. de reſpiratione prima, neruo phrenico et calore animali. Goett. 4.

IOH. GEORG. ZIMMERMANN *von der Erfahrung in der Arzneykunſt. 1ſter Theil. Zürich* 8.

Naturgeſchichte einiger Provinzen des Unterharzes nebſt einem Anhange von den Mansfeldiſchen Kupferſchiefern, von IO. FRIDR. ZÜCKERT. *Berlin,* 8.

Con-

Contenta in hac parte.

1 Hiſtoire de l'Acad. Roy. des Sciences a Paris, Année 1759. p. 563

2 Relation d'une maladie epidemique et contagieuſe, qui a regne 1757 ſur des Animaux cet. par M. H. AUDOUIN DE CHAIGNEBRUN 586

3 HUXHAMI Opera phyſico medica. Tom. I. II. III. 588

4 *Das Steinreich ſyſtematiſch entworfen von* IOH. ERNST IMMAN. WALCH. 1*ſter Band* 591

5 V. HALLER elementa phyſiologiae corp. hum. Tom. VII. 597

6 WERNISCHECK genera plantarum 634

7 Ouvrage touchant les Hernies ou deſcentes. par Mr. DEJAN 638

8 ALBINI academicarum adnotationum Liber VI. 642

9 LANGHANS, *Anweiſung wie man ſich in einem Nothfall ſelbſten von den gefährlichſten und meiſten Krankheiten befreyen könne.* 1 - 4*ter Theil* 647

10 Contemplation de la Nature. Par C. BONNET. Tom. I. II. 651

11 Philoſophical Transactions. Vol. LIII. 660

12 COSTANTINI Verita del Diluvio univerſale cet. 681

13 Elemens d'Agriculture par Mr. DU HAMEL DU MONCEAU. Tom. I. et II. 687

14 Noua phyſico medica 689

15 Continuatio indicis ſcriptorum phyſico medicorum, quae a. 1763 prodierunt 697

INDEX.

INDEX.

A.

Abdominis vulnera magna ſine ſutura curata 239 251
Abhandlungen der Churf. Bayeriſchen Akad. der Wiſſenſch 1 *u.* 2 *Band.* 60. *Der Naturforſchenden Geſellſchaft in Zürch. 2ter Band* 309
Abortum praecauendi ratio 405
Abſceſſus renis dextri 239. cranii internus per aures et naſum euacuatus 245. lobi ſiniſtri pulmonis 251. abſceſſuum criticorum cura 496
Abſorptionis in vaſis lacteis ratio 282
Abſtinentia 33. dierum 244. infantis per duos annos 245
Acanthides 461
Acidum nitri, vbi generetur 677
Acta Helvetica. Vol. V 98
Acutae febres, quaenam ſunt et quomodo curandae 493 ſqq.
Adanſon, Familles des Plantes. Partie I et II. 73 ſqq.
Aeris incluſi lethalis indoles 481
Aeſtatum ſiccitas aut humiditas ex annulis arborum cognoſcitur 372 ſq.
Aeſtus febrilis quid? 492
Aeſtuum marinorum obſeruationes 4. 6. 10. 12. 20
Aetheris, ex aceto et ſpiritu vini parati, prae vitriolico praeſtantia 566
Afterjüngferchen 226 ſqq.
Agarici vſus in aneurysmate ſpurio 434 ſq.
Agriculturae elementa 687 ſq.
Agrorum fertilitas ex concrematis ſtipulis 468
Aguſtini, Ant. Stranguria, quae venerea dicitur, mercurii aliquando eſſe poteſt effectus, obſeruationes id probantes 88
Albini, B. S. Academic. annotat. Liber. VI. 642
Alcalinorum volatilium vſus in morſu viperae 251
Alimentorum in inteſtinis tenuibus mutatio 599
Alumen quid. 294. eius terra vitreſcibilis. ib. ſq. circa huius terream baſin experimenta 583
Amputationi conueniens tempus in ſphacelo conſummato gangraenae epidemicae 246
Anaſarca a leucophlegmatia diſtinguitur 396
Anatomicae obſeruationes 92 ſq. 374. 564 ſq.
Anatomico-practicae obſeruationes 21 ſq. 101 ſq. 104. 239. 253. 313
Anchyloſis cauſſae 147
Aneuryſma verum 436. externum ſpurium 433 ſq. arteriae cruralis 239
Angina gangraenoſa, epidemica, quae 1762 Charonaegraſſata eſt 256. epidemica, huius curatio 489
Angliae clima, aer, venti et tempeſtatum mutationes 486 ſq. morb communes eorumque cauſſae 487 ſqq.
Anguli ſolidi menſura 378
Ani fiſtulae 274 ſq. ſinus et fiſtulae quomodo diſquirendae 149

Animae

I N D E X.

Animae ſedes in toto corpore 286
Animalcula ſpermatica 621
Animalia, quaenam inter haec et plantas ſit conuenientia 656 ſq. an iis ſermo ſit? 658 ſq. horum actiones et ſocietates 657. circa horum actiones mechanicas cogitata 658. horum propagatio 618. eorum noua diuiſio ratione propagationis 38. eorum generatio non ſemper duplicis ſexus coniunctione fit 36. animalia Belgica 101. 110
Animi adfectus a paſſione diſtinctio 481
Anta, animal 194
Anthelmintica remedia 409
Anthras, nouum inſectorum genus 424
Antimonialium vſus in hydrope 398
Antimonii minerae 199
Aphtharum venerearum curatio 325
Aqua, an comprimi poſſit, experimenta 22. coelo decidua, huius varia in variis locis quantitas 371. menſura 372. aquae, harum diſtinctio 196. diluuii vniuerſalis quomodo omnem terram inundare potuerint 684. marinae, harum motus extraordinarii 4. medicatae Recobarii vid. *Recobarii*. minerales, harum vſus in hydrope 397 ſq. montis Lamberti Bononienſis 269. ſupracoeleſtes negantur 685. aqua ſubmerſi vid. *Submerſi*. aqua ſuffocati vid. *Suffocati*
Araeometrum cereuiſiae examinandae aptum 377
Aranea ſaliens 474
Arbor petrefacta 582. arbores a formicis tuendi modus 375. arboris vulnus quomodo conſolidetur 34. arborum annuli ſiccas aut humidas aeſtates indicant 372 ſq.
Argenti minerae 197
d'Argenville mortuus 353
Arſenici minerae 199
Arteriarum actio in globulos ſanguinis 279. ſenſibilitas affirmatur 283. arteria vmbilicalis vnica obſeruata 422
Arthritis a podagra differt 399. arthritica metaſtaſis cum ſingularibus phaenomenis 247
Aſcites a tympanitide diſtinguendus 396. in eo an aqua omnis ſimul ac ſemel paracenteſi educi debeat 399. vomitu ſpontaneo curatus 235
Aſinorum morbus epidemicus 586 ſqq.
Aſſociatae plantae, harum tribus, ordines et familiae 304
Aſtaci character 319
Aſtragaloidis noua ſpecies 100
Aſtroitae prope Chemnitium reperiundi 457 ſq.
Aſtruc, Io. obitus 353
Aues, harum diſtributio 462 ſqq. veris nunciae 389. auium Germaniae icones 26
Avis ſur l'inoculation de la petite verole 205
Aurorae boreales obſeruatae 9. 11. 564. 660. has quietas praecedere vna die terrae motum, affirmatur 378
Auſtriacae Societ. agriculturae theſ. et praem. ad ann. 1767. 692 ſq.
Auſtriae plantae 410 ſqq.
Axis, animal 193

B. Bal-

B.

Baldani, Ant. mortuus 696 ſq.
Balſami de copaiba vſus in phthiſi 498
Barberet, a Reg. Societ. Pariſ. agriculturae praemium accepit 158
Barometricae obſeruationes 379
Bauaricae Elect. Acad. Scient. theſ. et praem. ad ann. 1765 et 1766. 163 ſq.
Baumé, Manuel de Chymie 293
Baumer, Io. Wilh. *Naturgeſchichte des Mineralreichs* 195
Bauſſan du Bignon, ab Acad. Scient. Berolin. praemium reportauit 165
de Baux, Parallele de la petite verole naturelle avec l'artificielle ou inoculée 200
Beccari, Iac. Barthol. obiit 539
Belladonnae fructuum effectus noxius 250
Birch, Thom. mortuus 168
Biſon, animal 191
Biſmuthi minerae 198
Blattas occidendi remedium 427
Bohadſchia, plantae genus 412
Bonaſus, animal 191
Bonn, Andr. Diſſ. de continuationibus membranarum 113
Bonnet, C. Conſiderations ſur les corps organiſés 29. Contemplation de la nature 651
Bononiae in Picardienſi comitatu ſitus, ſolum, aer et aqua 263 ſq. incolarum ſalubritas, victus et mores 265. morbi et conſtitutio epidemica 1759 ibidem obſeruata 266 ſq. animalia ibi frequentiora 265. vegetabilia ib.
Borax, quid 295
Bornemann, Barthold, ab Acad. Reg. Scient. Gotting praemium reportauit 164
Botanicorum nominum inuentio 75. librorum diſpoſitio 75 ſq. ſcriptorum diſpoſitio 80 ſq. ſcriptorum ab Adanſono omiſſorum recenſio 80
Bouis ſuilli deſcriptio 511
Boum genus variaeque ſpecies 191. epidemicus morbus 586
Brachialis arteriae varietas et ligatura 144
Bradley, Iac. eius morbus, obitus et ſectio 21
Bregmatis oſſis fractura eiusque ſymptomata 109
Bromelia pinguin, planta 132
Brookes, R. new and accurate Syſtem of Natural Hiſtory, Vol. I - VI. 510
Bryi noua ſpecies 108
Bubonoceles operatio quando inſtituenda 640
de Buchwald, Balth. Io. Diſſ. de rubro ſanguinis colore 513
Buffelus, animal 191
Burdigalenſis Acad. Reg. Scient. theſ. et praem. ad ann. 1767 et 1768. 160. 534 ſq.
Byſſi in lithanthracum fodinis Dresdenſium deprehendendae deſcriptio 473

C.

Cacti triangularis Linn. deſcriptio 107
Cadet, Acad. Reg. Scient. Pariſinae ſocius 352 ſq.
Caeſpitis bituminoſi ortus eiusque fumi innoxia vis 61
Calculi, 101. 237. 315. eorum in rene et veſica generatio 615. analyſis chemica 616. inteſti-

inteſtinales, horum origo 607. calculus oliuae magnitudine 92. veſicae, ex quo eminebat cuſpis acus eburneae 565. calculoſorum curatio vid. *Lithotomia.*

Calicis differentia in plantis radiatis 299 ſqq. in floſculoſis 302. in lingulatis 303. in aſſociatis ſ. capitatis 305 ſq.

Caliginis denſae Detroit obſeruatae ratio 664

Calli oſſium geneſis ex perioſteo negatur 643

Camelina, nouum plantae genus 413

Camelus, animal 188 ſq.

Camper, Petr. Demonſtrationum anatom. pathologicarum Liber II. 270

Cancer, animal, huius character 319

Cancri mammae curatio 462

Capitatae plantae vid. *Aſſociatae.*

Capitis percuſſio 236. vulnerum lethalitas 346

Capſularum renalium ſtructura 612. vſus 618

Caries frumenti, circa hanc experimenta 567

Carinthiae ſocietas agriculturae artiumque vtilium conſtituta 153 ſq. eius theſ. et praem. ad ann. 1766. 154

Carneo ſanguinea maſſa per vias vrinae excreta 457

Carolinarum thermarum topho ferrum ineſt 449 ſq.

Cartheuſer, Frid. Aug. Med. et Philoſ. naturalis Prof. ordin. Gieſſenſ. 696

Caſſellis ſocietas agriculturae conuenit. vid. *Haſſia.*

Caſtorei tincturae cum aethere vitriolico praeparatae effectus 253

Cataracta, de eius extractionis ſucceſſu obſeruationes 14. ea laborantis et curati aegri hiſtoria 103

Catarrhus 1762 Londini epidemicus 23. epidemicus 1762 Nemauſi ſaeuiens 250 ſqq.

Catheterum varietas et praeſtantia 273

Cauſus, eius curatio 502

Cerebri ſubſtantia microſcopio examinata 577 ſq. concuſſio cauſſa mortis 145. cerebrum morboſum 436

Cereolos reſoluentes et emollientes praeparandi modus 261

de Chaignebrun, H. Audouin, Relation d'une maladie epidemique et contagieuſe ſur des Animaux 586

Chemnitii vrbis ſitus 469. circa hanc foſſilia inuenienda ib.

Chinae cortex vid. *Peruvianus cortex.*

Chirurgiae practicae inſtitutiones 516

Chirurgici morbi 138 ſqq. chirurgicae obſeruationes 13. 671 ſq.

Chorea S. Viti 255

Choroidea, an ſit primarium viſus organum 93. eius ortus et continuationes 115

Chyli praeparatio et natura 599 ſqq. reſorptio qua ratione fiat 600. iter motusque cauſſae 610

Chylifera vaſa ad quodnam vaſorum genus referri debeant 608. horum ortus et directio 609.

609. chylifer ductus vid. *Ductus.*
Chylificationis cauſſae 601
Ciborum concoctionis noua theoria 290 ſq.
Cicatricis geneſis 144
Cicutae effectus dubius redditus 322. in variis morbis effectus 312. vſus in amauroſi 129. in tumoribus cancroſis 242. 247. 256. extracti effectus noxii obſeruati 250. herbae recentis vſus in ſcirrho mammarum 675. aquaticae noxii effectus 472
Ciliaris zonae ſeu coronae in viſione vtilitas 337 ſq.
Cimex lectularius volatilis, eum necandi remedia 427
Cinerum calidorum vſus in aqua ſuffocatis 72. in hydrope ib.
Ciſterna lumbaris 609
Claui pedis 644
Clitoris 629
Cloſſy's, Sam. Obſervations on ſome of the Diſeaſes of the Parts of the human Body 313
Clysmatum noxa in hernia incarcerata 640. vſus in hydrope 72
Coalitus partium c. h. 565 ſq.
Cobalti minerae 199
Cochinella, femina et mas 24 ſq.
Cochlea petrefacta 107 ſq. terreſtris, cuius teſta ſine incommodo animalis fracta reperitur 572 ſq. cochleae, de his obſeruationes 107 ſq. cochleae dens ib.
Coeci inteſtini in variis animalibus diuerſitas 605
Coeleſtina, nouum plantarum genus 300
Coelum ardens cum tonitru 378
Coffea, eius ſeminum analyſis chemica 110 ſq. eius potum absque fabarum toſtione praeparandi noua methodus 111. potus in infantibus vſus 317
Colchici autumnalis radix, circa hanc experimenta chemica 130. circa eius effectum experimenta 128. 130
Colicae coenobialis cauſſae et deſcriptio 107
Colores diuerſi et compoſiti, quibus inſecta inter ſe diſcernuntur 424
Conchitarum in terra ortus a conchyliis marinis 575. 579 ſq. adhaeſio ad ſe inuicem 575. conſeruatio 579. deformatio et deſtructio 580 ſq.
Conchyliorum in mari ac conchitarum in terra comparatio 575. 579 ſq. conſeruatio 579. deformatio et deſtructio 580 ſq.
de la Condamine Lettres a M. le D. Maty ſur l'Etat preſent de l'inoculation en France 216
Conferua prope Dresdam inuenienda 472 ſq.
Conſenſus partium corporis per telam celluloſam 208
Continuae febres, harum differentia 493
Contrafiſſura capitis quid 689 eius theoriae ſtabiliendae praemium deſtinatum ib ſq.
Cor extra thoracem pendulum 374. eius vis in globulos ſanguinis 278 ſq. huius per ictum laeſio 676
Corneae vitium ſingulare 643
Cornua, in Saxonia e terra effoſſa 467. horum in animalibus productio 622

Corollae limbus et laciniae quatenus ad diſpoſitionem plantarum conferant 635
Corpora naturalia, horum claſſes et compoſitio 652 ſq. organica, horum differentia et natura 653 ſq. horum phyſicae inter ſe relationes 654. marina, quomodo ad vertices montium peruenerint 682 ſq. 685
Cosmetica, de horum vſu et effectu monita 147
Coſtantini, Giuſeppe Anton. la verita del Diluvio univerſale cet. 681
Cranii interni absceſſus per aures et naſum euacuatus 245. tumor enormis 257
Crantz, Henr. Io. Nepom. ſtirpium Auſtriarum faſciculus I et II. 410
Cremoris tartari vſus in hydrope 71 ſq.
Criſes morborum 440
Crurum ſphaceloſa deſtructio in gente quadam obſeruata 14. 16. 19
Cryſtalli, refractionis in iis duplicis declaratio 11. cryſtallus Islandica, cum hac experimenta electrica 667
Cuprum, cur difficulter ex mineris ſeparetur 68. eius minerae 198. vſus in hydrope 398
Curationum infauſtarum decas 109
Curculionis hiſtoriae et remediis contra eius noxam praemium expoſitum 695
Cuticula, quomodo regeneretur 113
Cutis humanae pori 645. papillae in volis et plantis ibid.

D.

Danica in Aſiam miſſa ſocietas vid. *Niebuhr*.
Daviel, Iac. elogium ſeu breuis vitae hiſtoria 103
Dejan, Ouvrage touchant les Hernies ou Deſcentes 638
Dentes, cum plumis comparantur 112. quomodo integri conſeruandi ib.
Desmars, de l' Air, de la Terre et des Eaux de Boulogne ſur Mer et des environs 263
Diarrhoea puerperarum quomodo diiudicanda 408
de Dieſt, Io. eius legati ratio 166
Digeſtionis cauſſae 601
Digiti monſtroſi 421 ſq.
Diluvii vniuerſalis veritas et effectus 681 ſqq. huius indicia 683. eius aquae quomodo omnem terram inundare potuerint 684
Diſcorſo della Irritabilita d' alcuni Fiori 307
Diſſertation ſur la petite verole et l'inoculation 201
Divionenſis Acad. Scient. theſ. et praem. ad ann. 1767 et 1768 161. 163
Diuortiorum rationes vnde petendae 349
Dodo, auis 122
Dresdniſches Magazin, 1 *und* 2. *Band* 456
Dromas, animal. 188 ſq. huius deſcriptio anatomica 190
Ductus deferens 619. thoracicus, huius directio et vſus 610. ductuum hepatico-cyſticorum exiſtentia aſſerta 92. in oeſophagum excretoriorum Vercellonii aſſertio ib.

Durade,

Durade, a Reg. Scient. Acad. Berolin. praemium accepit 350 ſq.
Dyſenteria Londini a. 1762 epidemica 23. in Picardiae locis et Albamalae epidemica 248

E.

Eberhard, Io. Petr. Phyſ. et Mathem. Prof. Halenſ. 352
Eden, fluuii in Cumberlandia decrementum 661
Edwards, Georg. Gleanings of natural Hiſtory, T. I. II. III. 116
Electrica experimenta 666 ſq. cum phoſphoro inſtituta 383. cum faſciis ſericeis variorum colorum 391
Electricitas, de hac obſeruationes 6. 8. 333 ſq. de hac controuerſia 680. atmoſphaerae explicata 334. eius vis medica nulla immo noxia iudicatur 335 ſq. huius effectus et vſus in tetano 661. in curatione paralyſeos 470
Elephanti hiſtoria naturalis 179 ſqq. deſcriptio anatomica 184
Embryonum deſcriptiones 420 ſqq.
Emeritae, inſecti character 320
Entrochi in variis Angliae regionibus 458
Epidemicus morbus in inſula Barbados 10. in Saxonia 1759 graſſans, huius natura et curatio 456. inter diuerſa animalia graſſatus 586 ſqq. huius cauſſa 587. curatio ib. ſq. mucoſus, huius generaliora 518 ſq. cauſſae 519. ſpecies et curatio 520 ſqq. hiſtoriae 524 ſqq. eo defunctorum ſectiones 526 ſqq.
Epidermis vid. *Cuticula.*
Epididymidis vaſcula reſorbentia 41 ſq.
Epiploceles curatio 642
Equitationis vſus in infantibus 317
Erax, nouum inſectorum genus 424
Eruca vomitu reiecta 245
Eryſipelatis differentia 141 ſq.
Eſſai hiſtorique ſur la Medecine en France 96
an Eſſay on the medical Conſtitution of Great Britain 486
Ethulia conyzoides, planta 230
Euler, Leonh. Petropolin abiit 352
Examen de l'inoculation par un Médecin de la Faculté de Paris 209
Exanthematicorum quorundam morborum conſideratio 108
Excuſationis facti ratio vnde petenda? 348
Experientia medica 475. vulgaris, eius noxa 476. vera, in quo conſiſtat 477. ad eam ingenium neceſſarium 480
an Expoſtulatory epiſtle to Will. Hunter. 41

F.

Faecum in inteſtinis progreſſus cauſſae 604. diuerſitas 608. ſani hominis conditio 606. chemica diſquiſitio 607. peculiaris indolis cauſſa ib. excretionis cauſſa et ratio 608
Faſciola inteſtinalis 380
Fayance, vaſorum genus 295
Febris, quid? 492. eius cauſſae ib. ſqq. ardens vid. *Cauſus.* conti-

continua ſubintrans vid. *Subintrans.* hemitritaea vid. *Hemitritaea.* lipyria vid. *Lipyria.* malignae mirus euentus 460. mucoſae differentia, ſymptomata et curatio 521 ſq. hiſtoriae 524 ſqq. ea defunctorum ſectiones 526 ſqq. proportionata vid. *Proportionata.* remittens vid. *Remittens.* varioloſae natura 51. febre cachectica demortui ſectio 253

Febrium diſtinctio 493. diuiſio 649. klioſarum hiſtoriae 489. continuarum progreſſus et curatio 649

Ferrum, eius minerae 198. ruboris ſanguinis cauſſa 514. ex arena parandi ratio 664. idem topho fontis feruidioris thermarum Carolinarum ineſſe, experimentum 449 ſq.

Fibrae animalis cum polypo analogia 655

Fimum caballinum ſponte incenſum 563

Fiſtulae in perinaeo et circa anum ſitae 274

Fizes, Anton. obiit 354

Florum irritabilitas 307 ſq. horumque ſexus diſtinctio noua 78

Floſculoſarum plantarum claſſes et ordines 302

Foetuum quatuor abortu reiectorum hiſtoriae 420 ſqq. foetus monſtroſus vid. *Monſtroſus.*

Fontium origo 268. fons ardens in India orientali detectus 3. fontis hieronis, machinae, in metallifodinis vtilitas 17. ſalutaris *Heilbrunn* in Bavaria deſcriptio 65. examen chemicum ib. ſq. ſalutaris *Sulzerbrunn* in Bavaria partes conſtitutiuae et vſus 67

Formicae, harum vaporis effectus ſingulares 238. ab iis arbores tuendi modus 375. albae, harum deſcriptio 461

Foſſilia prope Chemnitium reperiunda 469

Friſch, Io. Leonh. *Vorſtellung der Vögel Deutſchlandes und beyläufig auch einiger Fremden* 26

Fromond, Claud. Piſae mortuus 168

Fulgur, eius effectus noxii 13. eo tacti ſanatio ib.

G.

Gallia, de re medica in eadem tentamen hiſtoricum 96

Gangraena, circa huius curationem monita 142. epidemica in vicinia Inſulae in Flandria ſaeuiens 240. huius cauſſa et curatio 242 ſq. 246

Gardenia, planta 24

Garner's, I. Obſervations on D. Hunter's medical Commentaries 41

Gataker's, Thom. Eſſays on medical Subiects 321

Gatti, Lettre a Mr. Roux 210. Reflexions ſur les prejugés, qui s'oppoſent aux progres et a la perfection de l'inoculation 211

Gemmae electrica vi turmalino ſimiles 6

Generatio, quid ſit 30. quomodo fiat 31 ſqq. animalium non ſemper duplicis ſexus couiunctione fit 36

Genita-

Genitalium partium maſcularum ſtructura 619. muliebrium ſtructura 624
Geographiae metallurgicae ſpecimen 62
Germen, eius in ouulo praeexiſtentia, euolutio et incrementum 30 ſqq. 35. huius differentia 35 ſq. 38 ſq.
Geſneri, Io. Phytographia ſacra generalis, Diſſ. I-V. 506
Gieſſenſis Acad. Profeſſores medicinae 696
Ginanni, Franc. Comitis ſcripta et obitus 354 ſq.
Glaciei in oceano boreali natantis origo et differentia 376
Glandulae, harum infllammatio 143. lenta obſtructio 144. ſenſibilitas affirmatur 283. plantarum, quatenus ab iis character ſpecificus petendus 574. ſuprarenales vid. *Capſulae renales.*
Glycine ſubterranea 233
Gonorrhoea, an ab vlceribus vrethrae pendeat 323. circa huius curationem errores theoretici 324. huius curatio quomodo inſtituenda 325
Gottingenſis Acad. Reg. Scient. theſ. et praem. ad ann 1766. 164 ſq.
Grais, vaſorum genus 295
Graminum hiſtoria botanico-oeconomica edenda indicatur 357 ſqq. noua ſpecies 108. gramen tomentoſum vid. *Linagroſtis.*
de la Grange, Ludov. Direct. et Profeſſ. claſſis mathematicae Reg. Soc. Scient. Berolin. in locum Euleri ſucceſſit 352.
Grauida ſuppreſſione vrinae laborans et infantem hydropicum pariens 238
Grauiditatis ſigna et incommoda 404 ſq. cum peſſimis ſymptomatibus coniunctae caſus 252
Grauitatum ſpecificarum corporum tabula 336
Grima, ab Acad. Reg. Chir. Pariſina praemium accepit 349. 689
Gronovii, Laur. Theod. Zoophylacii Gronoviani faſciculus II. 318
Gryllos pellendi et interficiendi remedium 427. eorum vſus in ſcrophulis ib.

H.

Haemoptyſis, qua ratione contingat 393. eius prognoſis, cauſſae et curatio ib. ſqq.
Haemorrhagias ſiſtendi ratio 145
Haemorrhoidum contemplatio phyſiologica 608. curatio chirurgica 149. fluxus menſtruus in puella trienni 105
de Haen, Anton. Ratio medendi in noſocomio practico. Pars VII et VIII. 433
v. Haller, Alb. Opera minora emendata, aucta et renouata Tom. I. 94. Elementa phyſiologiae corporis humani, Tom. VII. 597. Deſiderata ad nouam Enumerationis methodicae ſtirpium Helueticarum editionem 541 ſq.
Hamburgenſis Societatis, a bonis ciuibus in incrementum opificiorum, artium et reliquorum quaeſtus generum conſtitutio 155 ſqq. huius

thеſ. et praemia ad ann. 1767. 157. 537 ſq.

du Hamel du Monceau, Elemens d'Agriculture, Tom. I et II. 687

Harlemenſis Soc. Scient. theſ. et praem. ad ann. 1767. 1768. 535 ſqq.

Haſſica, Societas agriculturae conſtituta 154. huius theſ. et praem. in ann. 1766. ib. ſq.

Hecticae febris cauſſa et curatio 497 ſq.

Hedyſarum iunceum 231

Heilbrun, fons ſalutaris in Bauaria 65. eius examen chemicum et vſus ib. ſqq.

Helleboraſtri Geſneri vſus anthelminticus 490. eum exhibendi modus et doſis ib.

Hellot, Io. obitus 352

Helueticae ſtirpes, circa has emendationes et auctaria 99. 108

Hemitritaeae febris curatio 502

Hepar, de hoc obſeruatio anat. pract. 671 ſq. hepatis tumor cyſticus lethalis 570

Hermaphroditi inſectorum 654

Herniae definitio, 429. 431. cruralis incarceratae curatio 240. ventralis noua ſpecies 429. de hac obſeruationes 253. veſicae et perinaei 275. herniarum cura 638. diuiſio et differentiae 429 ſq. communia attributa 431 ſq. partitio 432. curatio 431 ſq. incarceratarum cauſſa 639. curatio ib. repoſitio ib.

Herniotomia, quando inſtituenda 640. circa hanc cautelae ib. ſq.

Hill's, Iohn, Vegetable Syſtem. Vol. II. III et IV. 296

Hippopotami deſcriptio 466

Hirtea, nouum inſectorum genus 424

Hirudinum vſus in haemorrhoidibus 149

Hirundinum hibernacula ad Rhenum 667 ſq.

Hiſtoire de l'Acad. Roy. des Sciences Annee 1759. 563

Hiſtoire naturelle generale et particuliere avec la Deſcription du Cabinet du Roi, Tome XI. 179

Hiſtoriae naturalis ſyſtema 510

Horologicae obſeruationes 5. 16 ſq.

Huibers, Dominic. Anat. Chir. et artis obſtetriciae Prof. Hagae Comit. 351

Humorum per vaſa minora motus cauſſa 278 ſqq.

Hunter's Supplement to the firſt part of medical Commentaries 40. Eiusd. liber de vtero grauido edendus indicatur 42

Huxham, Io. opera phyſico medica Tom. I. II et III. 588

Hybridarum plantarum ſyſtema 45. diſtinctio ib.

Hydatidum natura incerta 437 ſq.

Hydrocele cum calculo perinaei alioque maiori veſicae 248

Hydrocephalus internus, de hoc obſeruationes 105. a tinea retropulſa ortus ib.

Hydrophobia, contra eam remedium 650

Hydropici infantis partus laborioſus 238

Hydrops, an a ruptura vaſorum lymphaticorum 396. huius cauſſa

cauſſa et ſymptomata 397. circa eius curationem monita ib. ſq. de hoc obſeruationes 71 ſq. cum accedente caro, conuulſionibus epilepticis et coecitate curatus 309. cyſticus 437. pectoris in empyema mutatus 255. thoracis, huius differentia 395. peritonaei, eo demortui diſſectio 503 ſq.
Hymen, quid? 629 ſq.
Hypni noua ſpecies 99

I.

Ienty's, Charles Nic. Courſe of anatomico-phyſiological Lectures on the human Structure and animal Oeconomy, Vol. I. II. III. 90
Ignaui, animalis deſcriptio 459
Ignis vis et operatio, de his theoria noua 292
Ileum morbum curandi machina deſcribitur 444
Indigoferae quaedam ſpecies 132
Infanticidium, circa hoc praecipua momenta 345 ſq.
Infantum educatio medica 315 ſq. infans viſceribus variis extra corpus poſitis natus 374
Inflammationis cauſſa 281 ſq. ortus, ſedes et differentia 141
Inoculatio variolarum, huius praeſtantia 451 ſq. ad eam praeparatio, quomodo et quando inſtituenda 212 ſq. varia contra hanc dubia remouentur 452. in quibus ſubiectis ac quo tempore ſuſcipienda 453. vt remedium prophylacticum 49. in quibus morbis tanquam medicamentum ſit adhibenda 53. ad dubitationem circa hanc praecipuam reſponſio 204. pro ea argumenta 200. circa hanc monita 203. argumenta pro ea refutantur 220 ſqq. contra eam argumenta et monita 205 ſqq. 209 ſq. circa hanc praeiudiciorum refutatio 212 ſq. 214. circa hanc corollaria 215. quatenus hominibus et populationi noxia 54. huius rei refutatio 56. 59. an contagium augeat, affirmatur 50. 54. negatur 57. quodnam ad eam pus eligendum 213. huius curam mulieribus tradendam eſſe iudicatur 213. de huius methodo annotationes 210 ſq. ad eam inſtrumenta apta 226. Nemauſii facta, de hac hiſtoriae 215. eius praeſens in Gallia ſtatus 216 ſqq. 219. de ea ſcriptorum catalogus 217. huius proſperi ſucceſſus 454 ſq. in Suecia progreſſus 357. 540. in inſula Corſica 541
l'Inoculation de la petite verole renvoyée a Londres 206.
l'Inoculation terraſſée par le bon ſens 207
Inſecta, qua ratione inter ſe ſint diſcernenda 656. horum oeconomia 654. vita et metamorphoſis 655. eorum partes dimetiendi ratio 425. horum ſtatus tempore diluuii Noachici 684. circa horum metamorphoſin obſeruata 36 ſq. nondum cognita deſcripta 101. Carnioliae, horum ordines 423. inſecti ſingularis marini deſcriptio 665
Intermittentium febrium cauſſae et differentiae 493. 498 ſq.

Inteſtinorum differentia 597. natura irritabilis 602. 604. tunica villoſa, circa hanc obſeruatio 645. motus periſtalticus 602. huius cauſſae 604 ſq. vtilitas 605. motus antiperiſtalticus 602. huius cauſſae 603. vtilitas 605. introſuſceptio quid? 92. 603. appendix vbi occurrat. ib. reuolutio 604. tenuium menſura 92. diuiſio et ſtructura 598 ſq. functio 599. craſſorum diuerſitas et ſtructura 605 ſeq. functio 606 ſq. motus 607 ſq. inteſtini coeci introſuſceptio 314. inteſtinum in in uine perforatum, excrementa foras expellens 438

Irritabilitas 284. 288. huius differentia et gradus 285. vnde pendeat 286. huius et ſenſibilitatis affinitas 286 ſq. florum quid? 307 ſq.

Iuglandium recentium olei ſpecifica contra taeniam virtus 255

Ixia, planta 132

K.

Kennedy, Helephon, Acad. ſcient. Elect. Bauaricae ſecretarius 164

Keyſeri pulueris et pilularum antiuenerearum examen 567

Klinkoſch, Ioſeph. Thadd. programm. quo diuiſionem herniarum nouamque herniae ventralis ſpeciem proponit 428

Koelreuter, Ioſeph. Gottl. *Fortſetzung der vorläufigen Nachricht von einigen das Geſchlecht der Pflanzen betreffenden Verſuchen und Beobachtungen* 43. *Zweyte Fortſetzung* ib.

Kongl. Vetenskaps Academiens Handlingar. foer °Ar 1763. Vol. XXIV. 371

Kratochvill, Car. de radice colchici autumnalis 130

Krauſe, Car. Chriſt. de variolarum exſtirpatione inſitioni ſubſtituenda 48

Kühnia eupatorioides 232

L.

Lac, quid ſit 626. eius natura ib. varietas 627. chemica disquiſitio ib. vtilitates et noxae 627. vſus in phthiſi 498. ad nutritionem infantis praeſtantia 408. bonitatis ſigna ib. ſq. lactea vaſa vid. *Chylifera.*

Lacertae morſus innoxius 10

Langhans, Dan. *Anweiſung, wie man ſich in einem Nothfall ſelbſten von den gefährlichſten und meiſten Krankheiten befreyen könne,* 1-4 *Theil.* 647

Lanta vid. *Anta.*

Lapides, horum ſyſtematica diſpoſitio 593 ſqq. claſſes et ſpecies 196. violacei in Saxonia prope Altenberg reperiuntur 471. horum odor vnde ib.

Lateres ex ſcoriis ferri formandi modus 387

Lathyrus piſiformis 234

Laurus foliis integris trilobisque 137

Lemovicenſis Societ. Reg. agriculturae theſ et praemia ad ann. 1767 et 1768. 693 ſqq.

Lerche, Io. Iac. Conſiliarius altiorum imperii tribunalium Petropoli factus 167

Lethalitatis differentia 344

Lethar-

Lethargus, de hoc obſeruationes 313
Leucophlegmatiae ab anaſarca diſtinctio 396
Leveling, Henr. Palmat. Diſſ. ſiſtens pylorum anatomico-phyſiologice conſideratum 447
Lewis, Will. experimental Hiſtory of the Materia medica 531
Libelloides, nouum inſectorum genus 227
Libellula ſpuria, nouum inſectorum genus 227
Lien vid. *Splen.* eius gangraena 571 ſq. huius cauſſa 572
Ligamentorum ſenſibilitas affirmatur 284. 400
Lignorum vſus in calefaciendis hypocauſtis et parſimonia 509. petrefactio 581 ſq. ligni petrefacti cuiusdam ſingulares proprietates 585
Liguſtri folia an theae loco adhiberi poſſint? 388
Linagroſtis ſeminum vſus oeconomicus 69
Lind, Iames, Eſſay on the moſt effectual Means of preſerving the Health of Seamen in the royal Navy 482
Linguae tumoris cancroſi exſtirpatio 256
Lingulatarum plantarum claſſis et ordines 303
Lini olei vſus in haemoptoe 235
Linnaei, Car. fil. plantarum rariorum horti Vpſalienſis decas I et II. 230
Lipyria febris, huius diagnoſis et curatio 501
Lithanthracum fumi effectus noxius 7. ſulphurei vaporis vſus in phthiſi pulmonum 248
Lithographias concinnandi ratio 592
Lithoſpermum diſpermum 231
Lithotomia, circa hanc obſeruationes 274. controuerſia 646
Lizzari, Ant. binae ex nonnullis rariores morborum hiſtoriae 503
Lochiorum fluxus purulentus quomodo diiudicandus 407
Louis, Recueil d'Obſervations d'Anatomie et de Chirurgie 690
Lucanus, nouum inſectorum genus 424
Lucem imbibentium corporum ratio 330 ſqq. horum ex tribus naturae regnis recenſio 331
Lüderſſ, Io. Conr. Diſſ. de educatione liberorum medica 315
Ludwig, Chriſt. Gottl. inſtitutiones chirurgiae 138. inſtitutiones medicinae forenſis 341
Lues venerea, de hac obſeruationes 89
Lugdunenſis Acad. Scient. theſ. et praem. ad ann. 1768. dilatum 160 ſq.
Lumbrici, circa horum regenerationem tentamina 35
Luna, cur prope horizontem nudo oculo appareat maior 8 ſq. an athmoſphaera ſit circumdata, affirmatur 19
Lundini Scanorum munera academica quaedam ſunt ſublata 356
Lycium, eius quaedam ſpecies 136 ſq.

M.

Machina ad curandum ileum deſperatum 444
Magneticae acus declinationi inueniendae inſtrumentum idoneum eiusque vſus 381
Magnolia tripetala Linn. 135
Mammae, harum ſtructura 624 ſq. nerui 445 ſq. vaſa lymphatica 446. papillae ſtructura 445. harum papilla irritatione erigitur 625. huius erectio negatur 445. harum cum vtero conſenſus 626
Mandragora, circa eius virtutem experimenta 384
Manetti, Saverio, della Inoculazione del Vajuolo 451. Lettera che puo ſervire di Supplemento al ſuo Trattato ſull' inoculazione del Vajuolo 454
Maret, Acad. Scient. Divionenſis ſecretarius perpetuus 162
Mariana Hill. 305
Marmoreae tabulae, in eas quomodo picturae inſititiae fiant 380
Materiae medicae hiſtoria experimentis illuſtrata 532 ſq.
Medici, quatenus puniendi ſint 348
Medicinae hiſtoria in Gallia 96 ſeqq. forenſis conſpectus 341 ſq.
Medicus, Caſim. Frid. *Sendſchreiben von der Ausrottung der Kinderblattern* 50
Mediterraneum mare, circa illud phaenomenon quoddam declaratur 6 ſq.
Medullae oſſium ſenſibilitas 283
Meloe Schaefferi, inſectum 228 ſq.
Membranae corporis humani variae, de iis obſeruationes 113 ſqq.
Menſtrui fluxus ratio et periodi, fontes, cauſſae, theoria 631 ſqq. ratio eiusque defectus noxa 402 ſq. circa eius inſolitas vias obſeruatio rarior 402 ſqq. ſuppreſſio per 4 annos peſſimis ſymptomatibus coniuncta 253
Menyngum cerebri inter ſe coniunctio et continuationes 114
Mercurialis ambigua 231
Mercurius, huius minerae 198. vt cauſſa vermium 409 ſq. vt cauſſa ſtranguriae obſeruatus 88. huius vſus in hydrope 398. in hydrophobia 650. in morbis venereis 89. 325 ſq. ſublimatus, huius vindiciae 339 ſq. vſus in morbo venereo 322 ſq.
Meridiana, nouum plantarum genus 302
Meſembryanthemum pomeridianum 232
Metaſtaſeos non caute tractatae funeſtae ſequelae 106. metaſtaticorum tumorum mutatio qua ratione contingat 588
Meteorologicae obſeruationes 380. 389. 662
Meteorum ignitum obſeruatum 660
Methodi botanicae earumque auctores 73 ſq. variarum earum diiudicatio 297. methodus botanica noua 298 ſqq.
Methodicorum botanicorum ſubordinatio 73
Meyer, Io. Frid. Osnabrugae obiit 167 ſq.
Mictionis ratio 618. vtilitas ib.

Miliaria, eorum ortus controuerſus 441. eadem critica eſſe negatur ib. ſq. horum curatio 497
Minerae, has machinis contuſas tractandi emendatior modus 391
Mineralis regni hiſtoria naturalis 195. diuitiae in Saxonia reperiundae 464
Monachii electoralis academia conſtituta vid. *Bavarica academia.*
Monarda didyma Linn. huius vſus 135
Monro, Alex. expoſtulatory epiſtle to Will. Hunter. 41
Monspelienſis Societ. Reg. Scient. theſ. et praem. ad ann. 1767. 351
Monſtrorum ortus et formatio 31. 39
Monſtroſi foetus deſcriptio 249. infantis deſcr. 374. cuniculi foetus deſcriptio 564
Montium ortus 685 igniuomorum ortus ib. ſq.
Morbi, horum cognitio ex ſymptomatibus et ſignis 478. aetiologia 479 ſq. chirurgici 138 ſqq. quatenus ſupplicium rei vltimum differant 348. morbus niger, huius cauſſae et curatio 268
Morbillorum febris curatio 497
Moſchi vſus in mania 71
Motus cauſſa an in monadico ignis principio conſiſtat 291
Mucoſi epidemici morbi generaliora vid. *Epidemicus morbus.*
Muliebrium contemplatio phyſiologica 624
Muriae ſpecies 63. vtilitas 64. in pecudibus ib. in fertilitate agrorum ib. in chemia, officinis et oeconomia 65
a Murten, Felix, a Soc. oeconomica Bernenſi praemium accepit 351
Muſca vegetabilis quomodo producatur 674. aranea, de huius ouis permagnis obſeruata 37
Muſcorum noua genera 85
Muſculi, de his obſeruationes 93. horum irritabilitas 285. 288
Muſimon, ouis ſpecies 192
Muſmon, ouis ſpecies 192
van Muſſchenbroek, Petr. introductio ad philoſophiam naturalem Tom. I. II. 327
Mylabridis, inſecti character 319

N.

Narium pruritus vt ſignum vermium 409
Naſturtii aquatici ſeminum vſus in morbis nautarum 484
Naucoridis, inſecti characteres 319
Naues a fulgure ac tonitru tuendi conſilia 20. actuarias emendandi modus 106
Nautarum morbi contagioſi, horum cauſſae et praeſeruatio 483 ſq. curatio 484. febris putrida 485
Neruei fluidi ſecretio 577. circulatio per neruos aſſeritur ib. ſq.
Neruorum tenſioni et ſtricturae medendi methodus 145

Nicotia-

Nicotiana, circa hanc tentamina et obſeruationes 44. 46.
hybrida ib.
Niebuhr, Bagdado Aleppum verſus iter meditatur 356
Nitrum, in Podolia qua ratione conficitur 676 ſeq. huius acidi geneſis 677. illud purificandi modus 384
Nolana proſtrata 231
Nouveaux Eclairciſſemens ſur l' inoculation de la petite verole cet. 56
Nutritio, quomodo fiat 32

O.

Obſeruationes anatomicae vid. *Anatomicae*, medicae 568 ſqq.
Obſeruationis ad experientiam medicam vtilitas 477. huius inſtituendae ratio ib. ſq.
Obſervation ſur la petite verole naturelle et artificielle 203.
Obſervations ſur la nature les cauſes et les effets des Epidemies varioliques, cet. 58
Obſtetricis requiſita 342
Obſtructionis aluinae cauſſae 314 ſq.
Oculi vitia peculiaria 643 ſq. laeſio peculiaris eamque concomitantia ſymptomata 672 ſq.
Oenanthes effectus venenati, eiusque antidota 565
Oeſophagus a vitro laceratus cauſſa mortis 102
Olei oliuarum vſus in hydrope 71 ſq.
Oolithorum ortus, differentia et disquiſitio chemica 100
Ophridis cuiusdam ſpeciei deſcriptio 665 ſq.
Ophthalmiae differentiae 147
Optica quaedam ſingularis obſeruatio 671
Opium, an cordis irritabilitatem deſtruat 287. 289. opiatorum vſus in haemorrhagia vteri 405
Orlow, Wolodomir Grigor. Direct. Acad. Scient. Petropol. 695
Oſſa, circa horum geneſin controuerſia 642 ſq. horum cum lignis arborum analogia 33. 34. coniunctio per harmoniam negatur 91. laeſa nutritio 146. horum tumorum diſtinctio 147. corporis humani ſicca, horum contemplatio 125. gigantum in Saxonia e terra effoſſa 467
Oſſificatio ſingularis in tuba dextra vteri feminae reperta 249
Oſteoſteatoma quid? 147
Ouarium muliebre, huius ſtructura 630
Oui humani conſideratio phyſiologica 630
Ouula polypi, de his obſeruatio 37
Oxyacanthae vſus ad ſepta conſtruenda 311
Oxymel colchicum parandi modus, eius vſus 128 ſq. 131

P.

Paecken, Chriſt. Collegii Med. Ruſſici ſecretarius 167
Pagani, Oratio Maria dell' Acque di Recoaro 528
Pallas, Sim. *Anleitung zur practiſchen Chirurgie* 516
Papilla mammae vid. *Mamma.*
Paracenteſis in aſcite vtilitas 398 ſq.
Paralyſis apoplexiam ſecuta, electricitate curata 476

Parelii obſeruatio 676
Pariſienſis Acad. Reg. Chirurg. theſ. et praem. ad ann. 1768. 689 ſqq. Societatis Reg. agriculturae theſ. et praem. ad ann. 1766. 159. Societatis medicorum priuatae theſ. et praem. ad ann. 1767. 165 ſq.
Partus tempus varium inter ſe comparatur 343
Patellae ſucceſſiuum incrementum 127
Pauli, I. Vlr. auctor et conditor ſocietatis Hamburgenſis 155
Peluis ligamenta, cartilagines et muſculi, arteriae, venae et nerui in ea conſpicui 270. 271. in ea ſitarum partium figura et ſitus 272
Penis corpora cauernoſa et glans 620. huius erectionis vtilitas et cauſſae 623
Pennae marinae, de his obſeruationes 677 ſqq.
Pennatula reniformis, noua ſpecies 679. phoſphorea Linn. huius deſcriptio 677 ſq.
Perichondrii vaſa in articulatione oſſium non ſunt conſpicua 126 ſq.
Peritonaei vaſorum exhalantium orificia nudo oculo conſpicua 92. hydrops vid. *Hydrops.*
Peruviani corticis vſus internus et externus in gangraena 434 ſq. vſus in febre putrida nautarum 485. in tertiana ſimplici 499. cum purgante mixti vſus ib. vſus in tertiana duplici 499. in ſubintrante continua 500. in febribus proportionatis 500 ſeq. in lipyria 501. in hemitritaea 502. in quartana 503
Peſtis Aleppenſis, de hac obſeruata 663
Petalorum in plantis differentia 635
Petechiae 495
Petit, Anton. obitus 353
Petrefacta, horum ortus 465. 596. 682 ſq. 685. origo in ſilice 474. horum diſtinctio 197. methodica diſpoſitio 595 ſq. genera 596. quorundam effigies et deſcriptio 62. in monte prope Dresdam deprehendenda 457. ligna, de horum ortu coniecturae 581 ſq. petrefacti cuiusdam ignoti explicatio 466. ligni cuiusdam ſingulares proprietates 585
Petropolitanae liberae ſociet. oeconomicae conſtitutio et membra 151 ſqq.
Phaca, huius noua ſpecies 100
Phalaris paradoxa 233
Pharmacia chirurgica 258
Philoſophical Transactions Vol. LII. P. II. 3. Vol. LIII. 660
Philtrorum actio negatur 347
Phlegmones curatio 142
Phlyctaenae, de his obſeruationes 385 ſqq.
Phoſphora corporum facultas 330 ſqq.
Phosphorus, cum eo inſtituta tentamina electrica 383
Phthiſis quid? 393. huius cauſſae et curatio 497 ſeq. pulmonalis, huius cauſſa primaria eſt haemoptyſis 393. eius curatio 395
Phyſicae obſeruationes 563
Phytographia ſacra 506 ſq.
Pilorum radices et vaginae 645

Piſcinae, de his obſeruationes 310
Piſcis ſingularis deſcriptio 669 ſq. piſcium viſus de hoc obſeruatio 671
Placentae varia adhaeſio cauſſa obliqui vteri ſitus 242
Plantarum methodi vid. *Methodi.* diſpoſitio methodica 299. familiae 73. 81 ſqq. quali nomine inſigniendae 76. ſyſtemata 56. diuerſa eorumque fundamenta 77. horum modi ib. ſq. cognitarum et adhuc incognitarum numerus imaginarius 79. iconum numerus 79. varia nomina 84. noua genera 85. claſſes ſecundum numerum laciniarum corollae diſpoſitae 635 ſq. ſpecificus character vnde petendus 574. ſpecies phraſibus, numeris aut vocalibus determinandi noua methodus 76. oeconomia 506. ſexus, circa hunc tentamina et obſeruationes 43 ſqq. vſus ad alendos homines et animalia 507. vſus medicus ib. ſq. ad veſtitum 508. ad calefacienda hypocauſta 509. harum cum animalibus comparatio 656 ſq. antiſcorbuticarum ſiliculoſarum claſſis 411 ſqq. multiſtaminum claſſis 414 ſqq. plantae aſſociatae vid. *Aſſociatae.* floſculoſae vid. *Floſculoſae.* hybridae vid. *Hybridae.* lingulatae vid. *Lingulatae.* radiatae vid. *Radiatae.*
Plethorae in foeminis vtilitas 634
Pleurae ſenſibilitas affirmatur 287
Plumae auium comparantur cum dentibus hominum 112
Plumbi minerae 198. vbi et ſub qua forma effodiuntur 473
Pluuias, quas barometrum non praedicit, praeſagiendi ratio 564
Podagra, quid 399. eius ab arthritide differentia 399. cauſſae 400. ſedes ibid. circa huius curationem monita 401 ſq. nodoſa variis ſymptomatibus ſtipata 504 ſq. podagricae materiae calcareae ratio 400 ſq.
Polyporum propagatio 655. regeneratio, circa hanc experimentum 36. duae nouae ſpecies 474. iis an anima inſit 36. ouula in iis obſeruata 37
Pompadour, auis 124
Populi nigrae feminum lanuginoſorum vſus oeconomicus 69
Poſitionis horizontalis effectus prope lethalis 568 ſq.
Potus calidi noxa 481
Pouck, planta, ex eius baccis nouus color praeparatur 673
Praeputii inſignis verruca 237
Priapus, animal marinum 18
Pringle, Io. a Rege Magnae Britanniae Eques factus 540. edi curabit ſcripta poſthuma Rob. Whytt 539
Proportionatarum febrium diagnoſis et curatio 500 ſq.
Proſtatae ſtructura 619 ſq.
Pſeudogalenae ſpecies 473

Pubertas, quaenam in animalibus cum ea coniunctae ſint mutationes 622
Pucerons, circa horum generationem obſeruata 37. eorum propagatio copioſa 38
Puerperarum morbi eorumque cura 406
Pulex, cum eo inſtituta experimenta 110
Pulmonum in aqua ſubſidentia vt ſignum 345. pulmonis ſiniſtri abſceſſus 251
Pulſus vt ſignum 478. dicrotus quid indicet 454
Puluis Ducis Portlandiae, eius praeparatio et vſus in podagra 402
de Purgſtall, Comes, Societ. agriculturae Auſtriacae praeſes 693
Puris geneſis et differentia 142. ex varioloſa puſtula cita eductio pulchritudinem conſeruat 202. pus varioloſum, de hoc annotationes 211. 213
Pylori fabrica, vſus et actio in ingeſta 447 ſqq.

Q.

Quartanae febris cauſſa et curatio 502 ſq.
Quer, Ioſeph. obitus 538

R.

Radiatarum plantarum claſſis et ordines 299 ſqq.
Rapport ſur le Fait de l'inoculation de la petite verole 219
Raſt, Reflexions ſur l'inoculation de la petite verole 53
Razoux, Lettre a M. Belletête ſur les inoculations faites a Nismes 215
Recobarii aquae medicatae, harum examen chemicum 528. iis vtendi modus 530. earum virtus et actio 529. 531
Remittentium febrium idea et curatio 500
Renales capſulae vid. *Capſulae.*
Renum ſitus et ſtructura 611 ſq. ſenſibilitas affirmatur 283. renis dextri abſceſſus poſt mortem cognitus 239
Reponſe a une des principales obiections, qu'on oppoſe aux Partiſans de l'inoculation 204
Reſorptio vaſorum epididymidis 41 ſq.
Reſpiratio vt ſignum 479. in morbis inflammatoriis quatenus ſignum mortis 572
Rhingia, nouum inſectorum genus 424
Rhinoceros, animal 186 ſq.
Rhododendri ſpecies quaedam picta 136
Richard, Io. Bapt. de variolarum exſtirpatione quaerenda primum, illique ſubnectenda variolarum inſitione 59
Richter, Aug. Gottl. Prof. med. extraord. Gotting. 696
Robert, Recherches ſur la nature de l'inoculation de la petite verole 207
Roederer, Io. Geo. de morbo mucoſo 517
Roux, A. Iournal de Medecine, Chirurgie, Pharmacie Tom. XVII et XVIII. 234. Memoire ſur l'inoculation de la petite

petite verole, addreſſé a Meſſ. les Commiſſaires 224
Ruber color, eius ſpecies 514. ſanguinis vid. *Sanguis.*
Rubus arcticus, ex huius fructibus vinum gratum praeparandi modus 388
Rupis ardentis deſcriptio 3

S.

Sacchari vſus infantibus conueniens 317. huius depurationi praemium expoſitum 157
Sal culinare vid. *Muria.* eius vtilitas 64
Salicis corticis vires contra febres intermittentes 670. ſalicum roſae quomodo oriantur 460
Salmonum in Albi migratio 468
Sanguinis globulorum indoles, ſuper hac obſeruationes 110. pondus et grauitas 279. rubor in quo conſiſtat 513. vnde oriatur ib. ſq. circa hunc experimenta chemica 514. huius mutationes 515
Sanitatis publicae cauſſae quomodo a magiſtratu ordinandae 343
Sarcocele frictionibus mercurialibus ſublata 236
Saſſafras lignum, ex quanam arbore deſumatur 137
Satus methodi variae 161 ſq.
Saucerotte, ab Acad. reg. chirurg. Pariſ. praemium reportauit 350
Saxifraga, craſſifolia 232. huius duae nouae ſpecies 99
Saxoniae hiſtoria naturalis, ad eam collectanea 472. diuitiae regni mineralis 464
Scabies, ab eius ſuppreſſione oriundae noxae 251
Scarabaei melolonthae oleum infuſum vt cimicifugum remedium commendatur 427
Scarlatina cum ſcabie retropreſſa variisque congeſtionibus externis complicata 256
Schaeffer, Iac. Chriſt. *das Zwiefalter oder Afterjüngferchen* 226. *Der weichſchaalige Kronen und Käulenkäfer* 228
Schreber, Io. Chriſt. graminum hiſtoria botanico - oeconomica indicatur 357 ſq.
Schroeder, de ſplenis vſu morboque ſplenico liber 289
Schulz, Dav. Holmiae variolarum inoculationem ſuſcepit 540
Scirrhi mammarum curatio 675. matricis curatio 642
Scopoli, Io. Ant. Entomologia Carniolica 422
Scorbuti cauſſae et curatio 443
Scriptorum phyſico medicorum, quae a. 1761 prodierunt, ſupplementum alterum 169. quae a. 1762 prodierunt, ſupplementum 173 ſqq. quae a. 1763 prodierunt, index 359. 543 697 ſqq.
Scrophulae, contra has remedium 427
Secalis cornuti noxius effectus 481
Seminalis ductus 619. liquor, huius in euolutione germinis vtilitas 31 ſq. 38. varii ab eo pendentes effectus 38
Seminis animalis natura 620 ſq. ortus et differentiae 621. iter ib. ſq. ſecretio et excretio 620 ſqq.

Semitertiana febris vid. *Hemitritaea.*
Senecio varicoſus 231
Senſibilitas, de hac obſeruationes 282 ſqq. 287. huius et irritabilitatis affinitas 286 ſq.
Septa conſtruendi ratio 311
Serratulae, inſecti, duae nouae ſpecies 472
Shirleius, auis 124
Sicus, nouum inſectorum genus 424
Sieve, Lazar. ab Acad. ſcient. Burdigalenſi praemium accepit 534
Siſymbrii noua ſpecies 109
Sol prope horizontem cur nudo oculo appareat maior 8 ſq.
Solanum, eius vſus in vlceribus inueteratis 322. radicans 231
Somni infantum matutini ſubita interruptio noxia 318
Sophora, huius quaedam ſpecies 134. 136
Sphacelus, in gente quadam epidemicus obſeruatus 14 ſq. huius cauſſae 16
Sphenoidei oſſis cornua 126
Sphincteris ani interni varietas 646
Sperma vid. *Seminalis liquor.* ſpermatici funiculi ſtructura et directio 619
Spiritus animales vid. *Nerueum fluidum.* vini praeparationi vel deſtillationi praemium expoſitum 694
Splenis vſus 290. ſplenici morbi cauſſae et curatio ib. ſq.
Spongia marina an ſit animal? 679
Squillae character 320
Stanni minerae 198
Steatoma inſigne obſeruatum 438
Stephanus, Io. Curtae in inſula Corſica variolarum inoculationem inſtituit et hac de cauſſa praemium obtinuit 541
Stigma, eius liquor an ſit verum ſperma femininum 47
Stoerck, Anton. Libellus de colchico autumnali 127
Stranguria, mercurii effectus, obſeruationibus declaratus 88 ſq.
Styrex, nouum inſectorum genus 424
Subintrans febris, eius cauſſa et curatio 500
Submerſos refocillandi iisque auxilium afferendi modus 346. 470
Sucotario, animal 511
Sudor in ſene menſtruus 106. ſudores in febribus acutis, quomodo diiudicandi 439. puerperarum quomodo diiudicandi 408
Sues foliis plantarum ſaginandi methodus 388
Suffocationis ratio 346. aqua ſuffocatos vitae reſtituendi methodus 72
Sulzerbrunn, fons ſalutaris in Bauaria 67
van Swieten, Gerard. commentaria in H. Boerhaave aphoriſmos de cognoſcendis et curandis morbis Tomus IV. 392

T.

Taenia corpori humano vtilis eſſe dicitur 311. de hac obſeruationes 254
Tapiierette Braſilienſium, animal 194
Tapir, animal 194
Tecta ex terra argillacea conficiendi modus 385
Telluris ex variis terreis et lapideis ſtratis conſtitutio 62 ſq. huius cognitionis vſus in metallicolis 63
Temperamenta quid 479
Tendinum ſenſibilitas affirmatur 284. 288
Tenthredines illarumque laruae 381 ſq.
Teredinis noua ſpecies 576 ſq.
Terrae mutationum disquiſitio 465. motus 673 ſq. motus in Sibiria 671. planitierum origo a montibus 390. terrarum diuiſio 294. claſſes et ſpecies 196
Tertiana ſimplex, huius cauſſae et curatio 499. duplex, huius cauſſae et curatio ib. ſq. duplicata poſt febrem putridam exorta, cum obſtructione alui pertinaci 254
Teſtium ſtructura 619
Tetanus electricitate ſanatus 661 ſq.
Theodoro-Palatinae Acad. theſ. et praem. ad ann. 1767 et 1768 350. 691 ſq.
Theory and Practice of chirurgical Pharmacy 258
Thermometricae obſeruationes 382
Thoracis vulnerum ſuctioni inſtrumentum conueniens 148
Thymus, eius ſtructura et vſus 584 ſq. cur in infantibus maior, in adultis oblitteratus deprehendatur ib.
Tigurinae vrbis et reipublicae mercatura 309
Tinea incaute retropulſa cauſſa hydrocephali 105
Trabium ignearum effectus 563
Tracheae vulnerum curatio 13. 257
Trew, Chph. Iac. plantae ſelectae, decur. VI. et VII. 131
Trichurides, nouum vermium genus 520
Tripſacum hermaphroditum 231
Trochitae in variis Angliae regionibus reperiundae 458
Tronchin, Theodor. Ser. Principis Aurelienſis archiater factus 167
Tubarum Fallopianarum ſtructura 630. tubae vteri dextrae oſſificatio ſingularis 249
Tumor cyſticus hepatis lethalis 570. tumorum tunicatorum geneſis et differentia 143
Turf vid. *Caeſpes bituminoſus.*
Turundae nigredine imbutae cariem non ſemper indicant 257
Tympanitis, hanc ab aſcite diſtinguendi ratio 396
Typhones, an illorum ope conchylia marina in montes aſportentur, negatur 686

V.

le Vacher, Thom. Pariſiis Doctoris honores ex legato Io. de Dieſt gratis reportauit 166
Valcarenghi, Paul. de praecipuis febribus ſpecimen practicum 491
Variolae, harum inoculatio vid. *Inoculatio*, natura et cauſſae hypothetice conſiderantur 208. cur benignae et malignae ſint? 208 ſeq. harum malignitas negatur 201. earum puſtularum cita apertura pulchritudini conuenit 202. iis medendi methodi 209. 236. 496. quomodo altera vice oriri poſſint 209. oriuntur per contagium 212. harum ſtamen negatur 208. has fugandi et exſtirpandi methodi 48. 50. 52. 55. 59. earum bis recurrentium exempla 49. 52. 55. 206. verae naturales inſititias ſequutae 225. cur raro bis appareant 52. varioloſae febris natura 51. varioloſi morbi hiſtoriae duae 311
Vaſorum minimorum oſcillatorius motus an ſit cauſſa motus humorum per ea ipſa 280 ſq. chyliferorum deſcriptio 608 ſq.
Velſe, Conr. H. Sereniſſ. Principis Arauſiorum archiater 352
Venaeſectionis vſus in grauiditate 405. in gangraena lienis 571 ſq. in haemoptyſi 394. in hernia incarcerata 639. in hydrope 71 ſq. 397. in variolis artificialibus 454
Venarum epididymidis reſorptio 41 ſq.
Venena, quatenus in tenuibus inteſtinis mutentur 599. veneni ſuſpicio quomodo exiſtat 347
Venerei veneni ſedes 588. morbi, circa hos errores theoretici obſeruati 323 ſq. ſuper horum curatione adnotationes 325
Veneris nimiae noxae vnde pendeant 624
Ventriculi vulnerum lethalitas 347
Verbaſcum, cum eo inſtituta tentamina et obſeruationes 46. myconi Linn. 133
Vermes inteſtinales 380. horum nouum genus 520. contra illos remedium 490. plurimi tumorem durum non dolentem efficientes obſeruati 247. lignum et naues arrodentes, horum noua ſpecies 576. vermis ſolitarius 254
Verminoſae febres cum ſymptomatibus ſingularibus coniunctae 235. verminoſorum morborum obſeruationes 255
Verruca praeputii inſignis 237
Vertebrae octo inter ſe coalitae obſeruatae 91. dorſales, harum curuatura cauſſa mortis ib. ſq.
Verſuch vom Daſeyn des Eiſens im Carlsbader Brudelſteine 449
Veſica vrinaria vid. *Vrinaria*.
Veſicatoria, horum in pleuritide actio 282. ea in pleuriti-

de loco dolenti applicandi modus et vtilitas 70 ſq. horum vſus in variolis 202 ſq. eorum vſus in febribus acutis reiicitur 496
Veſpa flaueſcens Penſyluanica 662 ſq.
Veſpertilionum variae ſpecies 580. anatomica deſcriptio ib.
Vini vſus infantibus commendatur 316
Viperarum morſus, ſuper huius curatione obſeruationes 251
Viſci foecundatio ab inſectis 46
Viſionis ratio, de hac adnotationes 337
Vitriolum ferri, an acidulis inſit 66
Vitrum oeſophagum lacerans cauſſa mortis 102
Vlcera calloſa, de harum curatione monita 146
Vlulae exoticae deſcriptio 471
Vngebauer, Io. Andr. Conſiliarius altiorum imperii tribunalium Petropol. factus 167
Vogel, Rud. Auguſtin. Diſſ. ſiſtens herniarum communia attributa et partitionem 430
Vomica inſignis cum ſymptomatibus minus conſuetis ope corticis Peruuiani curata 244
Vortex aereus vid. *Typhon.*
Vpſalienſis horti plantae rariores 230 ſqq.
Vreteris ſtructura et directio 611 ſq.
Vrethrae ſtructura et directio 620
Vrina vt ſignum 479. eius differentia et natura 613. disquiſitio chemica 614. huius iter 616. in aegro gangraena affecto obſeruata 435. lateritia quid indicet 494. eius ſuppreſſionis cauſſa 273
Vrinariae veſicae ſitus et ſtructura 672 ſq.
Vrus, animal 191
Vteri ſitus et ſtructura 628 ſq. humor duplex 629. vagina, huius ſtructura 629. inuerſio 253. ſitus obliquus 242
Vulnera ſclopetorum, de his monita 145

W.

Wagler, Car. Gottlieb. de morbo mucoſo 517
Walch, Io. Ernſt Imman. *Das Steinreich ſyſtematiſch entworfen* 591
Walkeria, nouum plantarum genus 668 ſq.
Walter, Io. Gottlieb *Abhandlung von trocknen Knochen des menſchlichen Körpers* 125
Werniſcheck, Iac. genera plantarum cet. 634
Weſtphal, Andr. Diſſ. de ſtructura mammarum ſexus ſequioris 445
Whytt, Robert. Phyſiological Eſſays 277. eius obitus 539. huius ſcripta poſthuma edi curabit Io. Pringle 539
Willburg, Chr. Ant. a Societate agriculturae artiumque vtilium Carinthiae praemium accepit 154
Wrisberg, Henr. Aug. de inſitione variolarum nonnulla momenta 225. deſcriptio anatomica embryonis 420

X. Xan-

X.

Xanthium orientale 233
Xiphoſurae, inſecti characteres 319

Z.

Zannini, Gervaſ. Ern. mercurii ſublimati vindiciae 339
Zeba, bouis ſpecies 191. 193
Zimmermann, Io. Geo. *von der Erfahrung in der Arzneykunſt*, 1 *und* 2 *Theil* 475
Zinci minerae 199
Zinnia multiflora 232
Zootomica obſeruatio 565
Zwiefalter 226 ſqq.
Zwingera, planta 107
Zygophyllum album 231

Emendanda.

Pag. 24. l. 26. Indico lege Indica. p. 37. l. 25. contineat l. continent. l. 26. hic l. huc. p. 42. l. 14. liberas l. libera. p. 180. l. 30. Admouendas l. Ad mouendas. l. 31. ſibi imponere ſe ipſe l. ſibi ipſi imponere. p. 206. l. 2. ſub fine l. ſub finem. p. 231. l. 17. pneulato-varicoſis l. puculato-varicoſis. p. 235. l. vlt. curatae lege curati. p. 249. l. 16. lien l. lienem. p. 250. l. 13. inſomniam l. inſomnium. p. 261. l. 17. quo liquefacto l. quibus liquefactis. p. 309. l. 27 ſub fine l. ſub finem. p. 318. l. 27. intelligentiam l. intelligentia. p. 349. l. vlt. Vol. X. l. Vol. XII. p. 372. l. 27 inepta l. minus apta. p. 461. l. 32. acanthes l. acanthides. p. 556. l. 24. Andr. Büchner l. Andr. Elias Büchner.